THOMAE CAMPANELLAE ... MEDICINALIUM, JUXTA PROPRIA PRINCIPIA, LIBRI...

Tommaso Campanella,
Jacques Gaffarel, ...



THOMÆ CAMPANELLÆ

STYLENS. ORD. PRÆDIC.

MEDICINALIVM,

IVXTA PROPRIA PRINCIPIA,

Libri septem.

OPVS NON SOLVM MEDICIS, SED OMNIBVS NATVRÆ ET PRIVATÆ VAletudinis studiosis vtilissimum.







LVGDVNI,

Ex Officina IOANNIS PILLEHOTTE;

Sumptibus IOANNIS CAFFIN, & FRANCISCI PLAIGNARD.

M. DC. XXXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





ODOARDO FARNESIO PARMENSIVM PLACENTINORVMQVE PRINCIPI atque S.R.E. PERPETVO VEXILLIFERO

IACOBVS GAFFARELLVS

S. P.



ÆPIVS mecum ipſe perpendi, SERENISSIME PRINCEPS, quales poſt egregiam illam, quam de me tuis haud ſemel feciſti, cum diſertiſſimo ab Epiſtolis tuis Gaufrido, mentionem tibi gratias haberem. Cumque dignæ ſatis vix à me vllæ comperirentur, hæc NOVA incomparabilis Campanellæ MEDICINA, quam infinitis propè laboribus edendam curaui, ſe ſe tandem obtulit: quam veluti munus præſtantiſſimum SERENITATI tuæ offerrem, & cuius forſitan erga te efficiam dignitate, quod meis nunquam præſtare viribus valuiſſem. Hanc igitur meæ in te habeas qualecunque ſit gratitudinis, & obſeruantiæ teſtimonium. Tibi ſiquidem

dem offerendam eam esse duxi, qui non minori facilitate litteras didicisti, quam Arma; tuorum, profectò, sequutus vestigia maiorum, quibus adeo familiaris ille nexus extitit, vt omnes in sui cultum, & admirationem conuerterint. Cum enim ex ratione sapientia nascatur, eaque in actione & contemplatione versetur, vtramque ita complexi sunt, vt instituta vtriusque comparatione haud facilè discerni posset, maioréſne Philosophi, an viri Politici, & ad arma nati extiterint. Testis est immortalis ille nominis Alexander Farnesius, cuius egregia facinora nulla vnquam ætas, nulla mortalium delebit obliuio. Is siquidem fuit, ad quem doctrina, & eruditione præstantes viri, velut agmine facto, vndequaque confluebant: quos tanta complectebatur humanitate, tanto amore, tanta denique beneuolentia, vt se illis arctè obstringi apertè ingenuéque fateretur. Quid de illius in bello præclaris gestis referam? Nonne celebranda æternum illa Naupacti victoria, quam de Turcarum tyranno, Christi nominis hoste teterrimo, diuinis reportauit spirantibus auris, inuictum illius animum deprædicat? In illa quidem expugnatis Turcicis classibus, fusis militibus, deletis copiis fortissimum adeo se præbuit, vt nihil suo sæculo clarius, nihilque præstantius à quoquam, non Italiæ solum, sed à quouis alio Christiani orbis Principe factum fuisse sciamus. Is similiter ille fuit, qui tunc temporis inimicorum Eccle-

siæ

ſiæ natus eſſe videbatur ad ruinam. Teſtes ſunt munitiſſimæ vrbes, totque Arces in Belgio ſuis ab eorum manibus armis ereptæ, Gaudauum, Auenarga, Valencena, Teneramunda, Duncherchа, Tornacum, Nauportus, Diſmunda, Grauia, Carpena, Zuthpenum, Niuella, Cortracum, Axella, Dauentria, Cambreſium, Lilla, Brugæ, Duacum, Antuerpiæ, Breda, feréque totus, vt verbo dicam, ſtatus Belgicus, quem & funeſta Hæreticorum face, & furia labantem, ac penè proſtratum erexit, eúmque legitimo Principi, ac Eccleſiæ cultui reſtituit. Quodque mirum eſt, tanta prauos, (vt refert illius immortalis Herois rerum geſtarum Hiſtoricus) cum celeritate profligauit Hæreticos, vt more fulminis, quod priùs tenuit quàm tonuit, vno eodémque momento acciderit, abſciderit, abſceſſerit. Habes igitur, SERENISSIME PRINCEPS, quos glorioſè domi excelſæ imiteris tuæ, & non ab extraneis, ſed à tuis ipſis Prudentiæ, Humanitatis, Fortitudinis, Doctrinæ, Magnanimitatis, & Gloriæ, omniúmque denique virtutum, quæ fœliciſſimæ familiæ tuæ abundè naſcuntur exempla petas, in quæ continuò defixus ad eorum æmulationem animum tuum inuictiſſimum alta ſublimiaque cogitantem in dies magis accendi videmus. Habebit & poſteritas tuo, & maiorum munere ad ſolidæ veræque laudis exemplum, quod domi, foríſque fœliciter imitetur & diſcat; vt nequaquam

ambi

ambitioſo rerum inanium titulo, verùm factis illuſtribus, non adumbratæ, ſed certiſſimæ gloriæ fructus perquirat. Tua verò tuorum exemplis firmata generoſitas ea eſt, fortunatiſſime Princeps, vt conſtantiſſimum etiam Heroum te omnes agnoſcant, & prædicent. Singulari namque, inſigníque pietate, atque prudentia ditionem tuam ſic gubernas, regíſque, vt ad maximum fœlicitatis culmen prouectus, vna in te magnanimitas, atque clementia regnare; réſque ipſæ in ſummo arridentis fortunæ faſtigio poſitæ eſſe videantur. Deum precor Optimum Max. SERENISIME PRINCEPS, vt iis diu, multúmque fruaris felicitatibus, méque habeas æternum addictum atque deuinctum, vti reuera ſum.

Dabam Venetiis 23. Septembris 1635.

IACO



IACOBVS GAFFARELLVS LECTORI S.



ANtequam vltrà progrediaris, Humanißime Lector, nouaque per amœna ſpatieris Medicinæ pomaria, in quibus, fateor, non molliculorum Rhetorices florum, ſed ſuauißimos hauries veræ philoſophiæ fructuum odores: operæ pretium eſſe duxi, tibi vndenam hunc habuerim Codicem, paucis exponere. Scias ergo, dum Venetiis nuper in contubernio Nobilißimi, atque Excellentißimi viri Gaſparis Thuilleriÿ Regis Chriſtianißimi à Conſiliis, ibidémque Legati, commorarer, ab eodem Amico Germano Comite, à quo libellum etiam acceperam, de Philoſophia Gentilium non retinenda, *mihi datum fuiſſe legendum: cúmque dignus planè viſus eſſet ab omnibus vt ederetur in lucem, eundem enixe rogaui, vt in communem litteratorum omnium vtilitatem eadem in vrbe Venetâ, quæ diu litteratorum nutrix*

fuit, atque parens, typis committeretur publicis, variisque illum ad id impuli rationibus, quibus cum haud difficulter assensisset, statim ambo Bibliopolam conuenimus, qui cum tantæ molis opus esse cerneret (grandioribus siquidem, iisdémque perelegantioribus exscriptum erat characteribus) v[illegible] integrum annum illud, ob Chalcographorum in[illegible], quibus nunc laborat Italia, minimè perficere posse respondit. Quod cum animaduertissem, decreui tandem mecum illud deferre in Galliam, in quam ab Eminentißimo Cardinali Duce Richely modò sum accersitus, vt Codicum illorum MSS. Hebraicorum & Syro-Chaldaicorum ingentem numerum, quem tanquam tristißimas heu! reliquias, ab incendio atque miserrimæ Mantuæ depredatione seruaueram, in sua instructißima Bibliotheca reponerem. Dum igitur Lutetiam peto Ioannes Caffin Bibliopola Lugdunensis, qui mihi hunc iam antea datum fuisse librum acceperat, illum se se libenter edendum obtulit. Ne verò te terreat, Humanißime Lector, quod abstrusiora in illo Medicinæ præcepta tractentur à Monacho Theologo, idest, à professione artis Medicinæ viro penitùs alieno; alterius siquidem professionis ab ea de qua scripserunt, innumeros ferè connumerant antiquorum monumenta Magistros: quos tamen eruditè scripsisse scimus. Testis est Celsus ille perfloridus, professione Grammaticus. Testis & Dioscorides non Medicus, sed Miles, quorum tamen amborum extãt exquisitißimi de re Medica commentarij. Testis &

Aratus,

Aratus, qui cùm nil minus quàm Astronomiam profiteretur, opus tamen aureum Astronomicum æternitati consecrauit. Testis denique Columella, Cato, Varróque, qui mirâ plane sedulitate immortales atque reuera nunquam intermorituros de Agricultura fœtus posteris reliquerunt, licet Agricola illorum nemo vnquam extitisset. Ideoque ne mireris, optime Lector, si Theologus de Medicina disseruerit, scripseritque, cùm nequicquam ita alienum sit à proposito Theologiam cum Medicina coniungere. Illa siquidem immortalem Animam, hæc mortale Corpus contemplatur. Vnde nec fallit profectò, nec fallitur Marsilius Ficinus, cùm felicius asserit Medicinam tractatum iri, si Medici Sacerdotes forent atque Theologi. Hippocrates etiam, Medicorum ille Genius, & Princeps, fateri non veretur inter Medicos primas Æsculapij tenere Sacerdotes. Et vt breuiter me expediam, nihil suscipit Campanella, quod à maioribus iam susceptum non fuerit. Tutò namque progredi licet, cùm eadem in via qua insistimus, similia virtutum exempla nobis occurrant quàm maxima. Sic Robertus Eboracensis Anglus Dominicanus Theologus exactè, summáque cum cura addita secretioris Medicinæ Theoremata ita est perscrutatus, vt doctißimis quibusque Medicis admirationem mouerit singularem. Monachus item alius Eboracensi coætaneus, Raymundum indigeto illum, cognomento Lullium, penitioris licet diuinioribus Theologiæ mysteriis intentus, doctiorum tamen libris Arabum Medi-


corum, quorum linguam probè norat, operam interdum dabat. Ipse ille fuit, qui futuris sæculis Medicinæ scientiam, à sacris Theologiæ principiis non adeò esse dissitam manifestè significauit, quique de Medicina scripsit tum speculatiua, vt vocant, cùm operatiua. Unde Symphorianus Campegius doctissimum illum appellat Medicum, ac etiam apud peritissimos quosque Medicos, atque Philosophos summis laudibus effertur illius nomen. Monachus item alter, Constantinus scilicet, Ordinis sancti Benedicti, natione Afer, in solitudinibus vt plurimum vitam degens, vbi tunc temporis scientiæ recludebantur tanquam ab vrbibus exules, multa adeò ad Medicinam spectantia scripsit, vt qui eruditas Isaaci Hebræi Medici lucubrationes perlegerit, quale Constantinus inter Doctores mereatur Medicos nomen percipiet facilè. Huic Ægidium iunge Monachum, eiusdem Ordinis, diuersa licet natione, quippe qui Græcus erat, quique de Pulsibus scripsit, & de Vrinarum judiciis. Callistum adde, atque Neophytum ambo Monachos, quorum similiter ille de Pulsibus, & Antidotis, Oleis, Emplastris atque Vnguentis: hic verò de Simplicium scripsit, seu Herbarum collectione. His demum Monachos iunge sequentes, quos egregia posteris Iatrica consignasse volumina scimus, Theophanem introductorium in Medicinam; Richardum Kunetium Carmelitam, de virtutibus Herbarum; Ioannem de Indagine Germanum Ordinis Carthusianorum de Pestilentia; Gulielmum

Holmum

Holmum Anglum Franciscanum, de simplicibus Medicinis; Ranutium Episcopum Arusiensem, Regimen contra Pestilentiam, & Epidemiam; Maximum Planudem, vel Planudum, vel Planudium (sic enim variis in Codicibus legitur nomen doctissimi huius Monachi Constantinopolitani, vt in Catalogo nostro librorum MSS. qui sunt in Bibliothecis Venetis annotauimus) de Vrinarum cognitione. Cæteros transeo Monachos, omnes Theologo-Medicos, vt Albertum Magnum Ratisponensem Episcopum; Albertum alium, Beyr nomine, Carmelitam; Basilium Valentinum; Ioanicium; Ioannem Ganiuetum Franciscanum, & alios, qui vtilissimis artem scriptis nobilitarunt Medicinæ. Vt tandem æqua lance perpendas, benignissime Lector, eos omnes non immeritò sequi Campanellam nostrum, cuius nouos hos dubio procul appellabis conatus, cum ij nouis omnino sint fulti principiis, habeantque ferè innumera (procul iactantia dictis) quæ Medicorum mentis aciem effugerant. Nihil de præclaro illius ingenio, summaque duco doctrinâ dicendum. Singulares siquidem, quas maximi viri dotes sunt demirati nostrates Galli, dulcissima quamprimum illius gaudebunt præsentia. Audio namque illum Roma discessisse, Galliasque petere. Faxit Deus Opt. Max. vt tanti Solis aliquando lumine fruatur Regio nostra. Tu verò, Lector Humanissime, dum Munusculum ab iisdem Medicinæ pomariis decerptum tibi paramus, versionem scilicet è lingua Syro-Chaldaica in Lati-

nam, Codicis cuiuſdam MS. eorum quos ſuperius commemorato Emin. Card. Duci Richelÿ, comparauimus, cuius Titulus eſt ספר חתטעאה חרופים ſepher, hachatahghaah, harophim, *id eſt Liber errorum Medicorum; hac noua Campanellæ fruere Medicina, eique pro tanto beneficio Reip. litterariæ collato, gratias age. Dabam Lugduni* 4. *Kalendas Nouemb. M. DC. XXXIV.*

INDEX



INDEX CAPITVM ET ARTICVLORVM IN HOC MEDICINALIVM OPERE CONTENTORVM.

LIBRI PRIMI PROOEMIVM.

Libri secundi.

Libri tertij.

Libri quarti.

Da

De pulsibus.

De causis primariis pulsus.

De prognostico ex pulsibus.

D

Libri quinti.

De

Libri sexti.

De morbis spiritus.

De

De

De

††† De

De tumoribus dolorificis.

De tumoribus malignis.

De pustulis.

Libri septimi.

De febribus.

De

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII A Christianißimo Galliarum Rege concessi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, & patentibus eius litteris cautum, ne quis in Regno ipsius aliisve locis eius ditioni subiectis intra nouem proximos annos, à die impressionis primæ inchoandos ac numerandos, excudat, vendat, excudendum vendendumque quouis modo & ratione curet, Librum qui inscribitur, *Thomæ Campanellæ Stylensis Ordinis Prædicatorum Medicinalium*, *libri septem, iuxta propria principia*; præter IOANNEM CAFFIN & FRANCISCVM PLAIGNARD, Bibliopolas, aut illos quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus eius subditis eundem Librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam vbicumque fuerit ad id agendum impellere ac instigare, sine consensu dictorum CAFFIN & PLAIGNARD, sub pœna confiscationis Librorum, aliisve pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis vigesima sexta die Februarij 1635.

Sic signatum. *De mandato Regis.*

Victon Senault.

Et in margine, licentia imprimendi.

THOMÆ



THOMÆ CAMPANELLÆ ORDINIS PRÆDIC.

MEDICINALIVM

LIBER PRIMVS, iuxta propria principia.

Procemium.

Quid sit Ars Medica, & quot indiget scientiis.



QVONIAM Medica ars est quædam magica praxis, in hominem quatenus infirmabilem, ideóque suum subiectum, operans, pro fine habens sanitatem: necesse est Medicum nosse totum hominem, singulasque eius partes, causásque omnes circumstantes, à quibus communiter, & peculiariter iuuatur, læditúrque. Ergo cælum, stellas, vires aëris, & aquarum, & terrarum qualitates, & potestatem in hominem, vt anni tempora, & ætates hominum, & consuetudines, & temperaturas, & habitationum proprietatem: & elementata; eorum vires, & qualitates; etsi non simpliciter vt sunt in se in entium serie, & ideatione, saltem vt quid sunt ad hominem, videlicet quid faciunt & quid patiuntur ab ipso, & in singulis eius partibus: ergo sympathias, & antipathias cum homine, eiúsque partibus tam per se, quam per accidens: Est enim Medicus in hominis composi-

Medicinæ quidditas, subiectum & finis.

Quibus scientiis indiget.

 tione

tione curanda, ſicut Legiſlator in Republica, & Oecono-mus in familia. Et quoniam medicati ſumus Reipublicæ, & familiæ, nunc indiuiduorum curam ſuſcipimus, ſicut per Ethicam olim in animo, ſic nunc per præſentem artem in corpore.

De hominis ex quatuor partibus compoſitione, harúmque mutua vtilitate.

CAPVT I. ARTIC. I.

Homo ex mente, ſpiritu, humido & ſolido conſtat.

COmponitur autem homo totus ex ſolido, humido, ſpiritu, & mente; qui ſibi eſt propria: cæteræ enim partes etiam brutis conueniunt: idcóque cum corpore non naſcitur ſicut aliæ partes, nec moritur; ſed aduenit poſt corporis perfectam fabricam: nec niſi in perfecto, & ſolido, & humido, & ſpiritu bene concinnatis habitare poteſt vitaliter: nil mirum ſi cum ſit immortalis, præfatarum partium aliqua deficiente abſcedit, vt in quæſtionibus phyſ. contra Medicos veteres demonſtrauimus.

1 Soliditas ex condenſatione; condenſatio ex vnione multa: ideò ſolidum vnitum adeò vt non poſſit plus vniri, tactui renititur. Humiditas verò ex maiori expanſione, & minori vnione, quæ non conſtat, idcóque nec tactui reſiſtit. Spiritalitas ex maxima rarefactione, & minima vnione, idcóque & fugit, nedum cedit, niſi vnione affectiua, non corporea, qualis in ſolidis; ſe roboret ad vim, impedimentáque repellendum. Mentale autem ex his metaphoricè, ex primalitatibus realiter conſiſtit.

Mors ſequitur; radictarum partium vel vnius, aut vſus, defectum totalem.

2 Mutuis vtilitatibus partes quatuor iſtæ continentur in vnum; idcóque non poſſunt ſimul ſtare, quin diſſoluatur compoſitum vbi vna deeſt: excepta mente, ſine qua in vtero plures dies quaſi animal viuit: hæc enim abſtractior, minúſque conſenſionis cum phyſicis habet rebus. Vnde philoſophi inferiores partes ſpernunt, ſuperiori confiſi in ſuis ſtudiis, & alienationibus. Vtrum autem poſſit mens ita ſeparari in ecſtaſi, vt remaneat homo, at abſque mente, in quæſt. phyſ. & in 5. Theolog. & in 15. etiam conſiderauimus.

3 Solidæ partes indigent humidis, vt harum craſſioribus partibus

partibus alantur, & ne arescant, & rumpantur, & vt ad motum vngantur; Humidæ solidis, vt ab his contineantur vt in vasis. Spiritus verò humidis, vt earum subtili portione nutriantur: solidis vt retineantur ne euolent. Sed humor indiget spiritu, ab eo vt generetur ex cibo exprimendo succum, caleat, & moueatur, solidum verò vt sustentetur & moueatur quorsum est opus: tandem Mens indiget spiritu, vt per eum moueat studiosè corpus, & accipiat physicarum rerum scientias. Ipsa enim ab obiectis corporeis moueri nequit, nisi mediante spiritu; ex cuius delirio, & sobrietate aliisque passionibus palam est, ipsam impediri vel expediri ad operationes suas. Spiritus autem indiget mente, quatenus humanus est, vt perfectior sit in primalitatibus, & in suis operibus doctior, & in corporis regimine rationabilior. Quatenus autem animalis est, non indiget: immò secum pugnat, bona propria præ mentis bonis diuinioribus curans magis. Quoties ergo hæ partes inuicem has mutuas vtilitates non præbent, fit ægritudo, quæ est ad dissolutionem compositionis, hoc est, ad mortem, præparatio: & contra hanc valet Ars Medica.

Quem vsum quæ pars cuique præstat.

Partialis defectus mutui vsus partium est ægritudo.

De Mentis essentiatione, affectibus, vitiis, moribusque, & medelis.

Capvt II. Artic. I.

1 Mens non componitur, sed essentiatur ex volitiuo, intellectiuo, & potestatiuo puris: quæ non possunt dissolui propter coinexistentiam, & identitatem realem. Formaliter enim modò distinguuntur, vt probatum est in nostra Metaph. & Theolog. nec habent contrarium, à quo corrumpantur, aut disponantur ad mortem. Propterea Medicus physicus in mentem per se non operatur, sed in corpus, & humores, & spiritum, per quem ipsa, dum est vnita corpori, exercet suas operationes: & ideò circa impeditionem, & expeditionem instrumentorum, per quæ mens operatur, Medicina exercetur modo. Vnde medicina, & stellæ, & elementa per accidens dicuntur in mentem valere humanam, & indirectè.

Mens triplici de causa immortalis.

Propterea non subditur medicinæ corporali, nisi per accidens, & indirectè.

Corol. D. Th. in. 3. cont. Gent.

2 Mors autem mentis est separatio à Deo, sicut mors cor-

 poris,

Peccata mortalia animæ ægritudines, & mors ad 2. mortem præuia.

poris, est separatio ab anima; & peccata mortalia, [quæ non fiunt, nisi vbi accesserit volitiuum, non autem à potestatiuo, & intellectiuo solis Non enim quia possum à Deo separari, aut quia scio, pecco, sed quia volo] sunt ægritudines mentis, & mors prima, nam secunda erit totalis æterna separatio in inferno.

Nec Medicus, nec mens ipsa post lapsum potest morbis animæ mederi nisi præparatione imperfecta.

3 Medicus autem harum infirmitatum non potest esse, qui corporales medelas tractat: nec ipsa mens potest sibi mederi, dum spontè omisso peccato, operi bono se mancipat, nisi præparando, vt ad Deum vt vitam naturalem redeat, non vt supranaturalem; nisi vt misericorditer acceptatur, & eleuatur: neque enim maculas, & reatum per physicam abstergit medicinam. Possunt enim res physicæ sordidare volentem, sicut oleum, quod deinde non potest de se purgare sordes; ergo aliquid diuinius requiritur, sicut anima est res diuina; & hæc est participium diuinitatis, id est gratia Dei, sine qua non tollitur peccatum, licet possit reatus relaxari. Medicinam ad vitam naturalem in Ethicis, ad supernaturalem in Theologicis dedimus.

Nulla sapientia naturalis magica quæ purgat mentis infirmitates, nisi diuina physica superaddatur.

4 Frustra igitur Porphyrius, & Magi veteres morbos animæ curare conati sunt per Magiam physicam: & qui diabolicam addiderunt decepti sunt ab angelis malis: solus enim Deus purgationem peccatorum facit; nec sacrificia pecudum ad hoc valent, nisi ex deuotione, & fide in Deum, & Dei instituto. Caro autem Christi secundùm magiam sanctorum purgat nos, quatenus diuinitati vnita, & instrumentaliter, & sicuti oleum maculas olei per se non abradit: sed vnitum calce, & cinere, abstersiuis, in sapone bene abstergit; cuius rationem in Physicis diximus, & in Theologicis.

Analogia inter virtutem, & sanitatem: & inter vitium, & morbum: & vtrum morbus à vitio fieri queat.

5 Quoniam id est vita in anima, quod sanitas in corpore: sanitas autem est vitæ fruitio, aut conseruatio: morbus ad mortem præparatio. Virtus ergo est ad vitam æternam iter: peccatum ad mortem æternam: quærendum est vtrum morbus animæ, morbos corporis pariat.

Quæ culpa morbos pariunt per accidens, & quæ minus.

6 Peccatum vel est contra finem, vel contra media. Contra finem dum ponit seipsum pro fine quod est superbia; vel aliquod extra se, vt diuitias, gloriam, dominationem, pulchritudinem, aut salutem corporis, & voluptatem: nam hæc licet sint in corpore, non tamen sunt animæ, nisi per copulam.

In his

In his non videtur anima parere corpori morbos, niſi dum nimis in his, quæ ſunt extra ſe, & corpus, ſtudet, corporiſque ſalutem negligit. Propter gloriam enim laboribus, & vulneribus ipſum obiiciunt. Cùm autem corporis ſaluti, & pulchritudini dedicat, non eſt ægritudinis cauſa: niſi ignoranter putet prodeſſe nunquam laborare, aut aliquid vnde marceſcit corpus: in cunctis tamen mortem ſibi æternam parat, ac proinde corpori, vt ſacra Theologia rationabiliter docet. Si peccatum eſt contra media, videlicet contra affectiones, & operationes, & obiecta; vtendo illis minùs, aut plus, quam confert fini, palam eſt quòd infirmitates producit.

7 Sunt autem volitiui affectiones amor, & odium, quæ dum obiecta ſunt præſentia, ſunt voluptas, & dolor: dum abſunt, deſiderium, & abominatio. Obiecta ſunt ſummum bonum, & ſummum malum: videlicet vita æterna, & mors æterna, & media bona, & mala, vt ipſamet mens, & corpus, vt vxor, & filij, & res familiaris, & Reſpublica, & honor, & venus, & cibus, & amici, & proximi. Horum omnium & amor, & odium, eſt virtus & ſanitas, dum regulantur erga ſummum bonum: ægritudo verò vitiúmque dum exorbitant. Sanctitas eſt erga finem, ſanitas & medela: circa ſe, & natos & vxorem charitas: erga parentes, pietas: erga Rempublicam, iuſtitia: erga rem familiarem, liberalitas: erga acquiſitionem eius, ſolertia: erga amicos alióſque homines, beneuolentia, & beneficentia, gratitudo, æqualitas, manſuetudo: erga ipſorum bona, benignitas, & æmulatio. In conuerſatione hilaritas, veracitas: erga alimentum, & venerem ſobrietas, & caſtitas: erga honores, magnanimitas. De quibus omnibus aliiſque morbis, medeliſque dictum eſt in ſecunda parte Philoſophiæ realis, & in Theologia noſtra.

De morbis & ſanitatibus appetitiui.

8 Intellectiui ſunt ſcientia, & ignorantia: credulitas, & incredulitas: ſagacitas, & ſtupiditas: memoria, & obliuio: acumen, & obtuſitas: dicere, & occultare: decipere, & docere: animaduertere, & inanimaduertentia: ordinare, & inordinare.

De intellectiui vitiis, morbis, ſalute, & remedio.

Primum par prudentia curat, medicatúrque per notitiam rerum diuinarum, phyſicarum, metaphyſicarum, & moralium.

Secundum fides, & hiſtoriographia benè examinata. Ter-

tium,quia eſt in ſenſibus corporatis,medicina phyſica etiam curat & exercitatio Quartum & medicina, & ars memorandi per locos, & res exteriores, quæ magis imprimunt. Quintum Logica, & Mathematica multum iuuant. Sextum Grammatica, Rhetorica, & Poëtica Septimum veracitas,& iuſtitia. Octauum vigilantia, & diſciplina. Nonum,quod eſt perplexitas, & præuolatio in ratiocinando, & deliberando, curat propriè Logica & Conſilium. Decimum,delirium ſcilicet, furorem; quoniam non fit, niſi copula ſpiritus animalis, huius curatio mox ſedabit. Horum obiecta ſunt verum, & falſum.

Idem in poteſtatiui morbis, ſalute remediis.

9 Poteſtatiui ſunt debilitas, & ferocitas: promptitudo, & lentor: velocitas, & tarditas: rigiditas, & mollitia: obſtinatio,& inſtabilitas: audacia, & timor: pudor, & impudentia: præſumptio, & deſperatio: diffidentia,& paruipenſio: ira, & pauor: crudelitas, & miſericordia: aggreſſio, & fuga: impatientia,& actiuitas: facere, & deficere: motus,& quies: imperare, & ſubiici: committere, & omittere: acedia, & pernicitas: agere, & pati:labor, & ocium. Horum obiecta ſunt poſſibile,& impoſſibile: facile,& difficile. Primum regulat,& medicatur ſtrenuitas. II.alacritas.III.opportunitas.IV.attēperatio.V.perſeuerãtia.VI.fortitudo,verecundia.VII.ſpes.VIII. fiducia,& confidentia.IX.manſuetudo,& mititas.X.clementia.XI. etiam fortitudo XII. tolerãtia.XIII.ſolertia mechanica, & artificia. XIV. exercitia. XV. ſublimitas,& obedientia. XVI. ſedulitas, & tempeſtiuitas. XVII. robur & reſiſtentia. XVIII. exercitium.

Paſſionẽ primalitatum entis, ſalubre nonentis morboſa de phyſicis, & moralibus.

10 Verùm enim verò quoniam mens finita eſt: non ex potentia, ſapientia, & amore tantùm conſtituitur; ſed etiam ex impotentia, inſipientia, & diſamore: idcircò aliæ ſunt paſſiones ex nimio participio primalitatum non-entis; aliæ ex entis, & in illis eſt culpa phyſica, ſed moralis dum non quantum, & quomodo ad finem conſequendum opus eſt exercentur. Si ergo debilitas eſt phyſica culpa, & ægritudo, ſimiliter tarditas, mollities, & huiuſmodi: tamen robuſtitas, velocitas, & vigor; quoniam participium entis denotant, ſunt ſanitates: at non in homine, niſi cum menſura ad illum conſequendum, & qui naturaliter habent illam menſuram, vt qui ſunt ſtrenui, & fortes quantum eſt opus: peccant quando

non

non vtuntur, ſicuti opus eſt: qui autem non habent, peccant ſi non curant habere, & actus ſuos ad finem virtuosè dirigere. Nam etſi non poſſit ex vi caloris, iracundus fieri manſuetus, tamen cum per intellectum ſciat eſſe vitium iracundiam, debet velle eius correctionem, & ſe corrigere, vel corrigenti obtemperare; qui vtitur lege pro Reipublicæ medicina. Habemus autem in communi quod priuatim deeſt. Sunt etiam medicinæ corporales adhibendæ, ſicuti contra calorem libidinis S. Franciſcus adhibebat niuē pudendis partibus. Vitium ergo morale nullum eſt, niſi acceſſerit voluntas conſentiens. Phyſica autem vitia ſunt in poteſtatiuo, & intellectiuo: regulam & medelam nouit intellectus vel per ſe, vel ex finis ratione: vel à philoſophia, vel à lege humana, vel diuina. Voluntas illam appetit: poteſtas illam capeſſit.

11 Aliud eſt vitium, aliud morbus, vt Ptolemæus notat, in corpore. Vitium enim ſemel inflictum, aut innatum durat ſemper, nec dolores affert poſt primum, vt claudicatio, gibboſitas, cæcitas. Morbus verò non durat, & dolorem affert inceſſanter, vt febris, apoſtema, catarrhus. Sic eſt in anima vitium durans, nec diſplicentiam faciens: morbus eſt omnis actus peccaminoſus, qui tranſit actu, & remanet ſolum reatu. Vitiis & morbis animæ per Ethicam, Politicam, Oeconomicam, & Theologiam occurrimus. Nunc Corporis per artem præſentem.

Diſtinctio inter vitium, & morbum phyſicum.

12 Omne vitium, & morbus animæ redundat in corpus in præſenti vita, vel in altera poſt reſurrectionem, vt Theologia docet: ſed in præſenti vita ea ſolùm quæ corporis curam impediunt, non quæ corporis amore contrahuntur, niſi nimium adſit: vt qui plurimum voluptatis in venereo actu captat, vires effundit. Et hæc mens per ſe non cupit, ſed ex vnione ſpiritus animalis.

De Spiritus conſtitutione, functionibus, & læſionibus.

Capvt III. Artic. I.

1 Conſtituitur Spiritus ex poteſtatiuo, cognoſcitiuo, & volitiuo inferioris ordinis, nec puris, ſed corporatis; nam

Essentiatio spiritus animali, eius mortalitatem indicat, ergo & vitiorum & morborum capax, & quomodo.

nam ex tenuissimo corpore, lucido, & calido, mobili, potente, sentiente, & appetente essentiatur; idcircò mortalis est, quoniam primalitates à corpulentia possunt sciungi: similiter calor potest extingui, & tenuitas incrassari, motus cohiberi, & lux fœdari. Quoties igitur aliquid horum inest ex parte, vitium est: quoties accidit ex parte, morbus; quoties omninò, mors; quæ facillima est, vbi omnia simul: sicuti si ex vapore carbonis crasso incrassetur eius tenuitas, & motus, ex eorum nigrore fuscatur luciditas; & prior sensus desinit esse; & calor in aliam temperiem transit per alium essendi modum, & motionis peruersionem: tunc mens ab eo obiecta scientiarum non ampliùs habet, nec motiones corpus: & perit cohabitatio.

2 Ex vnitissima materia, quæ ex hoc est dura, densa, spissa, crassa, siccáque: si quid expandatur vi actiua, fit lenta: deinde mollis: deinde viscosa: deinde lubrica: mox fluida: mox liquida: deinde vaporosa: deinde tenuis, & è conuerso: omnes autem partes compositi corporis, aliqua, vna, vel pluribus harum dispositionum constant: spiritus enim tenuitate maxima stat: durities enim in osse: lentor in cartilagine: tenacitas in neruo: mollities in carne: viscositas in tendonibus; lubricositas in atrabili: fluor in sanguine: liquor in sero: vapor in flatu: tenuitas in spiritu; magis patent. Media extremis participant suis.

De Cognitione Spiritus functionibúsque.

ARTIC. II.

Triplex functio spiritus.

1 FVnctiones Spiritus sunt cognitio sensibilium, & motio corporis, & calefactio: & quicquid motione fit, calefactionéque.

2 Cognitio fit in passione, dum in tenuitate facilè passibili mouetur, aut in luce fœdatur, clarificatúrque, & in motu impeditur iuuare: fit etiam iudicio per primalitates, dum de inferentibus obiectis passiones hasce, mox iudicat per eas: sicut enim afficitur, sic iudicat: vt calidum iudicat per id à quo calefit. Dum autem passiones illatæ sunt vehementes, alienant spiritum à sua parum natura, vel penitus, id est corrumpunt;

rumpunt; & iudicium animale non sequitur; sed aliud, quod nostrum non est, sed illius entis in quod mutamur.

3 Sunt autem cognitiones exteriores, tactus, gustus, olfactus, auditus, & visus, quæ ex spiritus implantati passionibus originem habent.

4 Remansio autem earum in spiritu, est memoria, recolitio, reminiscentia. Fit etiam discursus, dum ex notis ignota cognoscit; & imaginatio, dum nouas notiones ex dictis fabricatur. Fides autem, dum alterius sensui consentit; de quibus dictum est in Phys.

5 Ex his notionibus sequuntur affectiones, prout benè, vel malè mouentur, hoc est seruatur, vel destruitur, ex toto, vel ex parte; Amor, odium, voluptas, dolor, desiderium, auersio, gaudium, mœror, risus, lacrymatio: & omnes mentis affectus, & notiones, sunt spiritui communes, vel participabiles, similiter illæ, quæ in potestatiuo mentis.

6 Eundem esse spiritum animalē, vitalem, & naturalem probauimus; nec tres sedes habere caput, cor, iecur; sed vnam caput: cæteras esse officinas, vti ventriculum, cor, epar; aut vias, & funes, vt neruos fibrásque: capútque esse neruorum, ossium, venarum, & arteriarum principium, licèt alibi plus dilatentur, & crassescant ob vsus varios. Vide quæst. phys.

7 Liber spiritus dicitur, qui habitat in cerebro, & per neruosum genus inambulans, foras, intróque, vigilias faciens, somnúmque, & alienationes: & hic iudicat de cunctis obiectis, nec animal nisi hoc animasticè. Spiritus implantatus dicitur, qui in fibris carnis, corij, sanguinis, &c. detinetur: qui passione vrgente mouetur, sentítque operatúrque: nec eius sensus semper spiritui libero communicatur, vt patet in dormientis, aut aliud attendentis, punctura, & passione.

De Motiuis Spiritus functionibus.

Artic. III.

1 MOtio autem fit impulsione, retractione, & vertigine, quæ ex eis componitur. Impellit autem vis caloris facilè tenuitatem Spiritus, quorsum affecti vna prædictarum fert, ex aliqua notionum prædictarum nascens, & eo simul

Omnis motus à spiritus vi vt potestatiuus est: incipit. n. ab obiecto illata

Passio in potestatiuo. ex passione iudicat ex obiecto cognoscitiuo: ex cognitione oritur affectio erga vel contra obiectum. ex affectione rursus potestatiuum caloris mouet: iudicium dirigit motum: affectio propendet in obiectum, ad quod est motio.

Læsio caloris & tenuitatis & instrumenti motum lædunt.

mul corpus torpidum fert. Patet autem quod mouet spiritus manum contra hostem, quo ipsum vindictæ amor fert. Amor autem vindictæ ex notitia hostilitatis nascitur. Notitia autem ex obiecto non fit, sed specificatur: non enim lapis causat sui cognitionem ipse non cognoscens, sed mouet actione spiritum, vt aduertat, & iudicet: iudicium autem inest, quia potest hoc anima. Quapropter læsio potestatiui, aut cognoscitiui, aut appetitiui lædit motionem causaliter: lædit autem essentialiter læsio executiui principalis, vt si tenuitas, & calor lædantur, & vis motiua spiritus, quæ est potestatiui ad extra respicientis; aut læsio instrumenti; vt si neruus, per quem spiritus impetum faciens inambulat. Spiritus enim intra neruos & fibras retinetur, & intra cerebrum eorum principium: vnde excurrens sensum, vigiliam, & motum dat corpori: rediens verò somnum, & quietem, & insensibilitatem.

Triplex motus in corpore, naturalis, arbitrarius, ac medius.

2 Sunt autem motus alij arbitrarij, qui fiunt, & cessant ad animi arbitrium: vt ambulatio, cursus, membrorum motio: quæ durat quantum est opus ad finem quo fit. Alij dicuntur naturales, vt pulsatio venarum, coctio ciborum, digestio, egestio, nutritio, & huiusmodi, qui non possunt sisti, vbi cœperint, quoniam necessarij sunt naturæ: nec à spiritu libero fiunt, sed stimulato sanguine, aut fuliginibus. Alij medij, vt respiratio, quæ potest arbitrio sisti parum, sed non multum, & omninò: quoniam non est nutritioni immediatè, sed accensioni caloris in corde, necessarius. Fortè nec potest, quoniam vrget stimulus aëris introducti, aut vacuitatis appetentis aëre impleri. Vtrum omnes fiant stimulo, & quot sint functiones spiritus, postea. Spiritus ergo priùs patitur, vel imaginatur ex passionibus præuiis; deinde iudicat de obiecto, passiones inferente: tertiò afficitur benè, vel malè erga obiectum: & tandem mouet se atque statuam ad consequendum, vel fugandum obiectum; vel fugiendum declinandúmque.

De Humorum conſtitutione, vſu, ſpeciebus, noxa generatim.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 HVmores plures, atque fluores in homine ſunt: ſed vnus modo princeps, qui ſeruit, vt ſubſtantia nutritionis ſolidarum partium, & ſpirituum, compaginans vtrumque, vt medium neceſſarium; videlicet ſanguis; cuius ex cibo continua eſt generatio, ſicuti ex ſanguine ſpiritus, quia volatilis eſt præ cunctis partibus, inceſſanter alitur, vt flamma lucernæ ex oleo; corpus ſolidum etiam alitur ex craſſioribus non ita velociter, etſi indeſinenter; quoniam indeſinenter etiam à calore egrediente per poros, idcircò factos, minuitur.

Vnus humor princeps, ex quo ſpiritus & ſolidum alitur.

2 Alij humores ſunt ſanguinis excrementa, & comites auxiliarij; aut nec comites, ſed aliundè fiunt. Nec vllus habet ſanguinis vſum, hoc eſt corporis, & ſpirituum nutritionem, ſed partium modò, in quibus locantur, aut ſeruiunt motui corporis, aut tranſmiſſioni ſanguinis: vt atra bilis ſtimulat ad famem, & ad contemplationem, & eſt duplex, altera concreſcens, altera minimè, vt in 6. lib.

Alij humores vſum ſanguinis non habent, potius autem ſunt excrementa.

3 Siquidem atra bilis, quæ & melancholia dicitur, eſt fæx ſanguinis atra craſſaque, & quaſi ſedimentum aduſtionis, & concoctionis, quod anima expurgando ſanguinem in lienem ſequeſtrat, ſicut in vaſe impuro & in cloaca.

Quid atra bilis, & eius vſus.

4 Cholera verò, quæ & flaua bilis, eſt ſpuma coctionis pertenuis, & facilè accendibilis, & ſequeſtratur in veſicam ſub epate, exinde in inteſtinum expellenda, ſtimulat ſpiritum ad purgandum excrementum, & ad iram.

Cholera ac eius vſus.

5 Vrina verò eſt quaſi ſanguinis ſerum, & ex aqueis cibi partibus fit: vtiliſque eſt, vt ſanguis, qui craſſior eſt, poſſit ex iecore per venas tranſmandari, quo peracto vſu ad renes vnà cum cineribus cocturæ ſanguinis, perducitur, & ſtillatur in veſicam, inde expellenda: cineres verò nutriunt renes, vt bilis atra lienem, & flaua fel; non autem alias partes.

De vrina eiuſque vſu.

6 Phlegma eſt ſanguis ipſe, non bene coctus, ita vt rubeſcat abſceſſu partium mobilium; & cum ſanguine reperitur.

Phlegma.

7 Semen verò eſt ſanguis amplius coctus, & elaboratus in vaſis ſpermaticis, & albeſcens, eo calore, qui exhalare nequit:

Semen.

ideóque mordax & pruriens ad libidinem: nec generatur nisi perfecto robore hominis: nutriuntur ex eo testiculi, nerui, & partes albæ corporis.

Medulla. 8 Medulla est pinguior pars sanguinis, & tenuior, secum afferens atomas partes duriusculas, ossa ingrediens, vt ex eis alantur.

De rore & eius vsu. 9 Pars seri misti pinguedine cum sanguine ex venis per medias exudans fibras retinet carnes, & neruos, & ossa, quasi rore perfusos, madidósque, vt sint ad motum prompti, & non arescant, & rumpantur: quemadmodum mobilibus machinis ligneis, & ferreis apponimus sebum, & oleum: carnes cum fibrosæ sint indigent ne arescant, vtque nutriantur, & spiritus non terantur. Et fit talis humor ex sanguine, vel cum sanguine, vel potius ex vaporibus exeuntibus ab intestinis, & aliis visceribus: qui cohibiti exire vertuntur in rorem. Manifestum est autem, quod ex putridis geniti rebus vapores per carnes transpirantes putredinem olent: alij aliud.

De rore pericardij. 10 Vapor autem ex corde exhalans, à pericardio cohibitus, in aquam vertitur circa cor retentam, ne sua perenni motione cor arescat, & cinerescat.

De fluxoribus in capite generatis, & eorum vsu, ac noxa. 11 Humores quoque in capite generantur ex vaporibus coërcitis, sicuti ex fumo in ollæ operculo fit aqua stillans, & in laquearibus balneorum. Vapores autem ex toto corpore in caput ascendunt: maximè autem ex ventriculo: & per nares ex aëre crasso spirantibus austris: & horum non modicus, aut nullus est vsus. Oportet enim cerebri cauitates non exiccari, vt mollem tenuissimo spiritui habitationem præbeant, commodámque; non autem multum, ne impediant habitationem, & obstruant neruorum ex cerebro deductorum vias, & spinæ, & sensoriorum: idcirco per aures, & nares verrit talia excrementa spiritus. Plurimi tamen descendunt in pectus, causántque morbos: vbi plusquam pulmonis, & arteriæ, & musculorum lenitioni opus est distillat. Qui autem inter corium, & carnes, & inter musculos, & neruos, & ossa dilabuntur, vngunt statuam ad motum, vt sit agilis, & vasa non rumpantur: at cum plus iusto, morbos ex distillatione pariunt. Humores isti sub pituitæ nomine comprehenduntur.

De sputo. 12 Vapores verò in concauum oris delati, in humorem vertuntur: qui agitatus à respiratione, & motu linguæ fit

ampulo

ampullosus; ídque est sputum, linguæ motui, & gustationi commodum, vt in Phys. dictum est.

13 Quapropter non vnius generis sunt humores: neque fiunt omnes ex cibo liquefacto, sed alij ex vapore; & qui ex cibo alij excrementitij, alij substantiales, vt dictum est, diuersósque habent vsus; quorum læsio est ægritudo. *Corollar.*

14 Fiunt alij fluores in ventriculo ex vaporibus ventriculi, qui admixti fluoribus ex cibi reliquiis, & crassitie ortis efficiunt fluores varios; quos vno nomine phlegma dicunt Medici: sed profectò phlegma est crudus sanguis; hi sunt alterius substantiæ: alij vitrum referunt liquefactum, alij aquam crassam & dulcem, alij salsam, alij acetosam. *De pituita ventriculi multiplici.*

15 Multiformis etiam bilis generatio: alia enim flaua, alia rubra, alia crocea; vt videas imperitè Medicos quatuor humores quatuor elementis tribuisse: cum innumeri humores substantia, generatione, & vsu, & colore, & sapore, & consistentia, differentes sint: vt non nisi violenter trahant quatuor humores ad quatuor elementa: cum omnes sint calidi à calore geniti ex materia magis minúsve crassa, magis minúsque robusto, citiùs aut diutiùs agente. *De bili multiplici. Non quatuor tantùm, sed plures humores specie differentes.*

16 Hos enim probauimus ab vno calore variis viribus agente, ex dissimilaribus materiebus, in locis variis varios gigni humores: omnes calidos secundum magis, & minus: dicique alios frigidos, & siccos aliorum respectu, non essentialiter. Atra enim bilis crassior est, ideóque sicca dicitur, cum tamen fluat: frigida verò, quia minus in ea caloris: & tamen Galenus, & Aristot. ponunt melancholiam frigidam, & calidam, & tenuem, & crassam & omnes huiusmodi humores. Dicunt siccam ab effectu bilem flauam, cùm tamen tenuior, ergo humidior: alioquin crassior esset nigra bili, si siccior; aut saltem crassior sanguine. Humiditas est materiæ expansio: & ideo non habet proprios terminos, & facile suscipit alienos. Vnde Arist. 2. *de gen. t. 9 & seq.* omne tenue, molle & vdum, & liquidum, est humidum. Siccitas verò est materiæ constrictio, ideóque terminos habet constantes: nec cedit in profundum, quia non potest amplius stringi, vnirique. Itaque crassum, durum, cõgelatum, aridum sunt sicca secundũ magis ac minus. Medicus autem loquitur de his secundùm nos, non secundũ naturã, cui aer humidior aquis. De his in quæst. Phys.

17. Præterea ruditer humores dantur 4. elementis, sed vni verè humor & solus, id est, aqua: solidum terræ: spiritus aëri, seu cælo, assignari deberent iuxta ipsorum dogma. Nobis autem qui fiant ex dictis innotuit. & in Physs.

De Humorum originibus, & constitutione.

Artic. II.

Ex muliebri sanguine exsucto concretóque primum fiunt vasa sanguinea fœtus: sicut ex semine alba exãguiáque, deinde nutritio.

1 Sanguis ante natiuitatem trahitur per vmbilicum ex matrice super dexteram ventriculi partem, vbi concrescit in iecur, gibbosum, cauúmque, innexum venis à cerebro exortis, vbique ad hauriendum sanguinem delatis: in quo mox sanguis fœmineus succedens melioratur, purgatúrque excrementis, id est fæcibus, spuma, & cinere rursus: & per cauam venam deductus exudans corpus in carnem actus vestit, nutrítque.

De lacte nutrimento post natiuitatem.

2 Post natiuitatem verò ex lacte, qui sanguis est albus, ex coctura intra mammillas non sinentes tenuitatem deduci: idcircò similis est priori purgato sanguini muliebri in iecore fœtus: nam insuper in vẽtriculo coctus sequestratur à fæcibus, cum ex intestinis per venas mesa·aicas ad iecur trahitur; vbi minori indiget purgatione: proptereáque pueris parum melancholici, & cholerici humoris inest, serum tamen mediocre: postmodum ex cibo cocto in ventriculo maceratóque & in intestina educto trahitur succus per mesaraicas venas, in sanguinem vertendus ab epate.

De cibo tertio nutrimento.

Coroll. de origine, substantia, & partibus sanguinis.

3 Quapropter non est sanguis ex vapore condensato sicut aqua genitus, sed ex colliquato cibo: constátque fibris, liquore, & lubricositate, & spiritu, & calore, qui consequens edecénsque tenuitatem albam patefacit ex parte materiæ faciem, ideóque succum efficit rubrum, & dissimilarem, & subdulcem. Palam est autem, quod emissus in vas vitreum abeunte calore induratur: sicut vitrum liquidum ab igne amotum: & pars liquida serosa supernatat, cæteræ concrescunt; & si coquantur, nigrescunt magis. Sed minus nigrescit melior sanguis, quoniam minus crassitici, & impuritatis habet, & minus dissimilaritatis. Sanguis puerorum blando genitus calore in blando iecore liquidior, & magis puniceus, dulcior,

Quorum qui sanguis, & qui bonus, & qui prauus.

dulcior, & similarior. Senum vero craſſior, atrior, & diſſimilarior, & amarior. Vt enim dicimus in Phyſ. calor blandus è re craſſa, incluſus in anguſto, fluores facit ſimilariores: non enim educit portiunculas minùs reſiſtentes ſuæ actioni. Itaque hæ miſt craſſis diſponunt ſimul ad fluiditatem meliorem. Magnus autem calor partes non reſiſtentes attenuat valdè, educítque: cæteras ſemieductas mox fundit in fluorem atrum duriuſculum, ideóque ſubamarum: cum autem calor fuerit grandis, & cibus non craſſus, aqueum facit ſanguinem, vti calor ceruinus, non autem leoninus, quoniam carnibus validis, & non flaccidis veſcitur herbis: vnde aiunt cerui ſanguinem non indurari.

Cùm igitur in ſanguine humano deeſt color puniceus, & conſiſtentia ineſt parum atra, aut ſerum, aut fibræ, vel immutata apparent; ægritudinem indicant in epate: & mox in partibus nutritis tali prauo ſucco eam expectes licet.

4 Sanguis autem arterialis, qui in corde fit ex ſanguine venali, pulmone inſpirante, & calore coquente, rubicundior eſt, tenuior, & ſpiritibus plenus; qui pulſant in arteriis, vt ſpiritum generent, & craſſiuſculas partes per fibras expellant, ad carnis calefactionem, & nutritionem, abſolutionem, miſcétque ideò ſe ſanguini venali: has ob cauſas purgatior etiam apparet fuliginum abſceſſu, & viuidior: quæ cum deſunt notæ, adeſt morbus. *De ſanguine arteriali.*

5 Atra bilis craſſior, nigrior, & amarior, ex coctura tamen ſequenti in liene, quoniam partes tenuiuſculæ, aculeatæ, ingenerantur, fit acida aliquo pacto, commodáque ad famem ciendam. Item craſſities eius maceratur ex non exhalante calore, & fit melancholia lubrica duritiem abſceſſu caloris non ſortiens, vti ſanguis ſortitur. *De duplicis atra bilis cauſa, & vi.*

6 Flaua ex multa coctura amarior; multum enim caloris in ea: & tenuior ſanguine, & ſimilarior: eſt enim eius ſpuma. Proptereáque nec concreſcit abeunte calore in vas emiſſa, & cum abundat in felle emittitur in inteſtina, quorum ſpiritus ea amaricatus, vt amoliatur amarorem excrementa expellit prima cibi. *De flaua bili.*

7 Pituita, quæ non eſt crudus ſanguis, in ventriculo, & capite genita, inſipida, & ſubdulcis eſt; quæ tamen coquitur ſalleſcit, & pernicioſa fit. Alba tamen omnis inſtar aquæ, & *De pituita.*

oui

oui albuminis in consistentia aliquando densior, aliquando fluidior: habétque indicationem non minus atque vrina scientibus artem; de qua posterius.

De vsibus Humorum speciatim.

ARTIC. III.

De vsu sanguinis. 1 FVnctio sanguinis generalis est nutritio omnium corporis partium: in omnes enim aptus est verti, cum ad eas per venas distribuitur, & calore particularium nutribilium iis assimilatur; quod cum non fit, pessimus est animali.

De vsu cholere. 2 Vsus choleræ est ad expulsionem excrementorum priorum stimulatio. Item ad iram ciendam vti is est: ideóque in paruulis minor ira.

De vsu atra bilis. 3 Atræ bilis vsus est stimulus ad famem; & cum opus est timorem excitat, vt animal sibi caueat. Ad contemplationem si modica, est apta, non quia ipsa est sciens, & prophetans, & meditans, aut huiusmodi rerum causa; vt malè Aristoteles & Galenus, & alij imaginantur; propterea quod atrabiliosos sapientiæ, & prophetiæ aptos, & sibyllas, & huiusmodi, obseruarunt: quomodo enim res stupida sapientiam pariat? Sed quoniam vbi est bilis atra indicium est caloris adurentis; qui spiritus tenues producit, aptos passioni præcedenti notiones. Ligna enim vbi vsta bene fuerint, flammulam tenuem reddunt; vbi minus, fumosam, crassam, magnam. De his in libro de sensu rerum. Prodest tamen fuligo ad reuocandum spiritum ab externis negotiis ad interna; & sic per accidens aliquando est contemplationis causa. Sed si fuerit multa obnubilat spiritum, & terret; & discursum intercipit, notionésque turbat; & ignorantissimi sunt huiusmodi homines, quales Æthiopes, & qui sub tropicis degunt: viribus quoque exhausti, acuti ad sentiendum, non ad iudicandum. Econtra Boreales crasso, multóque spiritu præditi, sunt stupidi ad sentiendum, laboriosi ad quæritandum, non satis apti ad iudicium nisi mechanicum: viribusque validi. Medij optimi, quoniam minus fuliginis, & multa his spiritus tenuitas, & puritas. Aliorum humorum vsus ex dictis patent.

Contra Arist. probl sect. 30.

Quomodo dissimulat, & quos ad mores.

De solidarum partium multiplici distinctione, & vsu, & triplicibus organis.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 SOlida portio hominis vnitissima mole constans, quæ commune nomen corporis sibi applicauit, & appropriauit; estque vas & organum aliarum: potest & in speciales partes, & in integrales distingui. Primo modo in ossa, neruos, cartilagines, membranas, carnem, adipem, venas, & arterias, & viscera; quarum alia carnosa, alia membranosa, alia mista. Ossium vsus est sustentare totam statuam, vt basis intranea partium, & defendere. Neruorum colligare, & viam spiritibus dare, & retinere. Membranarum ambire intus, & extra: nam & corium membranosi est generis. Carnis adimplere omnes inter se partes, & tueri, & stramentum esse ne lædantur ad inuicem, & rebus ab externis. Adipis vngere ad motum: & blandum operimentum præbere vitalibus. Venarum, & arteriarum sanguinem per totum corpus distribuere ad nutritionem. Viscera verò ad nutriendum dicantur. Oesophagus ad hauriendum. Ventriculus ad coquendum. Intestina ad destillandum, & ad sequestrandum proficuum ab inutili. Iecur ad sanguinem ex vtili producendum. Fel, & lien, & renes ad fæces attrahendum tanquam in depositorium, ne cum sanguine simul ferantur ad nutriendũ: ac simul deprauent ipsum, & nutribiles partes. Vesica ad vrinam emittendam, & continendam: donec multa congregetur, nec continuo mingere sit opus. Intestinum inferius ad fæces primas tenendas, & expellendas. Cor ad attenuandum sanguinem in spiritus alimoniam, & corporis nutritionis vitalitatem. Pulmo ad retinendum, & vt follis excitandum, & fouendum calorem cordis; & spiritus generationem ampliandam, iuuandamque.

Distinctio solidarum partium.

Vsus solidarum specierum.

2 Secundo modo potest, vel in compositionis partes distingui primas, vel in organa, quatenus est organicum. Primò secatur in viscera, & statuam. Statua diuiditur in caput, vbi est spiritus habitatio; & collum, quod cònnectit caput busto siue trunco; & pectus habitaculum cordis, & humores: brachia, & manus, instrumenta operationum externarum; & in ventrem

inferiorem carentem coſtis, habitaculum inteſtinorum; & in coxendices, crura, & pedes, inſtrumenta motus, & baſes ſtatuæ.

Secundo iterum ſecatur in organa cognitiuæ virtutis, in organa appetitiuæ: & in organa poteſtatiuæ.

De Organis cognoſcitiuæ.

ARTIC. II.

De ſenſatione interiori.

1 ORgana cognoſcitiuæ ſunt lingua, nares, oculi, aures: per quas partes ſpecialia obiecta anima cognoſcens apprehendit: ſenſus enim tactus non habet organum ſpeciale, ſed toto eſt in corpore, quoniam totum eo indiget. Cerebrum eſt organum ſentientis ſpiritus tanquam habitatio: non tanquam ſenſibilia, aut cognoſcibilia tenens, aut parans obiecta. Fiunt tamen in eo ſenſationes interiores, vt imaginatio, ratiocinatio, memoratio, iudicium, & aliæ operationes: de quibus in Phyſ. Sed horum nullo pacto eſt organum, ſed ſedes commoda cerebrum. Læſio autem cerebri has functiones non lædit, niſi lædatur ſpiritus etiam inhabitans; ſed impedit. Dum enim eius afflictioni medetur, ſpiritus impeditur à ſuis functionibus; quod etiam accidit illi, ſi lædatur vterus in hyſtericis mulieribus: aut alia pars valdè, ad quam iuuandam ſpiritum oporteat accurrere: & in hoc grauiter errant Medici vulgares.

Cerebrum habitaculum eſt ſentientis ſpiritus: Nec eius temperies eſt anima ſentiens, vt Galeno placet: ſed ſentienti accommodum.

De exteriori ſenſatione, ſenſoriiſque horumque vſu.

2 Vt autem poſſit ſpiritus memorari, & imaginari, & intelligere, & iudicare de his quæ vitæ proſunt, aut nocent, oportuit vias habere ex cerebro ad exteriora obiecta admittenda, cum quibus viuit, & exinde iudicanda: propterea quot à rebus in nos obiecta venire poſſunt vtilia cognitu, tot organa ſeu potius vias, ſibi parauit extrinſecus. Et quoniam aut aduenit ex rebus in nos lux colorata ipſarum colore, & per conſequens figurata, & quantificata: Aut aëris motus à rebus impreſſus: Aut vapor ſpontè exhalans, calore innato ad ſuam vniuerſitatem reducente inceſſanter: Aut ſubſtantia tenuis vna cum craſſa comminuta: Aut actiua vis calor, & frigus: Propterea ad lucem, & illuminata admittenda factus eſt oculus: ad motum, auris: ad vaporem, naſus: ad ſub-

ſtantiam

ſtantiam agentem ſimul cum mole, lingua: ad vires actiuas tactus, qui non eſt organum ſpeciale: ſed corpus totum tangit, & ſentit calorem, & frigus per ſe: tenuitatem, & craſſitiem, & ipſorum media, & aſſeclas; videlicet, lentorem, mollitiem, viſcoſitatem, lubricoſitatem, fluorem, liquorem, & vaporem, grauitatem, & leuitatem per accidens: & ſenſato diſcurſu quodam, quoniam totum corpus tactione indiget: licet alibi plùs, alibi minùs: nullibi tamen nihil. Nec enim pilus, & os non ſentit, vt putat Ariſtoteles, & aliquando Galenus: ſed non communicat ſenſationem ſuam cum ſpiritus vniuerſitate; ſicut dormientis manus puncta ſentit implantato ſenſu: ſed non communicat ſpiritui libero intra cerebrum regreſſo, ſuam paſſionem: nec proinde menti, vt oſtendimus in lib. de ſenſu rerum.

Omnis ſenſus fit actione & paſſione propria: ergo tactione: non enim fit actio, & paſſio niſi per contactum. Omnis ergo ſenſus eſt aliqualis tactus, vt in Phyſ.

3 Omne organum habet potentiam principalem, & liberam ab organo in ſpiritu, qui ex cerebro fertur in ipſum. Vnde abeunte ſpiritu, vel diſtracto, vel dormiente, apertus oculus non videt; nec auris audit. Habet etiam potentiam inſtrumentalem, quæ in ſubſtantia, & fabrica inſtrumentali conſiſtit, & habet obiectum, cuius gratia fabricatur, ſic & non aliter organum: & ad quod refertur.

Tria requiruntur ad poteſtationem, ad ſenſationem, & appetitionem: ſcil. vis, inſtrumentum, & obiectum.

Vis non eſt forma inſtrumenti, ſed in ſpiritu.

4 Propterea oculus ex membrana ſuccingente, & egreſſa, vt marſupij fundus, ſub frontis cauitates, in globúmque acta tranſpicuum, velut cornu; quatenus lucem admitteret; effictus eſt, ſortitúſque humorem aqueum intra corneam, vbi lux multiplicetur, ac ſimul illuſtrata obiecta. In quo aqueo pendet ex interiori medio corneæ membrana vuea perforata, quæ dilatatur ac ſtringitur neruulo quodam ad plus, minúſque lucis accipiendum. Et in centro ſtat cryſtallinus humor concretus, lentis formam habens: in quo recipitur obiectum. Poſt cryſtallinum vitreus humor fluidior implet dimidium interius membranæ: quo fluore ibi præparato quaſi alimento totus nutritur oculus. Ab initio cerebri nerui optici decuſſatim ad vtroſque oculos exeunt, ferentes ſpiritum: qui videt in cryſtallo res à luce, quæ omnium colore tingitur, ac proinde figura, delatas, dum lux ſpiritus luce tincta afficitur,

De viſorij fabrica & partium ipſius vſu.

citur, fitque illi ſimilis: non enim fit ſenſus niſi per aſſimilationem: qua facta per potentiam receptiuam ſentit, & iudicat ſenſitiua de obiecto: ſicuti manus ſentit calorem quando calida fit, ſimilis ſcilicet calefacienti.

De auditorij fabrica, partibus, & vſu.

5 Auris ex cartilagine extra tempora porrecta, & in cochleæ formam acta, vt aërem motum percipiat: qui quatenus fit, dicitur motus: quatenus ſentitur, dicitur ſonus; & vox effigiata eſt. In cuius centro eſt tympanum implantato aëre plenum: ad quem per neruulos auditorios, ex cerebro deductos, ſpiritus cerebri egreditur ad percipiendum ſonum, quem aër motus in tympano facit per malleolum extrinſecus ad hunc vſum pendulum: ex quo ſonitu temporis ſucceſſu diſcit ſonantem rem. Infantes enim ſonum campanæ à ſono hominis, & fluuij, non diſcernunt, niſi poſt tempora. In ſpiritu ergo poteſtas auditiua princeps; in auribus forma inſtrumentalis, ſeu aditus.

De olfactorij fabrica, partibus, & vſu.

6 Naſus ex oſſe, in radice inchoatur; ex cartilagine completur triangulari, cum duobus foraminibus; vt vaporem ex rebus exhalantem, qui quatenus ſentitur, dicitur odor, percipiat: proptereáque habet in principio oſſeam ſpongiam, depurando odori aptam: & in ſuperiori ad frontem habet cauitatem aëre plenam & liquore, vt ibi multiplicetur odoris qualitas. Odoratorij nerui ab initio cerebri ſpiritum deferunt eoúſque; qui vapores affectus aſſimilatione tenuitatis cum tenuitate, & caloris, cum calore, ſentit ſubinde naturam vaporis, & rei vnde euaporauit: &, ſi benè afficitur, iudicat bonam ſuæ inſtaurationi: ſi malè, noxiam; eſt enim naſus probator ad linguam.

De guſtatorij vſu, &c.

7 Lingua verò ex ſpongioſa conſtat carne, & ſubcalloſa, vt intra ſui poros admittat vires intrinſecas rerum agentes ſimul cum mole imminuta, admiſſa intra poros. Tactus enim percipit etiam abſque mole; & id quod percipitur vt ſic, dicitur ſapor: per ſe autem eſt rei natiuus calor cum ſua mole ſimul agens. Spiritus autem, qui de cerebro per neruulos in linguam deſcendit: agnoſcit an ſubſtantia admiſta ſit nutritioni vtilis, an noxia; ex hoc, quod à ſuo ſapore ſeruatur, aut vexatur. Potentia principalis ergo in ſpiritu, inſtrumentalis in lingua: obiectum ſapor. Modus agendi eſt per intruſionem vis, & molis: ac proptereà in minutias agitur; & ſputo

quæ

quæ humida non ſunt, humectantur, vt poſſint intrudi, & guſtari.

8 Lingua autem non ſolùm ſentiendi eſt organum, ſed etiam manifeſtandi quod ſentimus, dum verberat figurátque expiratum aërem, inſtar eorum quæ annuncianda ſunt, vt in Phyſiologia docuimus. *Alter vſus.*

9 Videat ergo Medicus quid, in quo organo lædit morbus. *Admonitio.*

De Organis appetitoriis, & quòd anima ſentiens, appetens, & iraſcens non ſunt temperies cerebri, cordis, & iecoris; nec diſtinctæ loco; nec ſpiritus plures, ſed ſubſtantia vnus.

ARTIC. III.

1 IN eodem ſpiritu animali, in quo fiunt ſenſationes, fiunt appetitiones: neque enim appetit aliquid, qui non ſentit illud eſſe ſibi bonum, neque odit qui noxium ſibi eſſe non ſentit. Quapropter in Phyſiologia damnauimus Galenum appetitoriam animam ponentem in iecore, ſenſitiuam verò in cerebro; & poteſtatiuam in corde, ſpiritúſque ſimiliter diſtinguentem. Nam, quod peius eſt, ex temperiebus cerebri, & cordis, & iecoris facit tres animas, nullo quidem pacto faciendas. Ex inſenſatis enim elementis contemperatis non fit ſentiens, & appetens anima, ſed remiſſio, & diminutio ipſorum, & vnitio. Quod nec admittendum, dum contraria ſunt, & ad inuicem pugnant. Præterea animæ operationes extenduntur longè extra materiam per totum corpus, & foras: temperies autem ſuum ſubiectum in quo eſt, non excedit. Sed nec diuiſio iſta facienda erat; quoniam non appetit quod non ſentit: nec operatur poteſtatiuè, nec iraſcitur, quod non ſentit irritantem cauſam, quæ aliquando eſt ſola diſplicentia. Siquidem non quia nos verberat homo, iraſcimur, nec vlciſcimur contra patrem, aut medicum ſecantem vulnera, ſed contra eundem ſi nos contemnat, & vilipendat, vel ſolo ſputo ex contemptu lædat. Quapropter eadem videtur eſſe ſentiens, & appetens, & iraſcens anima. Nec ſubiecto differt: alioquin eſſet velut ſi quod ego ſentio, tu non ſentiens appeteres, & quod neque ſentit, nec appetit

Eadem vis poteſt, ſentit & appetit: non tres, vt Galeno ponuntur.

Prima ratio.

Vis in ſpiritu, non in viſcerum temperie eſt animaſtica. nec tres, ſed vna eſt anima.

Petrus amoliatur. Ast è contra vbi quid sentimus, statim appetimus, aut odimus: etenim, vt probauimus in Metaphys. ex potestate in anima emanat cognitiua, & ex vtrisque appetitiua, vti ex potentia, sapientia: & ex vtrisque amor in entibus.

Occurrit argumentis Galeni. Ad 1. Nec quia emaciatur animal iecore affecto, & debilitatur corde afflicto, & praue sentit cerebro vexato, sunt tres animæ: nam etiam ventriculo affecto, vel aliis membris etiam debilitatur, & emaciatur, & stupescit, & praue sentit animal. Nec quia appetimus quod ratio dictat non appetendum, & *Ad 2.* irascimur contra appetitum, & sæpè contra rationem; sunt tres contrariæ animæ: rationalis, appetitiua & irascibilis, vt concludit Plato, & Galenus: Nam hoc accidit, vt & S. August. contra Faustum monet, ex dubietate nata ex mistura obiectorum: nam intellectus etiam vnus cùm sit dubitat de veritate eiusdem obiecti: rapitúrque in contrarias opiniones interdum, non quia alius ipse sibi, sed quia obiecti conditiones aliter atque aliter illum afficiunt Quia ergo in eadem re bonum, & malum insunt, appetimus quod prodest bonum per appetentem vim, & respuimus per rationem non bonum, sed malum illi a ditum. Sic febriens ratione appetit frigi am, quo ardorem linguæ & stomachi temperet: & simul respuit, ex ratione dicente non bibendum, quoniam extinguitur calor pugnans contra morbum per frigus. Est etiam ex parte nostri, vbi alicui parti quid prodest, aliquibus *Quarta ratio contra Galen.* verò obest: & ex hoc appetimus, & odimus simul: & irascimur contra nos, dum nimis appetimus: & irascimur contra rationalem, dum negat appetitui satisfactionem. Et quidem cum potestas imperat non sequendum, statim placatur appetitio: quæ si esset insensata, vt videtur Galeno, nec ratione sua eri, nec ab imperio cohiberi posset, nisi per illatam vim: similiter nec irascibilis suasione placaretur. Solum ergo inter spiritum, & mentem est vera pugna, teste Apostolo; quoniam spiritus caduca obiecta, mens verò diuina cupit; de quibus in Phys. & Metaphys. Sed in mente sunt vnum realiter potestas, sapientia, & amor: & in spiritu vis, sensus, & appetitus: formaliter tamen differunt, vt ibi dictum est.

De

De Appetitoriis sine organo, & organicis.

ARTIC. IV.

1 QVemadmodum multa sentimus sine organo, & memoramus, & imaginamur, & discursu, & intellectione capimus, & iudicamus, spiritu in cellis cerebri hæc operante animaliter, & mente altius ac mentaliter: ita etiam multa appetimus sine organo, vt nummos, sapientiam, imperium, amicos, & de horum organis non est tractatio. *Possumus, sapimus, & volumus, multa sine organo. plurima verò per organa, & in organis.*

2 Correspondent sibi inuicem operationes sensus, & appetitus; siquidem hic ex illo oritur: ex sensatione in sentiente essentialitate nascitur propensio in appetente; & ex memoria in sentiente nascitur inhæsio in appetente, quando inhæremus appetitis; & ex discursu sentientis oritur desiderium appetentis. Sicuti enim discursus est de nóto ad ignotum agnoscendum via: ita de vna re appetita in aliam ambulamus consimilem nondum appetitam: & hic actus potest vocari desiderium. Item sicut in sentiente datur intellectio, quasi iaculum penetrans sensibile, aut intelligibile obiectum: [nam dicitur etiam de sensibilibus intellectio, vt ait Iob. *Quis dedit gallo intelligentiam?* licet sit propria mentis:] sic in appetente datur impetus, quo ad potiundum obiecto fertur, & sicut ad hoc ibi sequitur iudicium, quo subinde ita esse, vel non esse agnitum affirmat, vel negat: ita ex appetente sequitur deliberatio, ad quam sequitur electio, & reprobatio. Imaginationi tandem sentientis succedit velleitas appetentis: imaginamur enim componendo, & diuidendo, quæ non sunt vnita, nec diuisa; sic volumus velleitate, quæ non sunt volibilia aliquo pacto, & similiter refutamus. *Analogia sensationum & appetitionum.*

3 Organicæ autem appetitiones ad certa obiecta tendunt, non nisi per organicas potentias attingibilia. Organa appetitoria sunt consimilia sensoriis: secantur tamen in suas differentias; nam aut appetimus accipere organo id, quod prodest, vel expellere quod obest. Tot ergo sũt appetitoria, quot attrahibilia, & expulsibilia ad vitæ conseruationem intrinsecus. *Ratio organorum appetitoriorum.*

4 Attrahimus intrinsecus alimentum humidum, & solidum: expellimus verò superfluum, aut noxium: propterea videntur esse duo organa appetitiua; ac duo expulsiua.

4 Pri

De appetitiuo, attractiuo, partibus: & 6, x.

4 Primum attractiuum est ventriculus. Eius appetitio est fames, & esuries, sicuti oculi sensus vocantur visus. Vis esuritiua est in spiritu implantato, & libero ad ventriculum descendente; quod palam fit dum manducamus: nam ad plures cibos, & fortiores accurrit multus, vt ad visum difficile visilis ex vtroque oculo, & aciebus in vnum accurrit oculum spiritus; ad pauciores, & exiles modicus. Potentia autem instrumentalis est in fabrica ventriculi, & substantia spiritus implantati: siquidem constat ex ore descendere canalem, quem vocant œsophagum, sub septum transuersum: ibique dilatari, quasi in caldariam, infernè gibbosam, supernè planam, quam vocant ventriculum. Vbi cibus primò coquitur, iecoris calore accumbentis: exinde per aliud foramen transit ad duodenum, & ieiunum, & ileon, & colon, & cæcum, & tandem ad rectum intestinum: quæ omnia sunt vnum, differens gracilitate, & crassitie; rectitudine, & sinuositate; totúmque componitur fibris rectis, quibus trahit: obliquis, quibus retinet; transuersis, quibus stringit, & transmandat.

Qua ratione fit fames.

Cùm ergo ex vapore continuo exhalet substantia innata vi caloris ad suam tendentis vniuersitatem: & perfecta nutritione euacuentur partes, venæ attrahunt vacui ratione, & vi appetitiua nutrimentum, quò sese restaurent. Omnes autem venæ sugunt ex ventriculo, & mesaraicæ ipsæ ex intestinis ventriculo continuis. In ventriculo autem fit constrictio, multóque magis cum in vacuum ipsum lien eructat acidum humorem pungentem; tunc spiritus implantatus, vt amoliatur constrictionem, & punctionem, sui destructiuam, appetit repleri re, quæ attrahentibus, & sibi prosit, & hoc est fames.

Quid sit fames.

5 Fames ergo est appetitus repletionis, sequens sensum suctionis, & constrictionis passionem: ergo est appetitus solidi alimenti, non ergo est sensus in ventriculo famis, sed affectio sequens sensum, & passionem; vt patet ex doctrina primalitatum. Galenus verò dicit esse sensum suctionis, magis impropriè: etenim quia nondum propalata erat doctrina de primalitatibus, non viderunt veteres, quod sicuti sensus, ita & appetitus dantur organa, & quod appetitus non est sensus, sed affectus sequens sensum.

De obiecto famis.

6 Obiectum famis est solidum nutrimentum, non dico calidum,

lidum, & ſiccum, vt Ariſtoteles, nam & frigidi fructus appetuntur, & humidum mel, & lac: ſed dicimus vtilius eſſe calidum ſolidum, quam frigidum, calidum dicimus temperatè: vnde didicimus cibos coquere, vt naturæ ſubueniamus.

7 Sitis verò eſt appetitus humidi alimenti; nec dico frigidi, vt Ariſtoteles; cuius non niſi per accidens eſt vſus, per ſe noxa, cum Græci, & Romani, & Iaponenſes calido potu vtantur, qui eſt melior ad coquendum cibum, & tranſportandum, & ſequeſtrandum impuritates, & expellendum excrementa; & voluptuoſior, quanto brodium calidum frigido, vt in quæſt. Phyſic. oſtendimus. Conſtat etiam pueros ſimul cibum, & potum calidum accipere dum lac ſugunt ſecundum naturam; & de hoc in ſecundo lib. dicemus. *De ſiti.*

8 Sitis autem non eſt aliud organum, ſicut putat antiquitas, pulmonem faciens receptaculum potus: nam manifeſtè per œſophagum deſcendit in ventriculum, vbi ad coquendum ſolidum, & tranſportandum, eſt vtilis. Pulmonem autem ſuffocaret: Attrahit tamen pulmo aliquid ſucci flatulenti ad ſui humectationem. *Idem ſitis & famis organum contra Platonem.*

9 Fit autem ſitis poſt eſum: quando calor ad cibum congregatus, aſſat cibum ſiccum, & tunc ad cocturam appetitus humidi ſequitur; non frigidi, niſi vbi plus iuſto calidi ex aromatis fuerint cibi. Ergo ſitis non habet aliud organum à fame; ſed aliam potentiam organicam: ibi enim ſpiritus implantatus conſtrictionis impatiens appetit repletionem: nam etiam calor quaſi refrigerat, dum robur caloris conuertit in copiam; vt dicemus in lib. quinto. *Differentia, famis & ſitis.*

10 Eſt etiam in venis appetitus alimenti, ſed ſimul ſicci, & humidi, non ſicci, neque humidi ſolius, id eſt, chyli; & ideò ſugunt vbi vacuantur: in iecore etiam, cuius gratia trahunt venæ meſaraicæ, & ad ventriculum deductæ. Præterea in liene eſt appetitus melancholici ſucci, in felle cholerici, in renibus cineroſi ſucci, in veſica ſeroſi: & omne viſcus appetit, & attrahit ad ſe vt alimentum, quod ſibi eſt ſimile, nutriuntur enim ex huiuſmodi excrementis. Præterea in omni portiuncula corporis eſt fames, ſeu appetitus conuenientis ſibi particulæ alimenti: & trahit ſpeciale obiectum. Sed hoc manifeſtius eſt in ventriculo, iecore, felle, renibus, veſicæ, corde, & pulmone. Conueniunt tamen pulmo, cor, & iecur, quoniam ſanguinis

ſunt organa appetendi. Sed iecur imperfecti, cor, & caro perfecti: pulmo pluſquam perfecti.

De ratione organorum expulſiuorum, & numero, & vi.

11 Quemadmodum in omni membro, & particula eſt fames proprij alimenti, & tactus proprij ſenſibilis, ita & vis expulſiua & ſuperflui, & noxij. Cum enim aut ſanguine, aut alio ſucco exſaturata fuerit particula, quod ſupereſt, tanquam oneroſum, transfert, expellitque ad alias particulas appetentes, donec ad extremas vſque, vnde fit exhalatio, & tranſpiratio per poros, perueniat. Similiter etiam noxium, quod alimento ſemper additum reperitur, expellit in ſequentes partes, donec perueniat ad cutim, & per poros egrediatur, vt ſudor, & fuligo oſtendunt manifeſtè. Vnde omnis alimenti particula traducitur expulſione emittentis, attractione eſurientis, & tranſmiſſi optione, ad ſuum ſimile facilè tendentis.

Triplici vi omnis alimenti excrementique iter.

Duo expulſoria communia craſſorum & humidorum excrementorum.

12 Verum organa expulſiua communia duo eſſe videntur; anus, & veſicæ collum: illud ſicci, iſtud humidi: cum enim ſentit inteſtinum rectũ fæcibus ſe grauari, ſtimulatur ad expulſionem; rectas fibras contrahit, & tranſuerſas dilatat antrorſum, donec ad os ani, vbi eſt muſculus rotundus, perueniat: quo dilatato exteriùs, & ſtricto interiùs exprimuntur fæces. Idem facit veſica, quæ non modò ſanguine, ſed etiam ramentis lotio delatis nutritur, dum vrina grauatur per fibras eiuſdem generis contracta éxprimendo in veretri canalem, ſuperfluum, aut noxium ſuccum: quo ſanguis per corpus eſt tranſmiſſus, & veſica deinde enutrita; ſicut renes ex cinere: fel ex cholera: lien ex atra bili, propterea enim vna via potus & cibi; ſed non vna excrementorum vtriuſque.

Senſoriis etiam expulſoria adnata.

13 Sunt etiam organa expulſiua in ſenſoriis: nares enim mucores expellunt: oculi aduſtos humores: aures cariem cholericam: os ſuperfluitates ex pulmone, & cerebro ad ipſum deriuatas, aut ex ventriculo.

De pulmonis organo, & vſu.

14 Videtur & pulmo eſſe attractiuus, & aërem appetere quo impleatur vacuitas eius, & cordis calor intrudatur in ſanguinem ad ſpiritus producendos, & retinendos, ne euolent ad cognata: quod quia non facit phthiſicus ſtatim, hoc non potente pulmone, quaſi ſoquendo moritur. Eſt etiam vis ſanguificatiua in iecore, quod inſtrumentum aptum eſt huic functioni: propterea fiſtuloſum, rubrum, calidum conuertens chylum ſui obiectum, coctione peculiari iecoraria, in ſanguinem. Cuius ſpumam

mam in fel: fæcem in lienem ſequeſtrat: ſanguinem ſuperfluum ſibi. Quod per venam portam ex meſaraicis accipit imperfectum, emittit per cauam perfectum ad cor, & ſtatuam, ramis cauæ multis impletis. In corde verò ſpiritifica vis diaſtoſe, & ſyſtole capit emittitque ſanguinem, & aërem; quibus arteriæ complentur, vt in 3. lib. loquendo de pulſibus, palàm fiet.

15 Datur tandem appetitus generationis, vocatus libido. *De generatoriis organis, vſu, & partibus.* Eius organa præparatoria ſeminis, quo amplificatur natura, vt viuat in ſuo ſimili ſpecifico, quoniam non poteſt in indiuiduo, ſunt venæ ſpermaticæ: teſticuli autem ſunt organa propinquiora, in eis enim ſenſus veneris, & appetitus perficitur. Vbi ſemen abſoluitur, ingenitus ſpiritus multus à calore in anguſto loco mordet, cupitque proinde exitum: per verpam tamen expletur; quæ & appetitionis huiuſmodi vſum habet multum. Spongioſa eſt vt ſpiritu repleri poſſit, & indurari, quo prominens facta, in vas ſeminare poſſit occultum. Etenim quoniam non modò appetitus expellendi ſemen ſuperfluum, vt obiectum in genitalibus ineſt, ſed etiam vaſis in quod fiat vtiliter expulſio, ordinata ad ſpeciei conſeruationem, hoc eſt, fœminæ: conſequens eſt, vt duplex ſit appetitus in hoc organo, videlicet ſeminationis, & eius, in quo ſeminatur. Propterea nos poſuimus ſenſum veneris ſpecialem, quoniam ſpeciale habet & obiectum exterius. Nunc autem correctiùs dicimus appetitum ibi eſſe vt in ſuo organo, ſenſum autem concomitanter, & vt cauſam. In omni enim organo realiter omnis primalitas, non autem formaliter ineſt.

De Poteſtatoriis.

ARTIC. V.

1 IN eodem ſpiritu, in quo ſenſus, & appetitus, præineſt & poteſtas. *Ratio dicendi.* Neque enim ſentiat aut appetat, niſi poſſit ſentire, aut appetere: quapropter priùs de poteſtatiuo agendum erat. Sed quoniam ignotum fuit antiquis diſcrimen primalitatum, & organorum ratio; ex ſenſoriis nobis magis præcognitis declaranda fuerunt. Eſt quidem poteſtas in ſpiritu non organica, *Analogia inter poteſtationes, ſenſationes,* quæ poteſt eſſe animal, & viuere, & iubere, & velle, & ſentire, & habet, vt ad extra refertur, comprehenſionem proportionalem

& appetitiones & ipsorum organa. nalem ſenſationi, & appetitioni, & confirmationem analogam diſcurſui: quoniam tranſit de poſſe ad poſſe, ſicut ille à noto, ad ignotum. Item habet victoriam ſiue euictionem ſimilem intellectioni, & impetui: ſubiicit enim ſibi per hanc obiectum, ſicut per intellectionem intimè cognoſcitur, & per impetum inuaditur ad fruitionem. Tandem habet ſimilem iudicio, & deliberationi determinationem, qua viribus ſuis, & obiecti ponderatis, determinat: id eſt, terminum ponit vtriuſque potentiæ ad aggreſſionem neceſſarium: nullum enim aggredimur obiectum, niſi penſatis viribus noſtris, & illius. Similem autem imaginationi, & velleitati habet poteſtatiuum penſiculationem, quæ numerat, ponderat, menſurat quæ ſunt, & quæ non ſunt; vnde ſpiritus ſe Regem facit, & Papam, & omnia: poteſt enim hoc abſque organo, ſed non organicè: ſicut ideamus multa organo, ſed infinita ſine organo per vim imaginantem mirificentiſſimam facultatum.

Ratio numeri poteſtatoriorum. 2 Organicæ autem poteſtationes ad certa quædam obiecta reſpiciunt per organicas facultates attingibilia. Tot ergo organa poteſtatoria, quot poteſtati ſubiectibilia vtiliter ſunt ad vitam intrinſecus tuendam. Subiiciuntur autem vitali poteſtati res pertinentes ad eſſendum, aut ad exiſtendum, aut ad operandum operatione interna eſſentiali, aut exiſtentiali: nam quæ ad externa ſpectat, actio eſt, pertinens ad executiuum principium omnium primalitatum extrorſus relatarum.

3 Sunt quædam organa ſimplicia poteſtatiui, vitam intus ſeruantia, & facientia in ſolido: hæc autem ſunt ſuſtentatiuum, colligatiuum, & contentiuum, munitiuum, & offenſiuum.

De ſuſtentatiuo. 4 Suſtentatiui organa ſunt oſſa, baſis ſuper qua innititur tota moles ſtatuæ, & fulcitur, neruat, & ſuſtentatur, vt reſiſtat malis. Omnia oſſa originem habent ex capite, & per vertebras triginta diſtinguuntur vſque ad coccygem, vt poſſit flecti, & *De oſſibus.* eleuari corpus ad munia. Oſſium horum ſeries vocatur ſpina, propter ſui proceſſus ad munimen & colligantiam; cuius media vertebra, cui præcedentes, & ſubſequentes connectuntur, vt amplectentes, & non amplexæ, videtur centrum omnium motionum, & origo, & magiſterium; non autem motiuæ virtutis, cuius origo in capite; ſed inſtrumentalitatis motionum. Ex ſpina ad collum egrediuntur ſcapulæ, & collum, & manuum oſſa: ſicut ex oſſe ſacro ad coccygem oſſa coxendicum, & cru-

rum,

rum, & pedum, totam statuam sustentantia. Eorum potestas libera est in spiritu: non enim stat statua abeunte spiritu, vt patet in cadauere: instrumentalis verò in duritie, & ossium vnitione, qua tenentur erecta, nec cedunt pondere: obiectum enim est pondus in terram vergentis molis: secundùm ea quæ in Metaph. docuimus.

5 Colligatiui organa sunt nerui, ex cerebro extenso in multa fila distincto arefactóque geniti, vt per eos foratos, quorum foramen non benè Vesalius inspexit, nisi in opticis, & spinali medulla, eorumque poros spiritus inambulet, præbens sensum motúmque statuæ: at principaliter totum colligant per septem coniugationes à dextris, & sinistris capitis exeuntes. Similiter etiam ex vertebris spinæ eius ex medulla, quæ cerebrum deriuatum est, deducti, ad colligandam statuam: ita quod ossa à se inuicem dissilire non possunt Sunt etiam tendones viscosi colligantes ossa, & musculos; in quibus expanduntur in fila recta, transuersa, & obliqua: maximè autem in planis musculis. Eorum potestas libera est in spiritu inambulante, instrumentalis in filis, & viscositate innodante. Obiectum est Dissociabile: quod enim potest dissociari, per ligamina tenetur. *De colligatorio.*

6 Contentoria organa virtutis contentiuæ sunt vasa: quorum alia habent spiritum liberum, vt cerebrum, & nerui, quorum vis contentiua libera non est in spiritu, nisi quatenus vnit se, & vasa curat, sed instrumentalis, qua se continet ne euolet: & substantia mollis, vnita, non dans per poros exitum vllum diffusibili spiritui. Est vis contentiua spiritus implantatus in fibris totius corporis, & sanguinis, & carnis, & musculorum. Item tota statua cóntinet viscera ambita. Viscera continent etiam, nempe ventriculus cibum: intestina chylum, & fæces; iecur, sanguinem imperfectum: venæ & arteriæ, defæcatum: cor, sanguinem spiritalem: pulmo, aërem attractum: fel, bilem: lien, melancholiam: renes, fæculentum serum: vesica, vrinam; corium, carnes, & omnia membra inclusa. Sunt quæ continent, & traducunt causa nutritionis. Consistit vis contentiua tenuium in vniti ne singularum partium non admittente porositatem. Crassorum verò in vnitione densa ambiente, non autem excludente poros: nam cancellata fenestra retinet etiam captiuos. Obiectum autem est Diffundibile, qualis spiritus & humores; aut labile deorsum, qualia viscera intra peritonæum. *De contentorio.*

7 Munitiui instrumenta sunt caro, quæ substernitur neruis, arteriis, venis, & ossibus instar straminis, ne inter se collisa conterantur, & ab externis duris rebus, mollitie sua cedens, excipiendo ictum, defendat. Carni superponitur extremum munimen corium, quasi paries terra plenus in ciuitatibus præliaturis. Et omnia munimenta angularia fieri melius fuit, aut rotunda: circulus enim ex angulis constat continuatis, vt illata mala facilè propulset. Facta sunt plana quædam ad alium potiorem vsum; aut vallosa, quod est fragilissimum munimentorum. Potestas resistitiua, seu defensiua est in spiritu vtente: instrumentalis in lentore viscoso, & cedente, ad frustrandos ictus robustioris obiecti: nam si non reperirentur talia, essent forsan ossea, aut lapidea munimenta, qualia cancrorum, & limacum.

Musculi etiam muniuntur quadam membranula: & interioris capitis, & pectoris, & abdominis partes membrana ex cerebro deducta, quæ vna est, ex locis variis varia nomina sortita. Obiectum munitoriorum est Nociuum. Quidquid enim nocere potest, quamuis inimicum non sit, per illa cauetur, vt aër, aqua, vapor, baculus, lapis, pili, squammæ, plumæ, & alia exteriora appensa, sunt etiam munitoria organa, vt in Physic. docuimus.

De pugnatorio. 8 Offensiuum autem, seu pugnatiuum, habet facultatem in spiritu impetente principalem: sed instrumentalem in organo; quod est vngula, dens præsertim exertus, rostrum, conu. In homine autem vngula, & dens modici valoris ad pugnandum. Sed in mente impressit Deus potestatiui vsum, vt cæterorum entium offensiuis vti queat: quæ per artem, & ignem suo applicat vsui. Instrumentalis vis est in duritie acuminata: quæ possit penetrare obiectum inimicum: & eius vnionem frangere, ac proinde vitam. Obiectum est hostile: defendimus enim nos à Nociuo, sed ab hostili non modo defendimus, sed ipsum offendimus; quatenus expugnandi, & perdendi nos vim habet. Sunt plures vsus dentium, & vngularum, vt in Phys. at quatenus potestatoria hæc dicta sint.

De calefactorio. 9 Vis calefactiua est vbicunque calor: sicut tactus in sensibus, & attractus in appetitibus communiter. Non enim oportuit organum speciale horum esse, quoniam omnis particula eisdem indiget. At si esset aliquod speciale, illud esset cor, adeò potestatorium priscis visum, vt in eo ponerent imperiosam

irascibi

irascibilem animam. Aristoteles verò etiam principium motus totius corporis, & sanguificationis, & sensuum, & venarum, & arteriarum, & neruorum originem, & mentem: quæ omnia ridicula sunt. Manifestè enim operi mechanico destinatur cor: attrahendi quippe sanguinem à venis per dilatationem, & attenuandi, & immittendi in arterias, & in pulmonem per constrictionem, & retinendi sanguinem in duobus fontibus, quibus ingreditur, & egreditur: ne cum deest spiritus, desit spiritus refectio. Videtur quidem potestatiui sedes, quoniam in eo generatur spiritus, qui corpus mouet, & calor accenditur vi follium pulmonis: non tamen est sedes, sed officina, vt in Phys. & appetitoriis congregentur, annumeratur. Pulmo tamen speciale est organum in hoc, cuius obiectum aër: finis cordis feruor, & spirituum refectio: opus verò inspiratio, & expiratio. De his in 4. lib. cum de pulsibus.

10 Transmutatorium instrumentum non datur speciale, sed in omni parte est vt tactus, quæ nutrimentum in se transmutat postremo; licèt priùs præparetur per multa vasa iam dicta in operibus appetentis animæ. Faciunt hoc per calorem: calor autem sui effusione, & motu per sequestrationem fæcum, & tenuitatum ab his, quæ aptæ sunt tali membro. Sed non sufficit sola sequestratio facta artificiosa, vt ignis moderatur à coquo, per loca, & organa apta: nisi fortè iuxta Anaxagoræ, & Democriti opinionem; cui aliæ atomæ particulæ aliis similibus sunt nutrimento. Sed requiritur etiam transmutatio in nostro dogmate: licet ex symbolis potior sit: nam aliæ carnem; aliæ os: aliæ neruum, commodè nutriunt. In his omnibus est vis attractiua, & transmutatiua, peculiaris autem transmutationis peculiaris. In vtero enim vis formatiua; in testibus seminifactiua; in ventriculo concoctiua; in iecore sanguificatiua. *De transmutatorio.*

11 Inest omnibus vasis à calore sic attemperato, & à forma fabricæ ipsorum, & à spiritu inexistente: Non enim in cithara vis pugnandi, sed harmoniæ, & in hac non sine citharistæ. Est specialis potestas in mandibula inferiori amouendi se à superiori, & redeundi, & macerandi cibum, & in brutis valet etiam pro manu. Item in collo eleuandi, humiliandi, retinendi, & circumgyrandi caput per vertebrarum artificium. In lingua imperandi, mouendi, gluttiendi, & in omni organo sua potestas.

Sed animaduertendum: quoniam sunt omnes primalitates *Admonitio.*

in omni

in omni ſenſorio, appetitorio, & poteſtatorio: ſicuti & in ſe ipſis coinſunt mutuo in inuicem, & materialiter. Diſtinguuntur autem f.rmaliter, & niſi diſtinguas quid à propter quid, confundes materiale cum formali, ſicut in genitalibus f rmaliter appetitiui eſt vis; ſed materialiter poteſtas c ëundi eſt ſimul vel impotentia: & eſt ſenſus veneris, & obiecti. Sed non pr pter ſe, ſed propter appetitiuam. Quod benè notabis: ſic enim nec ſanguificandi poteſtas eſt pr. pter poteſtatem in iecore, ſed propter nutritionem vegetantis appetentiſque animæ, vt ſic.

Conditiones propria poteſtatoriorum ad vſum.

12 Omne contentiuum eſt denſius vbique ſui, ac per conſequens vnitius contento: cumque ſit minus vnitum læditur vis contentiua. Omne ſuſtentans durius, ac vnitius ſuſtentato; ſed non vbique ſui. Omne colligans, tenacius, ac coniunctius colligato. Omne muniens, aut lædens, reſiſtentius munito, ac læſo fortius. Quibus deficientibus perditur vis contentiua, ſuſtentatiua, ligatiua, reſiſtitiua, pugnatiua, ac functiones.

Vnde facultatum ratio ſcrutanda.

13 Sed aliud eſt quod faciunt vt res; aliud vt organa poteſtatis, & alia potentia patiendi receptiua, & perditiua: alia agendi, alia reſiſtendi; & miſcetur in cunctis. Et omnes ſunt in omnibus ab vnitate, & numero: per quos aliam habent poteſtatem à materia: aliam à figura: aliam à fabrica: aliam à calore: aliam à primalitate: aliam à corporeitate: aliam à denſo, & raro: aliam à ſpiritu; ex calore, tenuitate, & primalitatibus conſtituto: aliam à mente, quæ ipſum informat. Notet Medicus, vt ſciat quid, in qua ægritudine, lædatur.

De Executoriis organis.

ARTIC. VI.

Operationes ad extrà indiuiſa. Quid qua primalitas habet in operatione.

1 AT quoniam omnis actio poteſtatis exercetur per motum, & cum ad extrà feruntur facultates ſimul efferuntur: interiora enim opera diſtincta, exteriora vnita: propterea executiuum dicimus principium, quod poteſtas mouet, ſenſitiua vis dirigit, appetitus propendit. Ideoque arbitrariorum eſt actuum; cuius organa duo ſunt, alterum tractans corpora, alterum ferens ad commoditatem, videlicet, Manus, & pedes.

De primo executorio.

2 Pedes ſunt inſtrumenta delatiui principij operoſi; quæ facultas principalis in ſpiritu per neruoſum genus impetum faciens.

ciens. Instrumentalis in figura pedis instar basis ad sustentandum: & distincti, articulatique ad promouendum. Componitur ergo organum huiusmodi motionis, ossibus saltem duobus: qui faciunt articuli iuncturas, complectentibus se mutuò processibus, & cauitatibus intensis, & desuper extensis tendonibus viscosis vtrumque compaginantibus; & musculis, compositis ex neruoso, carnoso, & membranoso genere, quibus dilatatis ossa inflectuntur, & constrictis expanduntur, & eriguntur: sic enim totius statuæ etiam fit motus. Et cum sint 98. articuli, id est quindecim in singulis manibus & pedibus, qui faciunt 60. & octo in genibus, coxendicibus, & cubitis, & humeris: & 30. in vertebris spinæ ex capite ad coccygem. Non tamen faciunt organa executorij peculiaria, nisi ex parte: quatenus omnes articuli vnius pedis vsque ad femur faciunt vnum organum totale. Obiectum pedis est locus à quo, & ad quem: potius autem commodum, & incommodum. Motus enim arbitrarius est, quo sectemur vtilia: fugiamus noxia. *Numerus ossium.*

3 Secundum organum operatorium principale est manus vsque ad brachium, & humerum. Eius obiectum est omne contrectabile siue factibile per artem: aut seruiens potestatiuo, vt arma, & militia, domificatio, & nauificatio: siue cognoscitiuo, vt scriptura, pictura: siue appetitiuo, vt ornatus, coquina, panificatio, thalamus, lectus. Vis eius libera est in spiritu: organica in articulorum digitorum distinctione, & forma. In qua re lucet vis tractatiua, prensatiua, retentiua, expulsiua, impulsiua. Talibus enim modis quælibet tractat corpora ad omnes vsus: primus tamen vsus est vtilia capere, noxia amouere. *De secundo executorio.* *Quintuplex facultas manus.*

De Facultatibus organorum tribus, earúmque distinctione.

Artic. VII.

1 Svnt etiam in visceribus cunctis vires tres, scilicet, attractiua, retentiua, & expulsiua; sed quibusdam videntur vna res, tres operationes habens: eadem enim vis membri trahit proficua sibi, retinétque; fæces verò vel superfluitates expellit. Sed cum in ipsa manu aliter pellamus, aliter trahamus, & aliter retineamus corpora per operantem spiritum, stringentem digitos, & dilatantem, & impetum facientem: dicendum *Ex vsibus & actibus.*

videtur esse vnam rem istarum operationum potentem: sed tres facultates, seu potentias distinctas non realiter, se formaliter. Aliud enim est posse retinere, & posse trahere, & posse expellere: vnde viscera, præsertim intestina, & musculi componuntur ex fibris rectis, transuersis, & obliquis; & dum rectas trahit, & transuersas ampliat, fit attractio; dum rectas tendit, & transuersas stringit, fit expulsio: per obliquas autem fit retentio. Sunt ergo ex organis distinctiones, & potentiæ quatenus organicæ, non principales, sunt plures. Videmus etiam posse aliquos cibum attrahere, sed non retinere: & posse lædi functionem illam absque hac. Igitur detur distinctio trium facultatum, saltem doctrinæ gratia: sicut datur dilatationis, & restrictionis etiam in corde per huiusmodi fibras. In fibris autem spiritus inhabitat. Organicè ergo, & realiter distinguuntur, non radicaliter, & principaliter.

Appendix.

Ex actibus & externis organis.

ORgana intrinseca, distinctáque, indicant de interioribus, coniunctísque. Nam alia sunt cognoscitiui, vt astrolabium, auricularium, scriptura, pictura, campana, horologium. Alia appetitiui, vt coquina, sartago, olla, laniena: pistrinum, pharmacopœa: trapezum: cithara, distillatorium. Alia potestatiui, vt nauis, aratrum, ligo, lancea, gladius, clypeus, lorica, domus. Alia executiui, vt currus equestris, forceps, acus. Sunt etiam organa animata distincta: equus enim, bos, accipiter, canis potestatiui sunt. Alcyon, coruus, gallus cognoscitiui: ille pluuiam: iste maris statum: hic solis, & temporis mutationem annunciant. Appetitiui sunt pecudes, porci, cerui, & alia cibo, aut voluptati dicata. Nec quia idem organum deseruit duobus, dedicatur etiam duobus secundum idem ex natura, vt bos esui, & labori rustico; sed secundum diuersa, minùs autem in naturalibus: alioquin idem vas esset ad pugnam, & ad cibum; sed tamen confunduntur materialiter per coinexistentiam primalitatum, vt dictum est. Sed de his vide Metaph. & prospice pro medicinæ, & formalium læsionum notione distincta.

Finis primi libri Medicinalium.



MEDICINALIVM LIBER SECVNDVS.

QVI EST DE MEDICINA præſeruatiua naturali.

De vita, ſenio, & morte naturali.

CAPVT I. ARTIC. I.

1 ÆGRITVDO medium eſt inter vitam, & mortem.

2 Vita eſt ſolidarum, humidarum, & ſpiritualium partium conſenſio, mutuis officiis, vſibúſque contenta in animali eſſe, per calorem innatum. Qui omnibus proportionaliter ineſt partibus, nutritionem, & purgationem faciens, maxime autem in ſpiritu, qui ſic facere nouit. Vnde alij vitam eſſe caloris natiui permanentiam docent; mortem verò eiuſdem perditionem, quod effectiuè verum eſt.

Ariſt. ſic vitam definit: non ſibi tamen conſtat. Vide q. phyſ.

Viuere itidem eſt eſſe: viuere ſic, eſt eſſe ſic.

3 Non poteſt immortalis mens corpus totum in conſenſione, & officiis continere perpetuis temporibus abſque participio diuinæ virtutis, quod peccans amiſit: ideóque mors naturalis facta eſt homini: ideóque addita eſt etiam violenta ab aliis accidentibus.

Cùr ſenium & mors facta eſt naturalis.

4 Mors naturalis fit ex ægritudine naturali: quæ eſt ſenectus, cum videlicet calor natiuus depaſtus fuerit proprium ſubiectum, in tenuitatem conuertens, & ad exteriora euolauit; ſicut ignis candelæ ceram, aut oleum attenuat, euolátque. Et hæc mors eſt cum voluptate, vel abſque dolore. Contra naturam verò cum extinguitur, & peruertitur illato morbo, aut vi.

Mors naturalis citra dolorem.

5 Licèt calor natiuus amore acquiſito in corporis conſtitutione, ſemper corpus amet, alat, augeatque, & foueat: tamen amore innato ſemper ad ſolem vnde trahit originem, eleuat: &

Contra Medicum: qui non poſſe à calore innato

corpus conſumi putat.

ſolida pars ad terram ponderat: ſic mens ad Deum innato: ad corpus acquiſito propendit.

De ſenectute contra Ariſt.

6 Senectus non fit induratione pulmonis, & bronchiorum, quibus vltra calor non poſſit refrigerari, ideóque adurit corpus, vt putat Ariſtoteles: ſed hæc potius ſenectute indurantur, & calor minuitur tunc, non augetur: vſus enim pulmonis, eſt accendere calorem, vt folles, & purgare; non autem minuere, vt in Phyſ. probauimus.

Ratio ſeneſcendi.

7 Senectus fit augmento continuo caloris, qui continuo plurimus exhalat; cum tenuitate tandem copioſiori, quam partes, quæ ex cibo in corpus aggenerantur, relinquítque partes corporis duriores, ineptas, vt eis copuletur nouus cibi ſuccus: ſicuti parieti antiquo non bene cohæret noua calx; iecúrque durum non benè, & æquales in partes, fundit ſuccos, ſed adurit. Hinc ſequitur etiam caloris paucitas in copia, & tandem debilitas in robore, qui calor digerere minus valet, partéſque exteriores, quaſi rimoſæ fiunt: per quas & frigus occidens, & calor attrahens calorem, ingreditur. Vnde plus ſentiunt ſenes frigus, quam pueri: & Æthiopes in noſtra regione, quam indigenæ. Puerorum autem carnes ſucci plenæ, vt noui parietes, non ſinunt ingredi frigus. Item minor calor aëri non calido cognatior. Vnde piſces in aqua viuunt, modico calore præditi, non autem homo; & hac ratione pueri veſtibus tot non egent, quot ſenes.

Contra Medicos, qui plus caloris innati ponunt in pueris, quam in ſenibus.

Hoc Medici diſtinguere non norunt de calore in copia & robore.

8 Pueris minus caloris in robore ineſt, ſed plus in copia: vnde plus in corpus de cibo, quam de corpore in aërem vertit, ideò alimentis mollibus, & multis indigent; ſolidis enim grauantur, quos non poteſt eorum calor fundere. Senes plus caloris in robore habēt, ſed minus in copia; ideò durior cibus illis conuenit, & modicus. Decrepitis verò etiam mollis, quibus & robur conſumptum eſt. Iuuenes robore, & copia abundant, ideóque ſolido, & multo retinent vitam. In mediis ætatibus, & diſpoſitionibus conſimilibus, media ratione, & conſimiliter aluntur.

Si Medicus præſcriptam vitam putat, non medicabitur.

9 Vtrum terminus vitæ à conditore Deo præſcriptus ſit, quem vltra citráque abiri nequeat: Theologus inquirat; non Medicus, qui cauſas phyſicas conſiderat, & cohibet, & moderatur per artem à Deo traditam, non vt inutilem, alioquin fruſtraretur arte, ſecundum quas cauſas produci, & breuiari vitam, experimur.

10 Quo

10 Quoniam vita hominis mortalis conſtat ex vita, & morte. Continuò enim aliæ particulæ corporis, & ſpiritus recedunt in aërem, & in hac noſtra moriuntur vita: & aliæ generantur ex cibo, vt noſtram viuant, reſarciántque vitam. Quapropter eſus, & potus ſunt naturales medicinæ indiuidui, ſicut coitus eſt medicina ſpeciei, ne intereat. Fames autem & ſitis non ſunt morbi, vt quidam putant, niſi ſint immodicæ, vt fames canina, aut nullæ: ſicut inappetentia: ſed ſunt amor & deſiderium medicinæ, ſicut & venerea cupido in ſpecie. *Vita noſtra conſtat ex vita & morte inceſſabiliter.*

11 Medicinam naturalem artificialis imitatur.

12 Medicina naturalis præſeruatiua magis: Artificialis, ſanatiua magis; quamquam in vtraque vterque vſus.

De Præſeruatiua medicina, ex ingeſtione alimentorum, ex appetitu, & tempore, & qualitate.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 Conſeruatur vita compoſiti rerum reficientium ingeſtione, inutilium egeſtione, & circumſtantium vtilitate; non enim eſt per ſe vita, vt mentis, & Angeli: qui ciborum vſu non indiget. *Vita indiuidui ex tribus conſeruatur generatim.*

2 Non eſt ingerendus cibus, niſi præceſſerit fames in corpore ſano. Fames fit ſuctione iecoris, & venarum ex ventriculo; quæ vbi plenæ ſunt non ſugunt, quia non indigent. Calor autem occupatus in ſuccorum tranſlatione, ac immutatione in partes nutribiles, vel omittit indigeſtos, vt cibos nouos coquat: vel nouos crudos ſinit: vel vtrique diſpertitus muneri, non ita validus eſt. Hinc cruditates, & repletiones, & morbi; qui ex his oriuntur. *Regula obſeruatiua ingeſtionis.* 1.

3 Pueris, & ſenibus frequens, & exilis cibus. Iuuenibus, & viris horæ nouem inter prandium, & cœnam conueniunt plus minúſve pro ætate, complexione, & exercitio. 2.

4 Ne prouoces famem, ſi corpus non indiget cibo, per acetoſa, & vomitionem. Satis enim eſt natura ad prouocandum per humorem acidum, ex liene in vacuum ventriculum immiſſum; & per excrementorum eiectionem. Quæ vbi bellè, ac plenè non fit, procuranda prius eſt quam fames, per deambulationem: & ſi pituita abundat obſtruens ſuctionis oſtiola, per acetoſa, & 3.

abstersiua, incidentia, & educentia. Expertus sum enim aliquando sale, aliquando aceto, aliquando agresta vitis, vbi aliquo tempore sale, & acidis, vsus non fueram, pituitáque creuerat, purgari quasi pharmaco forti pituitam, & corpus totum leuari, & famem restitui.

Hæc pertinẽt ad curationem morborum.

5 Cùm corpus indiget refectione, nec esurit, famem prouocabis, vt dictum est, non tamen cibabis dum præliatur spiritus contra causas morbosas, nisi vbi nulla intermissio fit prælij, nec rationabiliter expectatur; tunc enim cibum leuem, qui minùs impediat, spiritui propinabis, & liquidum.

Reg. 5. Gal. Cels.

6 Non semper est recedendum à mensa cum aliqua fame, & vacuitate, vt quidam volunt; nec cum aliqua satietate, & repletione potiori, vt aliis videtur regulariter: sed iuuenes, & crescentes paulò pleniori cibo post deuictam famem vtantur; senes verò, & decrescentes, paulò tenuiori, & cum aliqua remanente appetentia. Item prandium famem valdè saturet: cœna exiliter, præsertim in pituitosis corporibus. Nam si siccis cholericísque cœna plenior, haud ita nocet.

Reg. 6.

7 In hyeme ventres robustiores, calidiores, & aquosiores: prohibet enim frigus calorem egredi, & vapores, qui cohibiti in humores vertuntur. Quapropter tunc cibus plenior, & potus modicus conuenit. In æstate econtrà ventres imbecilliores, frigidiores, hoc est minus calidi, educto calore ab æstu, & vapore per poros plurimo erumpente. Idcirco cibus exilior, sed nutritioni commodior, excrementorum expers, conuenit: potus verò plenior; non tamen frigidus, qui exiguum calorem ventriculi extinguat. Vnde sub cane appetunt ventriculi vinum generosum: & experientiã testimonium Hesiodi, & Plinij comprobatur. Media tempora, media ratione se habent.

Reg. 7. Coroll. Cogita.

Reg. 8.

8 Item dies, & æstas distributioni: nox & hyems concoctioni ciborum aptior est.

De Alimentis ex qualitatibus.

ARTIC. II.

Vnde Arist. coctionem & comminutionum alimenti didicit.

1 NAtura neque calidum, neque frigidũ potum dedit hominibus: sed talem in qualibet regione, qualẽ illius regionis temperaturæ ferunt humanæ. Solis infantibus lac calidum fluidúmque

dúmque præparat. Ars tamen, vt iuuet nutritiuas vires, addidit cocturam ab igne. Cum enim in ventriculo vtrumque alimentum coquatur, & in ore conteratur: Ars naturæ æmula coctione, & incisione ciborum, gladio, & olla, imitans dentem, & ventrem, excogitauit; sicuti molendino molares, &c.

Quamobrē, & vbi. & qui cibi igne præparandi.

2 Cibi crassioris substantiæ vtilius coquuntur per artem, quam tenuioris, & in frigida regione, & tempore, quam in calidis: non quidem vt calorem ventriculo addant, cum in frigidis sit ventriculus calidior; sed vt consumatur durities, fluor, & nimius cibi succus, qui in frigidis abundat, & à cibo crudo augetur. Vnde Lombardi in Italia carnibus, & leguminibus, & fructibus, & acetariis coctis vtuntur. Calabri autem fructus, & acetaria, non nisi vbi infirmantur, coquunt, assantque igne. Quapropter omnes cibos præparare per ignem non vbique conuenit: nec quibuslibet, neque ob easdem causas. Aliquando enim vt tollatur succi exuberantia; aliquando, vt calor natiuus iuuetur: aliquando, vt substantia cibi relaxetur, vt facilius in ventriculo postea mutetur; præparantur: quibus cessantibus vix exigitur præparatio, nisi quæ per dentes.

Ordo ingestorum.

3 Prius calidum humidumque sumes, ne frigidum siccumque præsumptum obstruat ostiola suctionis, in prandio, & cœna. Acetosa verò in principio valent; vt si obstructa fuerint aperiantur, & appetentis frenum frangatur. Vnde cholerici & sicci à principio acetaria non petunt, vtpote quibus pituita ostiola non obstruat: sed in medio cœnæ, vt quos cibus replet, acetum aperiat poros. His tamen comestio talis fit nimia, atque nocet; non enim tanto indigent alimento, ad quantum prouocant sese. Qui autem frigidas ficus à principio sumunt, non peccant: quoniam obstructiuæ substantiæ ficus non sunt. Cerasa verò acetosa, & fraga sunt insuper aperitiua; frigus tamen à principio validum nocet.

Contra Aristot. de fame & siti. Vide q. phys. 49.

4 Non est igitur fames appetitus calidi, & sicci, sed repletionis: quæ inanitionem, sensumque suctionis sequitur. Repleri autem conuenienti appetimus, nec calido semper, & omni, & vbique, sed longè minùs frigido: pueri enim calido humidóque lacte vescuntur. Fructus quoque frigidos appetimus, aut non calidos igne.

5 Sed nec sitis appetitus est humidi, & frigidi; sed humidi tantùm, vt cibos ingestos humore penetrante, & calore, facilè coquat,

quat, & in fluores redigat; non vrat, ineptosque reddat penetrationi ad nutritionem; nec denset frigefactione, ac proinde reddat ineptos. Appeti tamen frigidum humorem, vbi intemperies calida præest in ventriculo; aut assu apti cibi nimis calidi fuerint allati, & pipere, & cynamomo, & sale conditi: tunc enim vt calorem accidentalem reprimamus, frigidus potus requiritur. Ast vbi non præcedit intemperies, nec extraneus feruor, calidus melior etiam per ignem. Iuuat enim magis natiuum calorem, sicuti & cibus calidus: & coctioni, & translationi, & purgationi aptior. Ideóque Romanis priscis, & Græcis, teste Plauto, & Athenæo, & S. Chrysostomo, deliciosior fuit potus calidus: vti & hoc tempore Chinensibus populis. Ego quoque expertus sum plus voluptatis in potu calido per artem, quàm in frigido, post modicum tempus: quemadmodum in brodio carnis calido, plusquam in frigido: & in cibis. Qui frugaliter non viuunt, & piper, & sal addunt, & huiusmodi, & natura sicci sunt, cholericíque, potum niue frigidum commenti sunt; quorum ars non iuuat naturam: vt quæ, vt nutrire queat, calefacit potum, & cibum: sed defendit ab ingestis sponte malis. Sitis ergo appetitus est humidi alimenti, calidi, vel frigidi, vel sicut regio, & natura fert; ad cibi cocturam, transmissionem, purgationem, & distillationem. Qui autem sitiunt ante cibum, intemperie laborant.

Frigidus potus potius medecinalis quam naturalis. calidus natura ∂or & voluptuosior.

Probatur ex vsu & ratione.

Sitis definitio secunda.

Regula de siti.

6 Sitis non est accersenda voluptuosis succis, & pulueribus, sed cibo tantùm ingesto simplici, cùm non sui gratia, sed cibi humor requiratur; ne distillationes sequantur. Nec nimius sit potus, nec post comestionem plenior, sed in comestione: ne deinde sitientes digestionem retardemus. Conuenit tamen frigidus magis post comestionem; calidus in comestione: antè nullus, sanis; sed cibi coctio ab accurrente spiritu ipsam ciet: solet enim, tanquam peritus coquus, plus ignis pluri cibo, minus minori adhibere.

De Alimentis eiusdem secundum substantiam.

ARTIC. III.

1 HOmo non est elementum, sed elementatum, ideóque ex elementis præpotentibus non nutritur, sed potiùs ea nutrit

nutrit, cum omne præpotentius in ſe conuertat minùs potens; & non econtra. Vnde medicinas purgatiuas ex rebus, quas in ſe homo non poteſt tranſmutare, ſed ipſæ poſſunt ad ſe trahere, quod ipſis ſimile eſt in homine, conficiunt: ergo cibus hominis elementatus eſt, ſibíque natura conſimilis, vt carnes animalium, & plantarum. Sunt enim plantæ immota animalia. Hinc panem ex plantarum ſeminibus conficimus; potum ex ſuccis, vel ex aqua dulci, quæ non eſt fluor terreni elementi, veluti ſalſus, & lapideus; ſed vapor concretus: blando calore, qualis ineſt elementatis, præditus: in Phyſ.q. probatur. Scythis autem lac & ſanguis cedit in potum, quod tranſmiſſioni, & diſtributioni eſſet ineptum, niſi ſerum aquoſum multum contineret. In cunctis tamen regionibus potus, & cibus conueniens incolis ſuis naſcitur; vbi enim, & qualis morbus, ibi, & talis medicina, Deo prouidente, reperitur.

Contra Peripat. & Medicos, qui ex elementis nutriunt. Nos ex elementatis nobiſque proximis.

2 In mediis regionibus panis triticeus, & aqua pura videntur eſſe baſis alimentorum; quidquid enim ſolidi additur, vt caro, & legumina, & fructus horarij ad panem ſuperponitur, & cum pane manducatur: quidquid humidi ad aquam, & cum aqua. Vinum enim aliíque liquores pro baſi aquam habent: cùm enim per diſtillatiuam bis expreſſeris ex vino liquorem, quem aquam ardentem, aut vitæ, vocant; ſubſidet aqua pura, abſque vini odore ſaporeue.

Panis & aqua baſis vtriuſque alimenti.

3 In ſolido cibo inſunt particulæ diſſimilares: aliæ videlicet oſſibus perſimiles, nutritioni oſſium aptæ: aliæ carnis: aliæ nerui: aliæ cartilaginis: aliæ ſanguinis: aliæ ſpiritus: ſeparantúrque à calore natiuo, & alterantur, ac diſponuntur; ac multa tandem ſimilitudine, ad partes nutribiles trahuntur; & conferunt ſeſe. Quod etiam in rebus, quæ extra nos diſſoluuntur à ſole, & igne non valido, paſſim experimur: aliis videlicet ad terram, aliis ad aërem, aliis ad liquidas res propendentibus. At plus ineſt nutrimenti illius ſpeciei, quam præſefert primùm. Vnde licet ex carne vitula omnes corporis noſtri partes nutriantur: plus tamen nutritur caro, vt ex ceraſo & vua nutritur ſanguis; ex pulmone & ficu, pulmo; & ex leguminibus oſſa; ex iecore, & pepone iecur: ex ouis pineiſque, ſemen: ex malis inſanis atra bilis: ex ſinapi cholera: ex cucurbita pituita: ex roribus humor. Quapropter quoniam in tritico eſt pinguedo quædam, & oſſea, & carnea particula, & ſpiritus; nec qualitas cor-

Quæ partes panis quas corporis partes nutriunt.

poris nostri excedit, videtur cibus ex eo opportunus: non tamen solo, quoniam abundè non omnibus partibus corporis, quod opus est, suppeditat: idcirco fit additio, & quoniam corpus non semper æquè valet in toto, vel in partibus.

Verũ aqua, & quo nutriat. 4 In liquido nutrimento puro partes modò spiritales, & sanguinis, aliique humores nutrimentum inueniunt; non autem solidæ, caro, ossum, neruus. Si enim puram aquam igne in alembico corripies, subsidebit solidum nihil. Quapropter solos spiritus & roscidos humores, & sanguinis serum, nutrit aqua. *De vino & partibus eo nutribilibus.* In vino autem sanguinis etiam crassa pars, nedum aqua spiritúsque: Item caro, & os, & neruus alimentum inuenit: idcirco vinosi homines, modicum absumunt cibum: abstemij multum. *Et quibus aqua, & quibus vinum conferi.* Aqua igitur conuenit iis, qui varios, & solidos, & aromaticos habent cibos, calidásque incolunt regiones. Vinum verò iis, qui simplices, & exilis substantiæ odorísque expertes, & in frigidis regionibus, & temperaturis.

Item quibus venter est raræ texturæ vinum, quibus densæ, qualis inest gallinis, & auibus, quæ etiam lapillos fundunt, ob caloris vim & munitionem, & elabendi prioribus tenuefactis negatum exitum; aqua salubrior.

Quibus prodest vinum. 5 Vinum tanquam medicina infirmis datum est; deinde quoniam pauci non infirmi factum est omnium potus. Confortat stomachum, auget sanguinem, & spiritum, subitóque reficit, & hilaritatem conciliat: propterea mœrentibus vel naturâ, vt melancholicis, vel ex accidenti infortunio conuenit, teste Salomone, & Platone. Item senibus, & phlegmaticis. Aliis enim ad hilaritatem excitandam, vt in Telemacho: aliis ad lassitudinem tollendam, vt in Vlysse post naufragium: aliis ad stomachum roborandum, vt in Timotheo: aliis ad phlegma coquendum, vt vltramontanis. Sanguineis verò cholericísque noxium est vinum: quippe quos ad intempestiuas lætitias, & furores agit.

Quibus secundum ætates. 6 Pueris vinum obest, quoniam vincit blandum ipsorum calorem, instar pharmaci purgatiui, & ad senium accelerat, & humiditates auget, & spiritus blandos concitat, vt in paruis cellis eorum nil rimosis vix contineri queat. Sanguineum verò *Contra Plat. & Medicos de vsu vini.* peruertit, fumositatibus replet: vnde vsque ad 18. annos prohibet Plato vinum, sed alia minùs verâ ratione, aut minus explicata; ne scilicet addatur calidum calido, postmodum concedit,

sed

sed aqua dilutum vsque ad 40. quasi in 18. incipiat minui calor, cum tamen auctior fiat. Sed forte dandum est tunc, quoniam calor natiuus, & spiritus animalis, à vino potius augetur, quàm vincatur, vt in pueris: vel succedens vitæ labor id suadet, & ratio nutriendi partes nouas, & seminis additi refectio. Heremitis tamen salubrior aqua; quos infirmitas, aut labor, aut seminatio ad vinum non vocat. Vnde plurimam viuunt ætatem supra cæteros homines. Quibus autem vinum datur, additur aqua, ne quod pueris minitatur, eueniat istis. Cum autem cœperit elabi calor per rimas senij, tunc vinum purum conuenit, vt spiritus elabentes reficiat, & sanguinem, & hilaritatem reuocet, senio, & fuligine, & decremento pereuntem, & iam arescentes artus, quemadmodum ignis ferrum molliat, rejuuenescereque cogat. Si autem vinum lacte miscebis, etiam pueritiam conciliabis. Ventres ergo sub canicula destituti calore vinum appetunt purum, quale senes ob easdem causas, & ne inualidi sint ad cibum: quo non vrgente accidente, aqua conuenit æstu laborantibus; correcta tamen vino, vel aceto, ne lassitudinem ingerat. Memento sæpe corpus senis rimosum ob continuum præuium clapsum caloris, & tenuitatis, qualis vetus domus; pueri spissum, qualis recens.

7 Curandum est, ne vinum superet vapore spiritum, & calore, & copia stomachum, sed superetur: Sic enim semper optime, & salubriter potamus. Vbi enim superat, præsertim dupli ci victoria, fit ebrietas: vnde cogimur vomere, ne moriamur. Et tunc vinum est medicina purgatiua cholere, atræ bilis ex parte, & pituitæ, quæ est in stomacho. Idcirco semel in anno est procuranda ebrietas, non autem frequenter, vt vltramontanis mos est: sicut nec alia pharmaca, nisi vbi opus est; alioquin vires minuit, & temperiem peruertit, & vinosam facit soliditatem, & appetentem vini; sicut cittâ affecti carbonum, calcis, & similium. Vinum igitur generosum aqua temperabis, nec interdiu vteris, nisi aqua: imbecillum verò purum hauries, sed pro viribus, & ætate, & anni tempore.

De ebrietate eiusque malis & vtilitatibus.

8 Vini bonitatem sapor, odor, color, grati commendant; ingrati vitium, eodem ordine communicant.

Vini boni conditiones, & mali

9 Vinum bonum partes frigidas calefacit, humidas exiccat, abstergitque, siccas emollit: calidas frigefacit, vel educendo calorem nimium apertis poris, vel addito fluore, robur diluēdo,

Effectus vini generosi.

 non

non copiam, extera vina non item prorsus.

Ingluuies cum ebrietate comparatur. 10 Solidi alimenti repletio nimia peior est, atque humidi inebriantis: panis autem pessima: exuperari enim ventris calore haud potest; carnium tamen præsertim pennatarum nimium noxia.

Reuertitur ad cibum. 11 Ingenij robore, non autem corporis, valentibus modicus panis depuratus, & carnes volucrum, & vina tenuia in vase myrrhino cum foliis auri conueniunt, præsertim ociosis: corporis verò, communior panis, legumina, & carnes bubulæ, porcinæ, & caballinæ, præsertim exercitatis. Mediocribus tandem mediocriter; vtque regio, ætas, vsus, & tempus exquirunt. *Hipp lib de alimento. com. 4.* Exilibus enim cibis robustos nutrire, validisque imbecilles, malum æquè ac iuuenes lacte, & infantes carne.

De condimentis ac primo de sale. 12 Pingue alimentum sale, macrum sale, & oleo condire rationabiliter consueuimus; sal enim suis aculeis vbi crassitiem laxat humiditatem superfluam educit, putredinem perimit, venenosam portionem corrigit, agglutinationi tandem prodest: primo enim penetrat, & humorem educit: deinde exiccat, vt in salitis carnibus experimur. Vnde etsi cum fluore carnis, aquea etiam salis pars educitur, immanet tamen calor eius siccæque particulæ, quas miscendo aquam si eduxeris rancescit caro, quæ immanentibus seruabatur. Aperit etiam sal ostiola appetitus, & saporem cibi demissum auget, gratificatque. At vbi nimius est tegit cibi saporem, soliúsque salis sentimus, discerpimur aculeis & sitimus. Quas ob res nec cibis saporosis, quorum calor nostrum superat, sal apponere iuuat.

De oleo. 13 Oleum verò lenit cibum, vt possit pertransire, & vasa, vt facilior sit via, & fibras vt motus attractionis, & transmissionis præsertim crassarum fæcum perficiatur tam in vasis, quàm in extremis partibus corij, & carnis: vtque vngatur os, neruus, vena, & fibræ ad motum, ad laborem, ad nutritionémque hauriendam. Vnde pinguia corpora plus salis, & minus olei; sicca verò è contra, requirunt. Item plus æquo additum dilatat fibras valdè, & virtutem retentiuam debilitat. Idcirco vomitum prouocat, & supernatans nauseam eadem causa.

De tritico. 14 Triticum non ex terra nimis pulla, neque palustri, neque stercorata, & per artificium germinante, neque putrida; sed ex aliquanto argillosa, subalba, robusta, & sana secundum naturam potiùs enatum, seruat iuuentutem, & vitam, & salutem: illud

illud verò ad senium & putredinem properat. Nec sit annosum, sed eiusdem anni, vel bimum: nec fracescens, sed viuidum, & boni odoris, in vasis seruatum sanis, bonique odoris.

Olera itidem, & legumina sponte nascentia absque stercorum, & putredinis ope, campestria potiùs, quàm hortalitia, commendantur eadem ratione. Idem de fructibus coniice, & consimilibus. *De oleribus & leguminibus.*

15 Carnes iuuenum animalium iuuentutem conciliant: seniorum verò senium. Nimis tenellulorum statim à natiuitate, debilitatem: luxuriosorum, vt columbarum, & porcorum, luxuriam: astutorum, vulpium astutiam, leporum timiditatem, & sic de singulis, vt in libro de sensu rerum docuimus. *De carnibus.*

16 Quapropter venenosorum carnes si non occidunt, sed paulatim modicéque sumuntur, faciunt etiam venenosum corpus, quod nutriunt, ita, vt non timeat à venenatis; & à non venenatis sit timendum; nec fabula est narratio de puella nutrita veneno: haud tamen putem diutinam istorum esse vitam, cum à propria sint alienati natura. *Corollarium de nutritione ex venenosis.*

17 Quoniam passiones eiusmodi in spiritu, & fibris spiritu plenis, & vbi habitat, seruantur magis: idcirco esus cerebrorum, & cordium, & testiculorum hosce affectus communicat magis. Pelles quoque luporum, & fides ex ipsorum intestinis, tensæ pulsatæque disrumpunt fides, & pelles ouinas in tympano aptatas. Mortui quoque serpentes à fraxini hostili vmbra recedunt miris modis; vt intelligas non modò calorem, frigus, & siccitatem, & fluorem carnium, & putredinem, & sanitatem nobis manducatione communicari; sed etiam affectus, & iuuentam, nedum causari. Sapienter diuinus Moyses non modò venenosas vetat carnes; sed etiam sponte morientium. Item carnes porcorum, & coruini generis, & rapacis tam volatilis, quàm terrestris. Item genus mollium piscium, & absque squammis, & ex putredine nascentium anguillarum; prospiciens corporum saluti, & morum dispositioni. Agunt enim cibi ad mores, & docilitatem dispositiuè, etiam S. Thomæ testimonio. At in Calabria, vbi lepra non est, & caro porcina solidior, hæc lex medicinalis prodest. Est tamen non continuò edenda, nec sola. Idem de aliis ab eo vestitis discerne. *De ciborum delectu ex secreta philosophia.*

18 Stulti huius sæculi viri ditiores carnes occisi animalis post triduum, & quatriduum, & amplius, eò quòd sic laxiores, &

 mollio

Admonitio. molliores redduntur, manducant. Illa enim relaxatio eſt putrefactionis inchoatio, vt fœtor earum etiam indicat. Non deſunt modi alij ſalubres mollificandarum carnium. At ſi iuuenculæ ſunt, ad quid pridem occiduntur?

Ex ciborum ſymbolo vtilitas.

19 Pedes animalium noſtros facilè nutriunt pedes; iecora, iecur; caro carnem: medulla oſſum, caput. Igitur cum membra noſtra minutione laborant, conſimilibus veſceris cum excreſcentia: oppoſitis minus bellè nutrientibus. Qui hæc introſpicit, magiam naturalem callet.

De fructuum horariorum ratione & vſu ſuo cuiuſque tempore.

20 Fructus horarios ſuo quoque tempore vtiles eſſe hominibus regionis in qua naſcuntur: magis autem vbi ſponte, prouidentia diuina admonet: vere enim flores, vt poros, qui tunc nobis aperiuntur in toto corpore, foueant odorati pullulant. Maio ceraſa, & fraga ſanguini tunc florenti congrua ſunt. Iunio, ac Iulio ficus molles, & pepones mox aquoſi, & cucurbitæ, ad reficiendos, qui æſtu exiccantur humores; & nutritioni, cum calor intraneus imbecillis eſt, apti comperiuntur. In autumno vbi corpus aridum poſt feruorem reperitur, & mœſti ſpiritus fuligine, & bili atra, dat Deus vuam, quæ mollificat corpus, lætificatque ſpiritus, & humorem reſarcit. Subſequuntur mala granata eidem vſui; ſed minus ſucci plena, quoniam incipit imber corpora humectare. Mox ſorba, caſtaneæ, myrtus, & ſolidi fructus, quoniam corpora abundant humore iam hyeme adueniente: deinde mala citria, meſpila difficilioris digeſtionis; quoniam venter calidus, & humore plenus: proptereáque etiam prouiſum eſt, vt fructus exiccati ad id temporis ſeruentur; cum humor, & calor abundant. Incipiunt mala aurantia etiam matureſcere, & ſimul florere, quoniam in toto anno vtilia ſunt. Hyeme, ad phlegma incidendum, & euacuandum, oſtioláque appetitionis aperiendum. Æſtate, ad calorem excitandum, & retinendum. Item ad choleræ purgationem, & putredinis peremptionem. Seruantur oleæ, & caſeus ad ſtomachi robur, & cibi demerſionem. Et ſi quis ritè intueatur, vbique temporis à natura in animalibus, & plantis cibum, & medelam habet ſalutarem, niſi velit abuti donis. Nec quibus aurantia deſunt, incuſent ij naturam regionis: nam acetum eorum loco habent. Vt enim ſua aliis communicent, & cognitio veritatum, & amicitia communicetur: prouiſum eſt per nauigationem, & commercia indigentiis eiuſmodi. Item habent alij quid proportionale

portionale ei, quo carent, si socordes, & ignari ad quæritandum non fuerint, vt quibus deest Rhabarbarum, non deest centaurea, & Rhaponticum: & quibus vinum, ceruisia; & vbi venena, & morbi, sub eodem cælo antidota, & remedia inuenies.

21 Noxiorum ciborum nocet quantitas maior, & qualitas: proficuorum indebita quantitas, & ordo. Nec enim multus panis, & multus fructus ingesti prosunt: nam aut vomitum, & fluxum alui prouocant non deuicti: aut cruditates ingenerant. Similiter mespila, & sorba principio sumpta obstruunt aluum fæcibus; in fine aperiunt deprimendo quod præcessit: eiúsque solo humore, & vapore præuio solutioni præparantur. Ficus, & fraga à principio: poma, pyra, persica, in fine. Similiter caseum, oleas, & huiusmodi quæ stringunt, & comprimunt cibum, & vapores ad caput eleuari prohibent. In medio etiam vteris, vt principalis cibus, qui panis est, & caro vel ferculum de leguminibus, auidiùs eorum mistione transglutiantur. *De quantitate, & ordine esculentorum.*

22 Cibus, qui bene sapit, licèt noxius ex parte existimetur, præponendus est, vbi sanum nutris, aut conualescentem; cibo proficuo secundum rationem, si non bene sapit: natura enim non omnibus melius. In morbosis autem frequentius rationem desiderio antepones; quod tamen ex accidenti, id est, non ex vsu. *Admonitio. Hipp lib. 2. aph. 23.*

De Aquis

23 Aqua commendatur, quæ odorem, & saporem aqueum purum modò habet, & quæ ex topho, & argilla transierit distillatur; aut per lapides & arenas fluens attenuatur: soli exposita orientali: & facile frigesit, atque calesit. Indicium enim tenuis est substantiæ. Quæ insipidissima est, qualis in fonte plateæ Stylensis, ingrata est palato, forsan & coctioni, vt aiunt; non tamen distributioni, vnde cum vino melior. Salsa autem grauis noxiáque. Non enim ex vapore densato fit, sed fluore adustæ rei, vt vrina. Alij quoque sapores, quos ex radicibus arborum, aut metallorum venis, aut terræ passionibus contrahit, vel noxij sunt, vel curatiuæ medicinæ, non præseruatiuæ, de qua sermo est præsens, conueniunt. Idem de odoribus dicemus, & feruore fontium. Palustres quoque aquas, & stagnantes, quas motus non perficit, & crassas, quæ diu additum frigus aut calorem retinent, declinabis, & quæ lipposæ sunt, & per sordidas terras fluunt, & solem non vident Item cisternarũ aquas, quæ ex vaporibus in aëre fiunt, licet tenuibus: namque impuri sunt, cum

ex omni

ex omnibus rebus etiam fœtidis eleuentur, & ex minerìs, & putrescentibus terris palustribus, & corporibus, quorum etiam saporē quandoque referunt, nedum maris salsedinem, quos ad iuga Appennini nostrates ex mari egressos in aquas salsas concrescere viderunt, & gustauerunt. Proptereáque nec æstiuarum pluuiarum fuliginosarum aquas in cisternis recipies, nec autumnales, aliásque, nisi per arenam multam excolatas, nec niuis, & glaciei liquores.

Correctio aquæ.

24 Aquas corrigit excolatio, & coctura, & aceti, aut vini modici iniectio, aut aromaticæ rei.

De aere.

25 Quoniam odor, & aër nutriunt spiritum, seligendus est aër tenuis, & purus, qualis è siccis terris, à blando calore cæli educitur; vel crassiusculus, & purus, medicatúsque sale; qualis è mari. Qui enim è palustribus humidisque terris, à calore nimio elicitur, crassus, impurusque est: è siccis verò tenuis; sed fuliginosus, at minùs noxius. Ergo temperiem cæli respicies, & soli qualitatem, vt inferiùs dicemus. Elige etiam lucidum. Odores quoque eos, qui nec caloris vi, nec vaporis crassitie vincant spiritum, sed vincantur. Vnde per æstatem minus placent aromatici, qui per hyemem placēt: quoniam spiritus multus, & potens crassúsque, hos vincit hyeme; æstate pusillus ob transpirationem vincitur. Est enim odor vapor validus: inualidus enim non sentitur. Aër verò intra telluris circulum vaporosum, potiùs vapor quam aër censeri debet; ergo crassior superiori aëre, quò nostro aëre crassior est aqua.

De Medicina præseruatiua ex egestione, & primò per inferiora.

Capvt III. Artic. I.

Quot foramina excrementis expellendis à natura fabricata.

QVoniam cibus, potus, aërque, ex quibus nutritur homo, non toti in hominis substantiam conuertuntur; sed illæ eorum modò partes, quæ corporis iam dictis partibus conueniunt: cæteras verò, vt inutiles egeri, excerníque foras oportuit; Idcircò nouem foramina magna in corpore Autor naturæ fabrefecit; septem in capite, quæ etiam sensoria sunt, duo in extrema, imáque parte: ex quibus vrina, & stercus, potiones cibique fæces crassæ, primæque excernuntur. Per os verò & nares

nares pituita, & concretorum vaporum è ventriculo in caput eleuatorum, fæces, & quæ relinquuntur ex alimento spiritus egeruntur. Per aures vero aduſtiores excretiones: per oculos aquoſiores. Ex toto tamen corpore inuiſibilibus forato poris, ſuperfluus calor, & fuligines, & ſudor, ſeri ſuperflui pars, excluduntur. Itémque attenuatæ ſubſtantiæ partes à calore aucto, ad cæleſtia euolare innato deſiderio cognationis, efferuntur; non autem extruſione violenta craſſiorum, vt Democriticis dicere congruit; nec à calore tantùm extraneo attenuatæ elabuntur, vt dicunt alij; ſic enim poſitus homo in loco minùs calido abſque cibo viueret ſemper: quoniam ab externo calore non conſumitur, quia non adeſt grandis: nec à natiuo; quia, vt aiunt, proprium ſubiectum non conſumit. Equidem, inquam, conſumit perficitque tenuiſſimum reddens, quale ſibi conuenit, vt petat cælum.

Inuiſibilium foram. vſus.

2 Ex eodem cibo, & potu, & aëre non eaſdem partes omne animal, neque omnis homo, in ſui ſubſtantiam immutat. Excrementa enim equorum, & boum, alia ex eiſdem cibis: ſimiliter canis, & hominis cibatorum eadem carne, & aqua: ſimiliter duorum hominum. Vnde & excrementum hominis eſt adhuc gallinis, & porcis nutrimentum: & quod fœtent multa, quæ nobis bene olent: ergo non iudicabis ex excrementis, niſi excernentis hominis temperiem noueris. Sic enim, an quod ſibi conuenit naturâ ex cibo attraxerit, nec ne, intelliges.

Benè nota, ex e. dem non i lem trahi, nec eiici idem à duobus.

In egeſtionibus ſolidis & humidis quot ſint Medico conſideranda.

ARTIC. II.

1 INdicia ſumes excrementorum alui in quantitate, conſiſtentia, odore, colore, & temperie excretionis; nec defuerunt qui & ſaporem experiuntur, vt Hipp.

De quantitatis excremento ũ ſolidorũ ratione, & regulis.

2 Si poſſet cibus reperiri totus in ſubſtantiam aliti conuertibilis, nulla excrementi eſſet quantitas. Vnde fœtus in vtero ex ſanguine defæcato per vmbilicum nutritus, ſtercora non facit, ſed vrinam ſolùm ex ſero ſanguinis; licet quid grumoſum Ariſt. in eius inteſtinis deprehenderit. Igitur impuris vtentes cibis; plus excernunt; purioribus verò minus: vt plurimum tamen ter-

tia pars cibi, vel paulò plus debet esse stercus; & tertia, aut plusculum, transmutatur: reliqua pars in alia excrementa, vt in choleram, pituitam, serum, atrã bilem, fuligines, &c. Qui autem plus egerunt, quàm ingerunt, reliquias præteritorum ciborum, & humores corporis euacuant, & colliquatam substantiam: morbosique sunt valde; nisi ex vnico semel accidenti fiat: natura noxios humores & priscas cruditates cibi alicuius occasione stimulantis, euacuante (vti mihi vnius cæpæ aut aurantij stimulo, non semel contigit) vbi materiæ turgent. Item cum minima pars excrementitia est, aut vis expulsiua laborat: aut calor magnus cibum assat, aut diutina fames tenet.

De consistentia regula. 3 Consistentia fluida post pueritiam mala: indicat enim aut cruditates, aut humores vnà cum stercore eiici: aut venas mesaraicas non valuisse succum attrahere; vel quia debiles, vel quia obstructæ, vel quia plenæ, aut saturæ. In pueritia verò vbi calor blandus, & cum aquosum sumitur nutrimentum, non mala. Dura autem nimij caloris est index; vel febrilis, vel naturalis. Quo imminuto propè senectam mollescit venter quibus obduruerat: auctoque è contra obdurescit, vti & post infantiam.

De odore regula. 4 Quemadmodum mediocris consistenria, ita & fœtor sanis inest, qualis nempe solet excrementorum. Quæ plurimum fœtent, cruditatem indigestam indicant si grauiter: si acutè, calorem indicant nimium. Si morticinum olent, colliquationem substantiæ, vt in hecticis.

De colore regula. 5 Color sit subcroceus sanis, vel æreus. Albidus infantibus congruit. Croceus cholericis: subniger atrabiliosis: spumosus lienteriam, cerebríque distillationem patientibus. Per accidens tamen ex cibo fit, vt sanguineus, aut niger sit, sanguinem manducantibus.

De tempore. 6 Hesterni alimenti hodierna sint sanis excrementa. Qui enim eodem die excernunt crudum eijciunt, nec priùs proficuas attrahunt partes, vimque nutritiuam ægram habent. Qui tertium post diem, aut parum ederunt, vel optatissimum; aut expulsoria ægrotant; aut duri sunt aluo. Qui quarto, & quinto, deterius habent; aut studio nimio spiritum occuparunt. Semel in die egerere bonum sobriis: bis autem pleniori vtentibus alimento. Meliusque ante prandium, quàm post. Salsum & subamarum stercus est: alioquin est cruditas, aut alius humor, non sequestratio coctæ impuræ partis. Et cum ardet anus, bilem: cùm pungitur,

melan-

melancholiam : cùm lenitur, pituitam : cum frigefit, indigestionem : cùm calefit, perfectionem indigestionis indicat ; nisi inebriati fuerint. Cum nihil polluitur, siccitatem : cum nimis, fluorem.

8 Vrinarum eadem fere disciplina. Si plus quàm bibit mingat quis, humores euacuat, aut cibi simul aquositatem multi, & potus. Qui nimium, excandescit. Qui quantum bibit, sanus est: sufficit enim qui ex cibo fit humor pro rore resarciendo, addita parte potus modica. *De excrementi humidi quantitate.*

9 Consistentia alba, tenuis, & perspicua, vehementis caloris est index, præsertim absque sedimento. Oleaginosa verò, aut renum pinguedinem, aut solidæ substantiæ colliquationem, vt in hecticis, nunciat. Crassa, nigráque pessima, calorem inualidum ad corrigendum, & sequestrandum indicat. Turbida & crassa indigestionis signum; si tamen subsidant fæces in matula paulò pòst, victoriam caloris digerentis prænunciant. Albæ & turbidæ, lac bibisse probant : aut cibi immaturitatem ; aut phlegmaticam complexionem, & puerilem. Senum enim alba perspicua: iuuenum, subcrocea, palearis : puerorum alba, turbida : cùm id non seruatur, ægritudo, aut alia inest causa, vt in lib. 5. *De consistentia.* *Nota.*

10 De coloribus vt suprà. Sanus color est subcroceus à coctura, non à bile, vt quidam putant ; & consistentia mediocris, quæ citò sedimentum demittat. Tempus vt suprà. Non te decipiat, qui moris ingestis sanguineam vrinam emittit : & alij aliter aliis cibis alteratam. *De colore.*

11 Curandum est, vt secundum naturam sanorum iam dictam fiant egestiones : & prouocandæ vbi desunt, ambulatione, labore, liquidis cibis. Nec retinendæ vbi adest voluntas : plurimùm enim nocent, sicut & crepitus detentio. Non tamen premenda fortiter aluus, ne disruptio aliqua fiat, aut intempestiua deiectio ; inuitanda tamen cogitatu, & spectaculo cloacæ : asini enim mingunt, & cacant, vbi locum solitum offenderint. *Regula pro naturalibus egestionibus procurandis.*

Timor etiam introrsus agens spiritum deiectioni aptat. Frigidæ potus laxat fibras : similiter pedum frigefactio. Item medicatus cibus aut potus, & clysteres, aut suppositoria vrentia, vt sal, & caseus ; qui etiam inuitat inclusos lumbricos, quemadmodum, & mel, & alia eiusmodi, ac simul excrementa educunt partim sic, partim spiritus irritatione, partim fibrarum laxatio-

ne; haud tamen assuefacienda est aluus clysteribus, & huiusmodi irritamentis, ne oblita naturæ; nisi sic irritata, fæces nō emittat.

De præseruatione ex egestione per superiora.

ARTIC. III.

De vomitu noxio vtilique. 1 QVi per os stercus emittit, mortiferis tenetur morbis intestinorum, vel obstructorum, vel conuulsorum; idcircò in ventriculum refundentium violenter. At pituitam natantem, & bilem, aliósque tenues humores ita egerere, sanum: præsertim si sponte, aut leui irritamento, & facile ferunt. Etenim qualia oportet, & quomodo, purgantur.

De vomitu procurato. 2 Quotidie ante prandium iniecta pluma, aut digitis, aut oleo euomere pituitosis haud malum, modo pressum angustúmque pectus, & ceruicem gracilem oblongámque non habeant, & faciles sint ad vomitum absque ruptionis periculo. Ita tamen assuefieri non laudo, vbi expectata fames, non secus ac accersita non deest: cæteris ergo minus prodest, nisi stomacho vrgente.

De sputo. 3 Qui nimis spuunt, exercitio indigent, & alimenti ex parte subtractione. Haud tamen à spuendo cohibendi sunt, ne excrementa in stomachum, aut pulmonem perniciosè recondantur.

Fluores capitis quorsum purgandi. 4 Humores, & viscositates, quæ ex elatis in cerebrum vaporibus densatis fiunt, vt per nares, & aures, & infundibulum, purgentur, curandum est; ne in pulmonem illabentes grauent ipsum, aut vlcerent: vel musculos pectoris intercostales dilatationi, & constrictioni reddant ineptos. Quapropter fumis, odoribus, & planctu, & masticatione irritantium, & sternutatione eos expelles, vbi natura segnis, debilisque fuerit: sulphure pectus, thure, & mastice caput stimulabis. Vsus tabacci in puluerem acti, vel fumum solet cerebrum labefactare: si continuò.

Quæ prosint quæque obsint serenationi. 5 Omnia cruda pectoris purgationi, atque capiti nocent: præsertim cardui, & crassioris substantiæ res, & cæpæ, & allia, & porri ex parte: quæ tamen cocta, præsertim mellita, pectus, & renes purgant, & vrinam cient. Fumis balneorum auris sordes extrahendæ, & fumo aceti calidi purificati.

Expurgandis per cutem. 6 Ex toto tamen corpore fuligines, superfluósque humores exudare, aut transpirare vi innata optandum, exercitióque curandum, laboribus leuibus, ante prandium, cœnámque; non tamen multis, ne substantia corporis minuatur, incendaturue, & spiritus exhalet. Neque post, ne digestio impediatur à coctione, ad motionem reuocato spiritu. De morbis ex otio, & afflictione nascenti

naſcentibus, quos intermedia virtus exercitij corrigit, in ſecunda parte philoſophiæ realis iam docuimus. Nec à cibo extemplo dormiendum, niſi labor præceſſerit nimius: ſed ſtandum pauliſper, aut mouendum, donec ſpiritu ad interiora reuocato, exteriora quieſcant.

7 Frigus frictionibus expelles calorem ad exteriora expandendo, & oleo aromatico, non tamen poſt cibum. Calorem quoque nimium leuiter fricando pannis frigidæ ſubſtantiæ abrades: ſimiliter torporem, & fuligines, & humores illum efficientes, attenuabis: proſunt & balnea, & cucurbitulæ. *De vſu frictionum.*

8 Balnea frigida robuſtis, ſaniſque: tepida, purgatione indigentibus, & non valida. Aqua dulcis, & olea aperitiua obſtructæ cuti, ſicciſque valdè temperiebus: ſalſa & vinum, & ſuccus myrtinus, & eiuſmodi, nimis apertæ cuti & mollioribus. *Quæ balnea quæque olea quibus proſunt.*

9 Quibus mos eſt quotannis pharmaco purgare ſuperfluitates, & ſudoribus balneorum poros aperire, non ſatis proficuus ad ſanitatem tuendam reperitur: cum videamus eos, qui naturalibus purgationibus contenti ſunt, vitam longiorem viuere, ſobrietate vtentes. Igitur eorum, qui pleniori cibo peccant, eſt adhibere artificiales purgationes; quæ periculo non quidem vacant, cum humores perturbent, naturam accuſent, nec quod, nec quantum, nec quà euacuandum eſt euacuent. *Purgatio per artem officit, omiſſa quæ per naturam.*

10 Si quis humoribus abundet fæcibuſque, fructibus lubricis, ficubus, ſcilicet, vuáque emolliat aluum, vt humores irritati ex peripheria ad centrum delati, deorſum emittantur. Hyeme verò ſal, aut cæpa, aut acetum, & quæ poſt diutinam ab his abſtinentiam, pituitam incidunt, purgántque, vnáque humores cæteros accerſunt. Sanguinis exuberantiam venæ ſectio tollit vere: choleram vomitu æſtate: atram bilem autumnus vua medicata demittit, roſcidáque. *Quibus cibis purgatio curanda, & qua ſecundum anni tempora.*

11 Vllis temporibus limonum ſuccus & aurantiorum cum ſaccharo non prodeſt. *De acidorum vſu.*

12 Corporis pinguedinem roris potus: ſtilla ſpiritus vitrioli: labor, cibus ſiccus, modicúſque, & coitus, attenuant. *De pinguedine minuenda.*

13 Fuligines & ſuperfluitates, quas exudat, tranſpiratque, & in pilos vertit, maſculus: menſtruis per vuluam purgationibus expurgat fœmina; quas balneis & herbis calidis, acutiſque prouocare deficientes, ſalubriter licebit: Exercitium tamen vtrique ſexui vtiliorem fert opem. *De menſtruorum vtilitate in fœminis.*

Et in maribus.

14 Solent masculis per anum venis, ex liene,& capite contritis, similiter fieri purgationes: prosunt inexercitatis, & non sobriis. Nec nisi exercitium capessentibus,& sobrietatem, absque periculo adimuntur.

De cauterio per artem.

15 Decimum foramen ars naturalibus nouem pro cauterio in vlnis,aut cruribus,aut coxendicibus,aut in occipite,addit:at non nisi edacibus, vel ociosis: quibus per exercitium,& sobrietatem melius consultum foret. Alia autem ratio illorum est, qui morbificæ causæ curationem hanc adijciunt, vt in curatiua arte docebimus.

De verni ieiuny vtilitate contra Fuchsium.

16 Semel in hebdomada cœnam omittere, vt excrementa prorsus egerantur,salubre,præsertim hyeme,& vere:quando saluberrima sunt ieiunia, aduentu solis humores etiam arborum turgefaciente.

De moderamine ciborum & variatione.

17 Vulgatum verbum est, hominis sanitatem seruari, si tres quasque comestiones ita partiatur, vt vna plenior, secunda mediocris,tertia tenuis sit; sic enim absoluendæ nutritioni, & purgationi non accedit impedimentum. Deinde reditur ad idem. Item diximus primò carnes, secundò legumina, tertiò herbas in prandio adhibendum,odoratis herbusculis,& aromatibus additis. Sed melius cœnam, & prandium,& tempora, & complexiones,& ætates à principio distinximus secundum artem.

Ante & post prandium quæ pro salute facienda.

18 Præterea mane surgens dentes lauando fricabis, excretiones ciebis,oculos, & aures, & nares absterges, & irritabis: faciem,manusque lauabis aqua pura,etiam in hyeme. Vino dětes, nares, & oculos abstergere tunc valde prodest. Et purgata aluo, caput pectes, ne spiritum à purgatione reuoces, sed fuligines, crassósque vapores eijcienti naturæ opem feras. Ideoque cum est opus, cuti quoque fricationem adhibe; dehinc passus centum ambulabis si exercitio animi, non corporis, es operam daturus. Ab assumpto cibo non nisi dentes extergeas, ne calorem à coctione remoueas, & manus: leuiter solùm si sorduerint, stabisque paulisper,aut ambulabis: poteris quid iocundum legere,antequam ex coctione fumi in caput ascendant.

De

De Somno.

Artic. IV.

1 SI ſomnum vnius coctionis gratia conſtituiſſet Autor naturæ, paulò poſt aſſumptum cibum ſemper eſſet dormiendum: at cùm etiam quieti poſtquam à labore imminutus eſt ſpiritus, itémque refectioni datus ſit: non eſt à prandio dormiendum, donec fiat coctio: ſed vel nihil, vel modicum, vt vapores eleuatos euincat: ne dum refectioni, & quieti vacat, opus coctionis intermittat. Vnde etiam propterea febricitanti nocet, quod dum refectioni, & quieti ſe dedicat, prœliũ contra morbificas cauſas, aut nihil, aut ægrè initur. Item quoniam ſomnus coctioni, vigilia diſtributioni, & expulſioni aptior; & in omni coctione, præſertim febrili; ineſt ſequeſtratio expulſióque: propterea etiam ſomnus, præſertim multus, à prandio, & in febre vitandus: & quia noctu debitus deeſſet.

Triplex ſomni vſus, & num à prandio dormiendum.

2 Vbi autem dies longiſſimi ſunt in æſtate, à prandio dormiendum; maximè autem ſubpolaribus hominibus: & ſemper quibus cœna nulla, & dies vnus ſex lunationes habet: cæteris pro rata diei, & indigentia. Proficit autem naturam imitari, ne dum diei das ſomnum, nocti des vigiliam, quando non potes, quæ diei ſunt operari: & hæc eſt vera cauſa, nam coctioni prodeſt, & non febri, quia eſt expellendi conatus.

Diſtinctio regionum pro ſomno.

De Seminis egeſtione.

Artic. V.

1 SEminatio quamuis ſpeciei cauſa conſeruãdæ conſtituta ſit, tamen indiuiduo quoque ſeminanti prodeſt ad ſalutem, quando fit ex natura. Omnis enim cauſa dum cauſat naturaliter, iuuatur cauſatione.

Seminare etiam indiuiduo prodeſt.

2 Quoniam ſemen ex puro ſanguine in ſpermaticis concocto venis, atque in teſticulis abſoluto; ſpiritibuſque repleto, fit, nequaquam ſuperfluum excrementum exiſtimari debet, ſed pars vtiliſſima, atque optima, in ſpeciei deſtinata conſeruationem; quæ omnes hominis partes confuſas imperfectaſque habeat, veluti arboris ſemen, quod fructum, propterea quod illo fruimur,

Contra Ariſtot. cui ſemen excrementum.

appe-

appellauimus. Excrementa enim impuritates ſunt, dejectionéſque. Vnde menſtruus ſanguis nec ſemen videri poteſt. Nec ſemen vtiliter ſemper excernitur, quemadmodum ſtercus, & menſtruum: ſiquidem & ſpiritus cum illo emittuntur, & viſcoſitas, ex qua neruoſum alitur genus.

Ratio ac tempus ſeminandi maſculorum.

3 Pueri vſque ad 20. annum ſeminationi non aſſueſcant: eſt enim ſpeciei, indiuiduóque antea inutilis: aut enim non generant ex non bene craſſo, viſcoſóque, ſed aquoſo ſemine; vel fœtum imbecillum, aut fœminas generant. Ipſi quoque non augentur mole viribúſque; nam quod augmento debetur, datur proli, fiúntque breuioris vitæ: plantæ citò fructum edentes, citò intereunt, vt frumenti, & hordei planta ſtatim ſeminans, ſtatim interit. Aurantij verò diu viuunt, quæ in 20. fructificant anno: mediæ arbores in medio ſunt. Idem in animalibus ſæpè experimur; ſalaciora enim & fœcundiora, breuis ſunt vitæ.

Tempus fœminarum.

4 Fœmina quoniam breuioris eſt vitæ, priùs deſtinatur proli, vnde Platoni videtur 18. anno; mas 36. coniugio aptus: nobis autem fœmina 19. mas 29. ſed pro natura regionis. Sub tropicis enim quadrageſimo ſeneſcunt: & octauo generant. Alij quidem aliter. Temperiem quoque conſulas oportet.

Vſus puerorum & ſenum vt valet.

5 Decrepitis ſenibus coitus omninò vetatur; eſt enim noxius indiuiduo imbecillo, nec aptus ſpeciei. In pueris non poteſt extrahi bonum, in ſenibus educitur omne bonum. In non decrepitis verò aliquando, aut tertio quoque menſe laudatur exoneratio. In vtriſque tamen puerorum, & puellarum caſta citra coitum cubatio, & conuerſatio vtilis ad ſenectutem retardandam; horum enim vapore, & mollitie ipſorum durities alitur, reficitúrque ſpiritus. Veneris lætitia, ſed pura abſque peccato, multis præualet medicinis.

Abſque peccato.

Cui ætati coitus prodeſt.

6 Coitus virili ætati conuenit bene nutritæ. Coniugatis ter in hebdomada. Non coniugatis ſemel in menſe, minus enim ſtimulantur. Religio tamen vetat non coniugatis ſemper, vt vel nubant ſi vruntur, vel contineant ſe, ſi religioni mancipantur. Natura tamen hiſce vel in ſomniis educit ſuperfluum, vel cum vrina, vel in alimentum conuertit ex conſuetudine. Religio quoque ieiunio, & abſtinentia libidinoſorum ciborum, & conuerſationis muliebris, nobis conſuluit.

De temporibus anni ad coitum.

7 Hyeme vtilis eſt coitus, quoniam humores abundant: vere neceſſarius, quoniam florent, & arbores, & bruta, idcirco ad

ſemina

seminationem instigantur. Æstate nocet, humoribus, spiritibúsque euanescentibus. Autumno noxius, quoniam spiritus euanuere. In mediis temporibus mediam sequere temperaturam, & educationem insuper consule.

8 Prima seminatio indigentibus valet, secunda prodest, tertia nocet, quarta lethalis; sed pro virium, & temperiei, & educationis, & ætatis ratione de his coniecturabis. Regula enim quod plerumque respicit. *Numerus seminationis.*

9 Febricitantibus, & articulorum morbo affectis, cunctísque infirmitatibus proportionaliter nocet coitus: nisi ægritudo ex diuturna seminis retentione, qualis est vteri strangulatio, & priapismus, & satyriasis, fiat. Consulit etiam virginibus dæmonoplexia affectis connubium Hippocrates & Plato: quod salubre dicimus, vbi dæmon humoribus ex corrupto semine genitis ad vexationem vtitur, quod illis ignotum fuit Christianæ Theologiæ ex ertibus. *Quibus infirmis prodest, & quibus nocet.*

De Medicina præseruatiua ex circumstantibus, & primum ex cælo, aëre, & aquis.

Capvt IV. Artic. I.

1 CÆlum, nec ita frigidum, vt subpolaribus, eiúsque propinquis regionibus; nec ita calidũ, quale sub tropicis, & conterminis; saluti, ac diuturnitati vitæ hominis secundum naturam, præ cunctis animalibus temperatissimi, eligendum est. *Qualitas media cæli proficua, & noxia extrema.*

2 Fœlix æstimatur æquinoctialis plaga, vbi dies noctibus, & lux vmbræ, calor frigori æquantur semper; nisi tellus obstet; quod cæteris non nisi vere, & autumno, quando vbique temperata efficit tempora, contingit: montes tamen, & lacus hanc cæli temperiem variant. *Optima sub æquatore. contra Arist. & Virg. & cæt. dogmata.*

3 Extra tropicum tertium, quartum, quintum, & sextum clima, pro temperie laudantur; & his vita longior, vt sub æquatore: breuissima enim adustorum Nigrorum, quorum spiritus, & vires sol exhaurit, & fuliginibus replet, & ariditate senili: aliósque alimentum subtrahendo pygmæos facit; sub polis etiam calorem extinguit, non eripit frigus; & membris expansionem negat, & formationem interiorem etiam impedit: vnde bestiis similes corpore; ingenióque fiunt, vt pygmæi. *Quæ climata legenda. Causa malitia sub polis, & tropicis.*

Sub quibus stellis aer bonus malusque.

4 Elige cælum, cuius stellæ orizontales, & verticales de natura, Iouis & Veneris sint, atque Solis, qui hominis temperaturæ fauent. Saturnus enim, & Mars, stellæque illis cognatæ, obsunt; obsunt etiam vtilibus nobis animalibus, & plantis: prosunt verò inutilibus & hostilibus, id est, serpentibus, lupis, tygribus, lolio, cicutæ, coruis, &c. Vide nostram Astrologiam. Luna & Mercurius communes sunt pro configuratione, & situ.

De [illegible] natura con[illegible], vt cui cælo, & cui anni tempori, & cui regioni, congruat: & cui discors sit, scias.

5 Considerabis cæli in tua genesi constitutionem, & aphetas; vt intelligas quibus iuuatur, quibúsque tua læditur temperies. Animalia enim, & plantæ lapidésque antipathiam & sympathiam habent cum sideribus, & cum homine, cui talia fauent, aut aduersantur sidera. Idem de temporibus conijce: æstas enim Marti, ac Soli: hyems Saturno, ac Lunæ; vel Ioui, at Veneri: Autumnus Mercurio, Saturnóque; conueniunt. Similiter temperaturæ hominum, & aliarum rerum. Morbi quoque alij, aliis temporibus, & sideribus conferunt: éxque eorum mixtura misce decreta.

Electio temporis, vt M. Alb. ait, vtitur astris, non seruit astris, & necessaria est medico & physic. rebus.

6 Sicut plantandis, colligendísque fructibus eligis tempora congruentia; cunctis similiter actionibus si scias vti, non seruire astris, eliges ex his præcipuè, quæ ad corporalem pertinent conseruationem. Progressus, & fines rerum in principiis latent, sicut calefactio in calefaciente: principia autem ex tota rerum serie, & vniuersitate; non enim agunt particulares causæ, nisi cum vniuersalibus; cum quibus fæliciter, & sine quibus infæliciter procedit effectus. Igitur cæli, & mundi constitutionem in exordiis rerum, actionum, & morborum specites, oportet.

De aëre bono & malo nostris temperamentis.

7 Aër purus, tenuis, lucidus, & temperatus, commendatur; impurus, crassus, obscurus, nimis frigidus, aut nimis calidus, damnatur. Frigidus tamen melior, vbi purus, lucidúsque, & tenuis: cuiusmodi in montanis regionibus. Nubilus nocet prorsus, & fuliginosus. At fumus rosmarini, vel iuniperi, ex ramusculo adusto prope cubile cum vadis dormitum; nocturnas vmbras & catarrhos emendat, sensus viuificat. Idem facit vinum naribus & oculis mane applicatum.

Quis aër, quibus rebus, quo à calore sit bonus malusque.

8 Quoniam aër noster est vapor veriùs quàm aër, regionem è qua educitur, & vires educentis solis in eo considerabis, quemadmodum superior indicauit sermo. Montosa ergo laudatur, dum tamen à paludibus elati vapores ad eam non integri ferantur. Scopulosa etiam in mari placet, nisi fluuius, aut cloaca sordibus

in

in ipſum exonerentur. Tophus & arena lapilloſa, ſalubres. Fuge paludes, atram tellurem, putridámque: & vbi cadauera humantur. In ciuitate etiam vicos, vbi coria, & tinctura, & ſordidæ artes tractantur.

9 Domum ædificabis iuxta exemplar datum in Oeconomicis noſtris, ciuitatémque, vt in Politicis; & villam. Æſtate ædes, feneſtras ad boream: hyeme ad auſtrum: medijs temporibus ad medias plagas mundi habitabis: vel portatilem ciuitatem, quemadmodum Æthiopes, habitabis; & aues, quæ ſole accedente, ad boreales, & montoſas regiones: recedente verò ad auſtrales, & maritimas migrant, ſed pro regionis natura. E contra verò fit citra æquatorem, vt eueniat idem. Ædes prope ſolum rebus liquidis, & beſtijs aſſignabis: prope cælum ſiccis & auibus: medias tibi & familiæ. Domos etiam duas habere iuuat conſimiliter. Subterraneas, & obſcuras, & vdas omninò declinabis: præſertim vbi ſolum quondam exuſtum fuerat. Vapores enim emittit fœtidos, craſſos, fuliginoſos, calidóſque, qui ſpiritus temperiem, tenuitatem, & lucem peruertunt, grauant, fœdántque; vti & carbones faciunt: & vapor pluuiæ ſuper aduſtam cadentis terram, etiam ex ſolis æſtiuis viribus, vt de peſte agentes monſtrabimus. *De habitaculis ſaluberibus, & inſalubribus, eorumque partibus & ſitibus.*

10 Aërem craſſum corrigit ignis, & ſonus campanarum, & rumores: Fœtidum ignis, & accenſa odoramenta, & ligna aromatica, & ſulphur, & acetum, niſi habeat vnde inceſſanter reficiatur. Tunc enim oportet, aut telluris cremare ſuperficiem, aut dare aquis ſtagnantibus curſum; aliáſve tollere cauſas. *Correctio aeris.*

11 Auſtralis aër calidus, craſſúſque aggrauat caput, ſenſus obtundit, ſoluit ventrem, laxat artus, cutem aperit: borealis verò acuit ſenſus, ſerenat caput, ſtringit pectus, & cutem, roborat vires. *Quid à boreali, & quid ab auſtrali conſtitutione corporibus.*

12 Aquæ bibitæ ad ingeſtionem, in lauacro ad egeſtionem, ſpectant: in applicationibus ad circumſtantia. Priores puræ: ſecundæ propè puræ: tertiæ medicatæ, meliores. Aqua enim marina, & ſulphurea bonum aërem reddunt, & cutem non obdurant, nec nimis aperiunt. Vnde aër Puteolanus eſt ſaluberrimus. Caput etiam purgat, pectúſque. Ciuitas, & domus prope fluuios ædificatæ (cuiuſmodi eſt Lugdunum) peſſimæ, niſi ſit aqua velociter currens, & ſuper lapides, & arenas. Pr deſt tamen importandis, exportandíſque rebus vtilibus, & hominibus. Infantes balneo herbis odoratis, conſtrictiuiſque medicato, & vino, & ma- *Ab aquis.*

rina, interdum lauabis tepida, vt ossa, cutis, & nerui, roborentur.
De balneis. Tepor enim est vehiculum, alioquin obest. Propterea ad robur priscæ nationes, frigida etiam immersione vtebantur. Viros autem frigida decet, & marina: Similiter senes, vt rimæ obducantur. Dulces aquæ cute obstructis conueniunt, & hecticis.

Regula pro cutis cura. 14 Cutem obstruere malum, fuliginum, & excrementosi roris expurgationi impedimentum. Aperire nimis etiam malum: quoniam vires efferuntur, & introitus noxio aëri paratur. Non ita tamen in odorato Arabiæ cælo & similibus.

De potu post lassitudinem. 15 Post labores, & lassitudinem, nisi aliquanta pausa quiesue intercedat, nec frigidam bibes, nec in frigidam intrabis: nec aquam, aut auram; multóque minus in fœtidam, ne pereas. Natationi tamen assuesce.

De vnguentis. 16 Balneis & vnguentis prisca ætas sese oblectauit: qui mos obsoleuit iam, & pro medicamento solummodo seruatur: haud negem tamen prodesse balneum, & oleum confortans artus, quale myrtinum, non nimis excalefaciens, præsertim ita affricatum, vt vnctuositas in cute non remaneat: calidiusculum hyeme, vt nardinum: frigidiusculum æstate, vt myrtinum conueniunt.

De Musica.

Artic. II.

Cur sonus & qui iuuat, & cui: & qui nocet. 1 MVsica quoque ad Medicinam spectat. Sonus enim delectat spiritum, quatenus ipsum medio aëre mouet inuitátque ad motum, propriam nimirum, qua seruatur, operationem: propterea̋que soni nimis acuti, quoniam ipsum diuidunt: aut nimis graues, magníque, quales bombardarum, displicent: quoniam obtundunt, impellúntque in cauitates capitis, verberántque. Mediocres placent, nec omnes, nisi consonantes sibi, hoc est, ad sui mensuram editi: omnes enim in natura consoni sunt, sed non nobis. Quia igitur acuti attenuant spiritum; grauésque agitant; sequitúrque eius attenuatio, ventilatio, roboratio, & expurgatio: proficua ergo valdè est Musica naturæ. Spiritus enim sic perfectus operatur meliùs in toto corpore. Vnde cùm saltare volumus, sonos adhibemus, quibus motus spiritus moueat corpus: propterea̋que non potest saltari, vt aiunt, *Spagnoletta*, cùm sonatur *gagliarda*.

2 Moribus

2 Moribus quoque prodeſt valdè Muſica, obéſtque valdè. Afficit enim ſpiritum, à quo corpus totum mouetur, & mens obiecta percipit. Quapropter infantes à lacrymis, & furioſis deſideriis ſono capti mutantes affectum retrahuntur, & exhilarantur. Item ſpiritus ſono allectus in caput coit, dormitque. Ebrios, & furioſos cantu Pythagorici ſanarunt. Spiritus enim inſanis, inconcinníſque commotos motibus ad motus muſicos reducebant. Fumum, & fuliginem vini muſico motu excutiebant, ſpiritum ventilando purgandóque. In Apulia certi quidam ſoni ſtupidos à tarantulæ morſu excitant ad ſaltandum ita, quod venenum labore hoc exudant, curántque. Eſt Muſica mollis ex parum grauibus, parum acutis confecta ſonis, quæ homines ad pietatem mouet, vt Romana. Eſt alia acuta, titillans ad luxuriam, vt Sicula. Eſt alia aſperior, vt tubæ: vel inflatior, vt tympani, ad iram, & bellum ciens. Alia blandior, & valdè effœminans animum, vt Neapolitana plerumque: paſtoraliſque ſonus ſomno aptus; vigiliæ bellicus. Quapropter Medicus non ignoret, qui ſoni, quos motus in ſpiritu, ad quas bonas operationes, excitent, vt medicinales ſint. *Muſica ad mores quid poſſit.*

3 Cum diſtortis curuatíſque motibus afficeris, nec ſtudio philoſophiæ vales te applicare, adhibe Muſicam, quæ ſedet motus hoſce. Poſt ſtudium anxietas inueſtigationis præteritæ in te perſeuerat? ergo poſt meditationem ſufficientem adhibe alium hilarem ſonum. Alio ad nuptias, alio ad bellum, alio ad ſomnum, alio ad vigiliam te inuitabis: niſi res ipſæ te ad inuitandum præpotentes ſint: neque enim omnes, neque in omnibus egent Muſica: laſciui enim ad venerem re, non ſono: pudici, & ſeueri re, & ſono cientur. Sic de cæteris. *Regula cura ex Muſica.*

De Exercitio.

ARTIC. III.

1 SIt tibi Muſica pro inuitatione ad opera, & omiſſiones vtiles, non autem pro exercitio, niſi his, qui ex ea viuunt arte. Tu autem exercebis animum, & corpus viciſſim vtiliter: vt vtriuſque ſanitas ſimul procuretur: ne Medico corporis, aut animæ indigeas, ideſt, conſultore. *Exercitium animi & corporis capeſſendum.*

2 Exercitium corporis valet ad roborandum calorem na-

De exercitio corporis totius & partium, eiusque vsu.

titium, ad extrudendum superfluitates per cutem, & alia foramina: ad digestionem alimenti, & distributionem: ad roborandum neruos, & membra omnia, & spiritum expandendum in omnibus, omnésque obstructiones expediendas. Non igitur sit minimum, nec vnius modò membri, nec nimium, quod moueat excrementa, & non extrudat. Membra enim quasi contusa, & grauata à modico exercitio propterea remanent, à multo verò aliquando rumpuntur. Semper tamen spiritus imminuuntur, artus dissiliunt ab inuicem, substantiâ in tenuitatem actâ priuantur, & ad trahendum alimentum debilitantur: pori iniuriis patent. Si autem vnum membrum exercueris, vt sutores brachia, cursores crura, tunc illud modò membrum roboratur: cæteráque illi minus benè cohærendo imbecilla remanent. Et cùm aliquod non exercetur, trahit ad se aliorum omnes humóres, & morbos. Vnde Neapolitani curru, equoque quasi semper vecti podagra vsque laborant, & ad coitum actiuum non satis valent, vt Hip. de scythis monet. vtile exercitium ergo est ludus pilæ, & gladij, & lanceæ: sed vtilior pila, quæ & vtramque manum exercet, & crura, & spinam. Vtilissimus illorum, qui per circulos in consequentia positos, mirificè interu lant & qui saltus, quos vocant mortales, in spectaculis agunt; & funambuli.

Lib. de aer. aq. & loc.

lanceæ.

3 Monachis autem, qui animo exercentur, proficuus labor in horto; & cantus, quo ad Dei laudes excitantur. Nam expuunt plurimas superfluitates, & spiritum per corpus extendunt, & cutem ad sudorem, & fuligines expellendos. Disputationes, lectiones, & altercationes virtuosæ prosunt ad idem, vt notauit Plutarchus. Ita quod simul spirituale, ac corporale exinde habent emolumentum. Vnde non vtiliter à cantu Iesuitæ abstinent.

De animi solius exercitio corporibus non vtili: nisi oris emendetur labore.

4 Quemadmodum corporis exercitium modicum, aut nimium, aut vnius membri modò, non probatur; sic etiam animi. Qui enim non exercent animum, ignorantes sunt etiam in rebus quæ prosunt corpori: & sunt præda sophistarum & hæreticorum: timent vbi non est timor: sperant vbi non sperandum; desperant in modicis, insaniunt in imaginationibus. Vincuntur ira, odio, concupiscentia, auaritia, ebrietate, socordia. Et ex his ad corporis morbos deuenitur facillime, & subitaneas alterationes,

Ex animi ociositate mala.

5. Qui

5 Qui modicum exercent animum, videntur sibi scioli, & nullius consilio indigere, & in mala cadunt incurabiliora. *De morbis ex modico animi exercitio.*

6 Qui nimium in omnibus atterunt spiritum, & corpus ægrum reddunt: cui quippe nutritiones, & purgationes desunt: quemadmodum autores obstinati, & philosophantes in quo non valent. *Ex animi otiositate morbi.* *Ex nimio.*

7 Qui in vna parte animæ exercentur, in alia languent, vt fortitudini prorsus vacantes, quæ est potestatiui, fiunt indocti in intellectiuo. Qui etiam volitiuum modo exercent, vt aulici, amoribus, & conuersationi ciuili dediti, molles fiunt, & indocti. In volitiuo exerciti, Heremitæ passiones animi frænant, sed indocti sunt, nisi intellectiuum etiam excolant. Quapropter qui simul sanctitati, virtutibúsque moralibus, atque sapientiæ sese dedicant, vt Dominicani, optimi sunt. Non enim zelantur non secundum scientiam: neque sciunt absque zelo virtutum: exercent etiam corpus, dum voce, quæ totum aliquo pacto iuuat, exercentur. Video tamen inter eos, qui sapientiæ student, falli plurimum, qui soli Theologiæ, aut Mathematicæ soli; aut Physiologiæ soli operam dant; in cæteris enim doctrinis languent: putantque per vnam se omnes scire, & de omnibus iudicare, & emendare: sicque præsumptione, & fallacia replentur; & prauitates in illud intellectiui quasi membrum sequestrant, sicuti valida corporis membra in inualidum suos morbos exonerant. *Quas ob causas omnes partes & facultates animi exercenda.*

8 Qui tamen exercent animum, non corpus, præda sunt potentum, latronum, pyratarum, & medicorum, & pharmacopolarum: sicuti corpus sine animo, sophistarum, hæresiarcharum & circulatorum. Idcirco Romani, teste Salustio, ingenium nunquam sine corpore exercebant. *Exercendum esse animum & corpus.*

9 Ocium, mulierum præsertim, totam pessundat Remp. præterquam enim quod eas loquaces, lascíuas, procaces facit, & prauorum cupidas ciborum, & negotiorum, reddit corpus imbecillum, & exiguum, & prolis incapax, aut inualidè generatiuum: facile pallidas, excrementis non purgatis: ideò pilosas, vnctuosas, sordidas, nec viuido sanguine floridas, quales exercitatis insunt. Quapropter fucis venenosis sese pingunt, expilant, excoriant; in capitis & dentium dolores, & nigredines, hinc incidunt: superaddunt fucos, ac morbos sibi, ac fœtui; vtque videantur proceræ sandalia adhibent ligno, & suberis cortice præalta, & grauia, quorum gestatio est culpa, ac pœna simul. Nec *De mulierum otio, morbis priuatim, ac publicè scatente.*

nisi

nisi inhærentes seruis sese mouere possunt. Hinc excrementa retinentur magis, & facies deformantur, ac morbi augentur. Vt ergo proceræ fiant, ac formosæ, ab infantia ad s nium corpore, animóque exercendæ sunt. Quapropter fœlices fœminæ Calabræ: quibus labor fucum, & sandalia vtiliter aufert. Fœliciores etiam Belgæ: quibus formam, & proceritatem maiorem maius exercitium conciliat. Infœlices è contra Parthenopeæ, suis ancillis ob ocium fœdiores, infirmiores, deformiores. Ocium luem veneream peperit.

De Vestibus.

ARTIC. IV.

De calceorum vsu.

1 CAlceî vtilitati, non oneri sint fœminis, ac masculis: non digito altiores, ne articulos pedum impediant à motu: nec nimis calidi, strictíque, qui humores, & podagram accersant: bene tamen compacti, ne aquam admittant. Plani sint infernè, sicut natura pedes facit, vt sint bases statuæ; ridiculi, & casui expositi sunt, qui tuberatos subter, gerunt. Infantes autem puerique capite pedibúsque nudentur, vt roborentur.

Qua ratione vestiendum: & ordine secundum naturam.

2 Vestibus naturam imitabere, quæ arbores ac fructus, & oua, interiùs membrana tenui, in medio medullata, exteriùs duro vestit cortice. Vnde camisiam, diploidem, & sagum commenti sumus. Nescio tamen cur hoc tempore delicatum sericum exteriùs, crassum pannum interiùs quidam coaptant, ostentationi potiùs, quàm vtilitati seruientes: nisi velint cuticulam suprapositam cuti in hominis corio extrinsecus imitari: sicut frondes, & pilos villis cæsurísque pannorum, auro, & pallio, quod detur illis, dum non sint oneri vestes, sed vtilitati; & interiora suis non defraudentur vsibus. Rideas ergo colare modernum incrustatum sic nocenter, vt caput circumuoluere non sinat; & pallij gestamen in æstate, cùm onus, & cruciatus à feruore infert.

Ab anni temporibus, & regionibus, & corporum temperamentis ratio vestiũ.

3 Vestes carni vicinas æstate sericas lineásque, & cannabeas, laudamus: sicut & semper in corporibus siccis timentibus hecticam. Bombycinas, & laneas, delicatas tamen hyeme, sicuti fortè semper in pituitosis, frigidis, & lue affectis venerea. Exteriores vestes crassiores cupimus hyeme, ab aqua, & frigore nos

tuentes:

tuentes : æstate exiliores ab æstu : mediis temporibus mediocres. Noctem hyemi, diem æstati parem facies. Hæc autem omnia pro regionis natura : hyems enim sub tropicis nostræ est similis æstati, vbi incolas etiam nudat æstas.

4 Vtile est tamen Militibus, & Monachis, & Mercatoribus, & labores, & regiones passim mutantibus, omni vestium generi, atque ciborum assuefactos esse: ne mutatio obsit. *Exceptio ex professione.*

5 Biretum necundè vacuum, cuiusmodi vtuntur Veneti, Græcique, conuenit capitibus frigidis: vacuum desuper, cuiusmodi est Italicus, Gallicus, & Hispanicus pileus, prodest calidis; vt vapores egredientes è cute, in cutim non remeent, excalefaciantque: quos tamen Calabrorum biretum circulo vacuo expansum ad latera recipit. Prodest in omnibus expansus lembus contra solem, & pluuiam: & ad inaccessam metiendam subitò distantiam. *De bireto.*

6 Biretum eò vtilius, quò leuius. Natura enim pilos leuissimum tegmen capiti, ne sensum, aut motum impediant, apposuit; quos calidis in regionibus, si artificiato vteris bireto, rades: in frigidis autē auge, exicca, & purga: in mediis mediocriter vtere.

7 Cùm natura nihil ex solo ornatu absque vtilitate insuper condiderit: mirum quòd mammillas & barbam maribus vllo absque vsu dederit; non ad distinctionem sexus, cùm per genitalia distinguantur à fœminis: & in America mares sint perpetuò imberbes: & apud nos dum adolescentia durat: cur eos per barbam non distinguit, & cur per mammas se confundit? Qui dicunt mammas ad defensionem cordis datas, imperfectè loquuntur: brutis enim animantibus non insunt: & sufficit carnositas earum pectori. Cur autem papillæ instar næuorum exteriùs appositæ sunt: cùm nec ad significandum, nec ad vsum prosint. An quia omnis fœtus priùs est fœmina completa, & postea exponit genitale, si calor augetur; vt in Phys. de quibus ibi. Barbam ergo vbi creuerit, sicut vngues, circumcide. Natura enim in homine multa relinquit arte corrigenda, sciens rationem, vbi adoleuerit, conditorem posse æmulari: vnde pro regionum, & religionis, & legum conditione in barbis significationem & vsum ponit homo. Quapropter alij religiosi in rasura eius, abdicationem superfluorum: alij in nutritione, sui dispicientiam significant; alij venerationem, & majestatem: Medicus autem vsus spectet ad salutem. *Quæstio de mammis, & barba masculorum.* *Natura arti multa committit.*

De retardando insigniter senio; & de reiuvenescentia.

CAPVT V. ARTIC. I.

Quæstio de vita producenda. VTrùm autem Medicina possit senectutis aduentum insigniter retardare, aut seni iuuentam restituere, vtilissima, diuináque est quæstio: ex dictis enim pro præseruatiua Medicina, liquet aliquantam fieri posse retardationem: ingestiones, egestiones, & circumstantia vtiliter curando. Vtrùm insigniter, versatur in quæstione. Dubitauimus enim in libro de sensu rerum, *Historia Arabis.* an iuuenis queat se in iuuentute seruare, vt Arabs quidam Medicus, 70. annos natus, vix 40. ex habitu corporis referens; jactabat se pharmaco in iuuenta seruatum; quod post septem quosque annos sibi applicabat. Audiui, non vidi.

In iecore, non in pulmone retinenda iuuentus. 2 Equidem, inquam, ex senij descriptione patet. Eiusmodi Medicina esse debet, quæ jecur in teneritudine conseruet, quo æquales similarésque in partes fundat cibum; cuiusmodi est in pueris; ne partes nutribiles deterius, & durius solidum, & res accipiant eo, quo constant, aut quod extrudunt. Carnes quoque, cæteràsque solidas partes emolliat; vt tantum nutrimentum accipiant, quantum est decrementum; & rimulæ senij, per quas exhalat transpiratio multa, obducantur, vel ex parte. His ita rectificatis, nil requiritur ampliùs; spiritus enim ex sanguine puro, & similari plurimus, purúsque fit: Pulmo enim ex defæcato in corde alitur sanguine, nec duritiem contrahit insignem, cùm crassas non hauriat particulas; nec deficienter: & fumositate in aquas spissata continuò madeat. Neque eius vsus est cordis refrigeratio, sed accensio caloris, ne deficiat spirituum refectio, & arterialis sanguis. Manifestè autem in jecore durities, & lapilli, senium indicant. Pulmo autem purgandus est fortibus ex cerebro illapsis; & si quid emolliendus, propterea emolliendus est, vt facilius cordis calorem augeat, ventilet, intrudat; purget, retineat, & ad sanguinis defæcationem spirituúmque generatio-*Lætitia & tristitia pharmacis & venenis potiores.* nem. Senium autem fit non caloris aucta copia, sed robore. Lætitia mentis cum victoria passionum in tardando senio omnibus præfertur medicinis: hæc ubi desunt, iucundis rebus, & philosophia, conciliabis. Tristitia enim ex subiecto cunctis venenis præualet. E contra rès festiuæ sine philosophia, & spe in Deum, hanc hilaritatem fere nihil adijciunt.

3 Con

3 Conseruari autem iuuentam, reficique indicant aquilæ cer- uique: qui à serpentibus percussi, quos & manducant, totam temperiem per validam veneni naturam alterant, mutántque: externísque perfusi aqua, quod noxium est expellunt. Chalybs quoque antimonio, vel arsenico iniecto dum liquescit, reuertitur ad mollioris ferri naturam. Præterea lue venerea afflicti adhibent extrinsecus vnctiones potentes temperamentum mutare, & occidere vaporem noxium luis prauæ. Intrinsecus verò syrupos, & pharmaca, noxios humores, & caruncalas, trahentia ad intestina; ac sic expellendos: & iecur mundificantia, & mollientia, vt melius sanguificare queat. Vnde sic mutati videntur quasi ad puerilem teneritudinem reddi: & pinguescere, qui macilenti, & sicci esse consueuerant: & nouum induere habitum, atque temperamentum. Igitur pharmacum nostrum purgationem intus, & deforis vnctiones. Itémque per 40. dies sumptionem virtuosæ potionis ex floribus rosmarini, & sacchari, & olei, & herbarum, sub fimo simul maceratarum, cum exsudationibus, & nutritionibus optimæ temperici, aliaque huiusmodi continens, rationabile est, quod subscribimus, Recipe. *Conseruari & instaurari posse iuuentam. Arg. 1.*

4 Sole intrante in Arietem, & Luna in primam, vel secundam crescentem quartam, & benigna Veneris, præsertim matutinæ, emergentis ex radiis, vel etiam Iouis configuratione: Recipe radicum angelicæ lotarum libras duas; florum rosæ marinæ libras quatuor; mentæ Romanæ latifoliæ libras quatuor; sacchari optimi libras sex. Pone in vase terreo nouo, bene pice obturato, quod sub fimo equino abscondes diebus 90. id est, vsque ad introitum in Cancrum, vel ante, si vas absconderis in præcedenti lunationis synodo benignis sub astris ante ingressum in Arietem: Deinde liquorem, qui ex prædictis simplicibus proueniet, pone ad aërem serenum per 60. aliosque dies: quibus transactis te humoribus prauis pharmaco benigno purgabis secúdum artem. Deinde per 40. dies sumes de prædicta compositione tribus horis ferè ante prandium; ita partita, vt sufficiat vicibus 40. póstque lentum exercitium, & hilare comede carnes salubrium animalium iuuenum, vt pullorum, vitulorum, perdicum: & vino vetere optimo lymphatóque: postmodum vnge totum corpus sequenti vnctione. ℞. florum genistæ lib. ij. olei veteris purgatissimi lib. vj. & pone in altero vase terreo, vt suprà eodem tempore Martij Sole in Arietem. Deinde post 90. dies in Iunio, extra- *Pharmacu ad iuuentam.*

he è vase: transeátque per pannum lineum calidum liquor ille, vt exeat humiditas: mox impone mediam libram cataputiæ; ac serua, &c. Cùm ergo compleueris prædictæ compositionis sumptiones per dies 40. vnge te hoc oleo per dies nouem. In decimo totum similiter ablues aqua vitæ. Idem potes post septennium repetere, ac deinceps in cæteris septenariis, vt caro, & iecur rejuuenescant absque vllo periculo.

Quæst. an puerorum sanguis & caro concilies iuuentam.

5 Quærit tamen quis non inaniter, an quia temperies trahenda est ad iuuentam, proprium sit pharmacum alimentum ex sanguine & carnibus infantium humanæ speciei, quas nec natiuus noster calor laborat valdè, vt in aliti substantiam inuertat; nec minuitur ob symbolum, & facilè trahitur, sicut in cæteris cibis, ad suam ipsarum temperiem, si continuetur: eóque magis ob symbolum exhalantibus nostris carnibus, succedunt illæ pueriles, quibus repuerascimus. Hoc magi veteres docuisse videntur: & diabolus naturæ rerum peritissimus suadet lamiis alimentum ex sanguine, & carnibus infantium: quorum annos etiam se potare, & manducare, & propriis annis addere forsan suadentur. At contrà. Si verum esset, tunc Reges Peruani & Mexicani, qui infantium eorúmque castratorum corporibus alebantur, longissimam vitam, ac iuuenilem vixissent; quod tamen historiæ ipsorum non affirmant. Præterea qui solis ouis, ac lacte nutrirentur, vt Monachi Carthusiani, diutiùs viuerent. Sunt enim hæc infantium alimenta, faciléque conuertibilia: Sed respondes; conuertibilia quidem, sed in suam potiùs naturam. Nam ex ouo gallinæ pullus gallinaceus fit etiam incubante columba, aut sub fimo, & calida arena: & lac ouis in ouiculæ naturam transit: magis igitur lac in humanam.

Resolutio. Etiamsi bene nutriat caro puerilis, haud tamen dat annos, quos malefici pollicentur.

Concedamus ergo hoc alimentum prodesse: quibus horror cibus propriæ speciei, & religio, non plus mali, ac macilentiæ, & nauseæ facit, quam cibus vtilitatis. Haud tamen valere ad mutandos annos, vt diabolici somniant. Ex eodem enim cibo aliti alius plures, alius pauciores viuit pro suæ naturæ viribus: nec ad insignem, quam quærimus, adolescentiam, nisi validiori mutetur pharmaco temperies. Quod theriaca imitatur, vt in ceruis, & in rabido cane commorsis. Non enim ferrum trahit, alterátque ferrum magnes viuidioris, consimilis tamen naturæ. Hinc video non sufficere iecoris, & carnis molitionem, vt paulò ante dicebamus; sed etiam à corruptela præseruationem;

Non sufficit iecoris & carnium emollitio ad retardandum senium, nisi

nem: qualis per sal, myrrham, myrobalanos, & aurum, in corpore, & animi lætitiam & victoriam supra passiones corporis, & spiritus confertur; sed hæc ad retardandum senium: illa vero ad reiuuenescendum, valent. *addas præseruationem à corruptela, quibus procuratur.*

Vt helleboro, vel gallinis helleboro nutritis, valet ad noxios humores seniles extrahendos, & molliendas carnes, vt antimonio chalybem: sed in ratione vsus periculum est, nisi sectas ceruos imitari.

6 An verò iuuentam etiam renouare, nedum retardare quis possit, quærentibus facilè respondetur: quod si potest totum solidum renouari hominis, id etiam fiet. Renouari autem posse concedunt, qui non easdem esse carnes, & ossa iuuenis atque senis putant. Continuò enim aliis partibus abscedentibus aliæ accedunt: ita vt tandem sint prorsus aliæ: sicut in fluuio aqua, & in candela flammula. Sed fortè hoc verum non est, nisi post multos annos; fit enim continuò partialis mutatio, non autem totalis. Sicut etiam in Republica continuò alij moriuntur, alij nascuntur: at non nisi post centum annos sunt penitus omnes, & singuli, non iidem. In fluuio autem subitò. At neque fortè post multos annos ossa renouantur: alij nec humidum radicale renouant: alij nihil posse in veritatem naturæ humanæ mutari volunt: & hi decipiuntur, nisi in dogmate Anaxagoræ, & Democriti. *An iuuenta renouari queat.*

Præterea cum particula nasi herilis amputati refecti ex brachio mancipij per Calabram magiam, post aliquos annos, putrescente, ac moriente mancipio, putrescere, ac mori visa sit: consequens est vt vix caro renouari posse existimetur tota, nedum nisi multis pòst annis.

Præterea vir Tarentinus alius in Italia, & Roiensis alius, & Saguntina Monacha in Hispania, aliique, quos ex historia colligit Delrius; in senecta prorsus reiuuenescere visos deletis rugis, & restituto nitore, viribus, & dentibus iuuenilibus; nequaquam in toto temperamento, & soliditate mutati penitus sunt simul: sed credo paulatim ex aliqua viuendi causali ratione. Neque enim ipsi id procurauerunt. Faciunt tamen argumentum, quod homo reiuuenescere queat.

7 Hoc autem valido pharmaco fieri puto. Si enim rabidi spuma canis, & serpentis, potest hominem quasi prorsus mutare, ac vincere in deterius: poterit id & in melius medicina. Lignum

enim succo petrifico ita lapidescit intrinsecus, vt non nisi oculis à lapide discernatur. Consimiléque quid aurum potabile in nobis efficere dicitur; vt myrrha, & sal, & myrobalani. Item pali, super quos fabricant Veneti, in salsos vertuntur scopulos: & nuces virides sacchato confectantur mirificè, sic, vt in aliam migrasse temperiem, & naturam videantur. Et omnes fructus sic à Ianuensibus immutantur. Et ne putes in alteram oportere vitam transiri, frumentum viuum in lolium viuum considera: & persica mala ex venenosis salubria reddita mutato solo.

Hoc tamen pharmacũ non sit subitò vincens; interficit enim: sed paulatim vincens vincatur. Nam sanati à peste quasi victores rarissimi pestis contagio victi sunt. Item Rex Mithridates assuetus venena modicè manducare, ac vincere; quando vinci à venenis voluit, non potuit: ideóque ensem adhibuit. Soliditatis igitur non substantia prorsus, sed temperies est immutanda in iuuenilem iuxta superius enarrata. Quibus autem persuasa non est conuersio: sed putant omnes mutationes esse transpositiones; aliter philosophentur.

Qui parietem veterem instar recentis emollire nouit, is temperiem solidarum partium immutabit. Non sine causa medicata olea, ac penetrata in supradicto quæruntur pharmaco. Est fermè æquè difficilis talis mutatio, atque argenti in aurum conuersio in communi philosophia: In antiqua verò atque auri ex argento extractio, vel è contra: ac simul pro extracto argento aliarum aurearum particularum aggregatio. Hoc autem facile est, si infantis caro sit aurum, senis vero sit ferrum, additum illi auro; & si illud aurum exhalauit, & successit ferrum, aut in ferrum conuersum est, longe difficilior erit reiuuenescentia.

Qui autem parietem ne obdurescat, nec nimis laxescat, nec minuatur, scit seruare, aut carnes à putredine; is senium retardabit.

Bibere in myrrhinis: manducare in aureis vasis prodest diuturnitati: condimenta etiam sint medicamenta.

De

De conseruatione per generationem.

CAPVT VI. ARTIC. I.

1 QVoniam quidem rarissimi ex ferro, aut ære aurum faciunt, & hi quodam casu, nam repetere non nouerunt: similiter rarissimi iuuenescunt, aut non magis senescunt tandem: propterea ad conseruationem speciei transeamus oportet. *Quoniam deficit vita indiuidui, curanda speciei.*

2 Proles generosa robore ac ingenio fit ex vtero mulieris proceræ, pulchræ, optimo corporis habitu, & sanitate gaudentis: imaginationibus generosis, & virtutum exercitio, ac corporis, assuetæ: & inspectione pulchrarum figurarum: copulatæ viro animo ac corpore sano, virtutibus, ac exercitio assueto; si coëant quando stellæ configurantur optimè, & in fine digestionis, & cum animus bonis imaginibus est affectus, nec prauè perturbatus; sicut docuimus in ciuitate solis: & per harum conditionum defectum deficit prolis generositas. *Quot requiruntur ad generosam prolem in coniugio.*

3 Nec macrum calidum macræ, calidæ siccæque copulabis, ne proles gracilis, vitiata corpore, & animo, hecticæ subdita nascatur. Nec corpulentum pituitosúmque pingui fœminæ corpulentæque, ne vel nihil nascatur, vel stupida, vilis corpore, & animo, proles oriatur. Fœcunditas autem, & bona proles, est in copula macri cum pingui parente. Alter enim viuacitatem, & robur spiritus, & corporis præbet, alter substantiæ solidæ abundantiam: fitque quasi ex ære & plumbo metallum vtroque validius. Haud tamen si nimis dissident generabunt. Neque enim Æthiops cum Moscouita prolificant copulati: sicut Italus cum Germana; & homo ex simia generat, non ex asina. *Ex macra & macro quæ proles, & quæ ex pinguibus coniugibus.*

4 Vas fœmineum potiùs esto magnum, vt proles sit procera: Nanus enim ex grandi muliere non nanos facit.

5 Impeditur ergo, vel deprauatur generatio, vel ex dissidio seminum magno, vel ex nimia similitudine, qua alterum in alterum parum agit: vel deest vel moles, vel viuacitas; aut ex paucitate seminis alterutrius, aut ex intemperie, & ægritudine, aut ex nimia fluiditate, qualis est in puerili: aut ex nimia crassitie: aut nimio feruore, qui spiritum elabi facit: aut defectu caloris, qui spiritum facere, & sanguinem attrahere ex matricis cornibus nequit; aut ex vteri angustia, aut obstructione venarum ad matricis cornua deductarum, aut ex sordibus in vtero repertis *Impeditionis & deprauationis genituræ, quæ sint causæ.*

pr- ptereáque

proptereáque desinentibus menstruis prolificus plerumque coitus.

6 Fœtus matri similis nascitur, quando semen maternum, aut spiritus, aut imaginatio præualet: vnde etiam masculi matri similes nascuntur, & fœminæ patri, quando paternum præualet: sed ergo mas nascitur, vbi calor genitalium validus est, vt possit ea propellere foras: vbi inualidus, fœmina; cuius genitalia sunt omnino masculinis similia, solo situ, & positione differentia, vt inuersa, & educta: opinor etiam maritum vxoris imaginatione affectum generare masculum vxori similem, & è contra: non tamen semper. Inuenimus autem non rarò homines masculos matri, & fœminas patri persimiles: consanguineis autem, cum neuter præualet parens: sed vsque ad quartam generationem auis, & proauis, & atauis similes nasci Plutarchus obseruauit, ex consimili in his transfuso semine, non autem vlteriùs. Quando verò tollitur omnino parentum similitudo ex noua temperie mistionis seminum, & cælo, & nutrimento; tunc extraneis, & distantissimis oriuntur similes. Indicant autem idem semen cælum, & actionem consimilium esse causam natiuitatis geminorum. Quorum faciem, & magnitudinem, & mores, & professionem, vitam & mortem, consimillimam sæpè obseruaui; & historiæ etiam sacræ asserunt de fratribus Cosma, & Damiano: & de Medardo, & Gildardo; & de Geruasio, & Protasio; non tamen de Iacob, & Esaü. Vidimus & nos fratres geminos alterum mori, alterum viuere, nec consimiles: quoniam non omnino eadem est materies, nec ex eadem seminis iaculatione concipiuntur. Solent enim in his, qui diu à coitu abstinuerunt, prior iaculatio esse fluida, & quasi brodium: secunda crassa, viscosaque, & è contra in his, qui non diu.

Cur soboles matri aut patri aut aliis nascitur similis, & cur mas & fœmina.

7 Vuluæ frigiditati per calefacientes vapores, & cibos, & per infrigidantes caliditati: obstructioni per aperitiuos, & acutos: sordibus per mundificatiuos: humiditati per exiccatiuos, consules. Sic etiam veretro applicabis pharmaca, & testibus; quorum est absoluere semen. Idcirco eis sectis, aut morbo affectis, totus masculeus habitus mutatur, & frigescit, vt nec pilos producere queant, nec vocem masculam ampliùs. Bruta idem patiuntur: vt intelligas robur tolli, vbi officina roboris, & spirituum communicandorum defecerit: omne enim vas toti corpori confert quod suum.

Curatio vuluæ non concipientis.

8 Verum

8 Verum est quod ex dextro testiculo, & in dextra vteri parte mas concipitur; propterea quod calidiores sunt sinistris. Haud tamen nascetur mas, nisi tantus sit calor, qui genitalia extrudat. Propterea non est in hac sola dextrorsum cura immorandum, volentibus producere mares, sed calores, & masculi cibi, aër, & aqua masculina, quærenda.

Iterum de maris & fœmina cura.

9 Omne potens, actiuiúsque, respectu minùs potentis, minúsque actiui, in sua specie mas est.

Pythagorica regula, quod in omni natura datur mas & fœmina.

10 Ex eisdem causis cum exorbitauerint monstra fiunt: ex paucitate enim seminis, vel vuluæ angustia, nani, vel membro aliquo carentes, fiunt. Ex multitudine gemini, aut trigemini, aut vnus cum duobus capitibus. Ex frigiditate mola non organizata. Ex dissidio seminum secundum speciem semibestiæ, vt ex simia & muliere. Secundùm climata, & temperiem, vt ex Æthiope, & Polona quid similiter non in membris, sed in colore, & formatione. Et quando mistio facit temperiem caninam, & porcinam ex dissidio quid simile porco, aut cani nascitur: siue à cælo, siue ex pugna seminum fiat exorbitantia.

De monstrorum causis, &c.

11 Item ab imaginatione, & affectu in coitu, & post. Mulier enim inspectans Æthiopem, genuit alba nigrum: & ludens cum simia filium simiæ in facie, & gesticulationibus; & alia affecta crucifixi Christi cogitatione in Germania pridem genuit filium cum stigmatibus, & corona crucifixi. Et filia Regis Scotiæ coiens cum diabolo formam monstrosam induto, illam in fœtu expressit. Quia semen furto sublatum à diabolo talem in spiritu affectionem habuit. Nec fabulæ istæ, cùm à doctissimis sint experimento comprehensæ, & nuper in superiori Calabria patentissimum præbuerit experimentum. Viator allectus ad coitum à diabolo in mulieris pulchræ forma, quo peracto in via Terranouæ euanuit diabolus, obstupuítque rusticus; & narrauit Principi, & multis. Igitur spiritus, qui est in semine fabricat corpus iuxta exemplar affectionis inditæ: alioquin nec parentes exprimerentur. Ex quo colligitur veritas syllogismi physiognomici, ex fabrica affectiones, & propensiones concludentis.

12 Post coitum etiam vehementes affectiones exprimuntur in fœtu, communicante cum spiritu, & sanguine, colligatóque cum matre. Vnde pauore nimio affecta prægnans genuit filium pauidum oculis contortis, fronte retracta, & tremore perpetuo illum pauorem exprimentibus. Vnde verum est, quod vali-

K dum

dum desiderium in fœtu desideratæ rei stigma producit: vt in Physiologicis docuimus. Ex his, éxque ibi dictis, & in Astrologia, cætera nosces. Nec stellæ bestialem formam dant fœtui, nisi temperamentum seminum ad illam mutent, apténtque. Vide.

13 Quoniam in se moriens homo viuit in filio sibi simillimo, vel meliori, præstat philosophis, & sacerdotibus sapientiæ, & meditationibus deditis, spiritu debilibus proptereáque nec similes, nec meliores, sed deteriores plerumque producentibus, (quoniam spiritum à capite, cum sint cogitationibus occupati, nullum vel exilem emittunt: qui sapientiæ affectum, & similitudinem paternam producere idcirco nequit, & multum ex testiculis crassum effundunt, vt in filiis Salomonis, Socratis, Ciceronis, Telesij, & aliorum sapientum rudibus experimur plerumque) abstinere ab vxoribus: & non nisi menstruo, aut trimenstruo vti propter medicinam coitu: aut viuacem, & succi plenam coactos ducere, virginémque. Cæteris verò robore, & ingenio, solis contemplationibus non occupato, pollentibus, qui ex capite etiam emittunt, totósque se actu in venereo fortiter transfundunt: vnde similes, & præstantiores gignere pro recipientis, & constellationum constitutione generant, generationem, præfatis sub regulis, alibi prolixius explicatis, assignabimus.

Quibus committenda, & quibus non committenda generatio.

Finis secundi Libri.




MEDICINALIVM LIBER TERTIVS.

IN QVO DE CVRATIVA artificiali generatim.

Qua ratione curatiua Medicina contrariatur morbos ac causas, & sedes morborum idcircò considerandas esse.

CAPVT I. ARTIC. I.



VEMADMODVM in Medicina præseruatiua, similia similibus seruantur per se: contrariis verò per accidens, & extrinsecùs: vt calor natiuus per circumstans frigus non insuperabile: sic in Medicina curatiua nunc contraria contrariis curantur per se: vt repletio per inanitionem; intemperies calida per frigidas res: per accidēs verò, etiam similibus. Venenum enim viperæ extrahimus, viperæ capite eius applicato vulneri: & choleram rhabarbaro ei consimili trahimus in ventriculum exinde purgandam, & inflammationem adusti cruris aqua tepida, quæ poros aperiat egredique inditam flammulam efficiat, quam frigida internaret, & roboraret. Huius principij in cunctis memento.

Alij contraria contrariis: alij similibus curant, qui distinguere nescierunt de Medic. curatiua, & præseruatiua.

Ideo Paracelsistæ à Galenistis desciscunt.

2 Est enim vbi simile & contrarium ad contrarium extrahendum miscentur: si quidem sapone, ex oleo, cinere & calce confecto, maculas olei ex panno extrahimus, oleo inuitante oleum, & alliciente: cinere, & calce simul expellentibus. Quare maculas vini sapone, ex calce, vinóque confecto, educes, si hanc nosti magiam. Sic ergo in pharmacis purgatiuis adhibemus ea,

Qua ratione in pharmacis contrario & simili simul vtendum, & conseruanda.

quæ causis morborum similia sunt, & contraria: vt in theriaca veneni purgatiua carnes viperæ venenum allicientes, & aromata simul pellentia. Additur etiam aliquid conseruatiuum.

In pharmacia ex circumstantib. consimiliter operandum.

3 Itidem in Medicina, & circumstantibus operabere. Non enim intemperiem calidam, qualis hectica, in frigidissimo statim aëre, vel balneo, curabimus: sed priùs in tepido, non dico calido, sed tepido; qui poros aperiat, alliciátque calorem noxium; statimque frigidiusculum applicabis, vt per apertos intret poros: illicóque intemperiem sedet; quam poris non apertis roborasset. Deinde adde conseruatiuas medicinas acquisitæ temperiei, scilicet cibum, & aërem, sanæ aptos, & ad conualescendum.

Conclusio. quando contrariis, quãdo similibus, & quando vtrisque vtendum.

4 Per contraria igitur curamus, vbi extrinsecus est morbus, in venis, & solido: vbi verò intrinsecus, oportet etiam similia morbosis causis adhibere ad extrahendum, & contraria morbosis causis ad pellendum, & similia naturæ sanæ deinde ad roborandum, & conualescendum. Quapropter si pituita est in ventriculo, & intestinis, quæ sunt via pharmaco purganti, sufficit contraria res pituitæ, vt cæpa & agresta incidens eas, & expulsioni aptans, & mel abstergens: si autem fuerit in venis, & in capite, agaricum, & res pituitæ similes permiscebis, quæ ad ventriculum ipsam trahant exinde pellendam.

ARTIC. II.

Non morbus seu læsio, sed causa & causa causæ Medico præcidenda. Nota pro podagra.

IN omni curatione ad causas morbi primum respicies: quas si non præcideris effectui soli dans operam, licet dolorem lenias, morbum tamen auges longitudine, & magnitudine. Non ergo fomenta, & tepidi humores violæ podagram pedibus applicati sanant, etsi dolori blandiunt; sed distillationis ablatio. Nec distillationis ablatio prodest, vt imperiti solent Medici adhibendo cibos crassos fluxionibus ineptos: nam postea fient apti copiosi redditi. Sed si cruditatem auferes, ex qua vapores crassi eleuantur in caput, vnde fluunt, conuersi in fluores ad pedes & iuncturas. Igitur vinum album, & cibi faciliores, vtiliores. Ergo non modò causas proximas, sed primas, & causarum, & viarum causas sapienter perscrutatus auferto; qui morbos vincere, non pacificare studes: alioquin omni febri frigidam dabis, & occides.

2 Alibi solet esse causa morborum, alibi sedes, & alibi participatio,

cipatio, & consensus. Vt aliquando doloris capitis causa est in ventriculo euaporante noxialiter: morbus in cerebro: participatio in cute capitis, oculis: consensus in toto corpore. Vna est enim omnium partium conspiratio. Vnde Medici quasdam lædi per essentiam dicunt, vbi videlicet est affectio morbosa; quasdam per consensum, vt adnatas, idem malum per participium & vicinitatem sentientes; qui loquendi modus non improbatur, dum etiam omnibus membris, vel minorem consensum tribuant. *Consideranda causa, sedes, & participatio morborum.*

3 Causæ morborum in sua serie sunt vel ab ingestione, vel ab egestione, vel à circumstantibus, cum exorbitauerint indiuidualiter: quemadmodum conseruationis erant ab iisdem, cum iuxta indiuidui naturam, ac mensuram se habebant. Medicinæ quoque curatiuæ etiam ingestione, & egestione, & circumstantibus parantur. Propterea Hippocrati omnis medicina est adiectio, vel subtractio. Causæ, aut proximæ sunt impotentia, & læsio alicuius partis ex dictis effecta causis: aut innata ex causa extra seriem medici negotij, vt debilitas ventriculi est causa cruditatis, quamuis cibi ingesti sint facilè digestibiles, & proficui. Hanc debilitatem si cibi venenosi, aut iecur, aut studium effecerunt, sunt intra medicum negotium; si verò ex parentum mistione hæreditatur; extra. *Causa prima morborum, & Medicinæ.* *Causa proxima.*

4 Sedes primæ morborum spiritus, humor, & soliditas: proximæ sunt singulæ partes specificæ, vel organicæ: vt caro, neruus: vel os, oculus, ventriculus, penis. Distingue omnes species, & organa potestatiui, cognoscitiui, & appetitiui; sicut in primo libro. Mens autem morbi physici non est sedes, sed moralis, nisi per consensum, vt dictum est priùs. Ideo curatur curatis morbis spiritus, quem primò informat; aliarumque partium, quas secundò, & cum illo. Pessimus morbus, & mors est, vbi omnes inuaserit. *Sedes communes & propria.* *Mens per accidēs morbi phys. sedes.*

5 Considerat etiam Medicus symptomata morbi; quæ sunt coëffectus illius, vt dolores, sudores, fœtores, tumores, & alia quæ cum passione ægrotantis fiunt. Itidem effectus, & quatenus sunt fines, vt mors, & remanentes ab eolæsiones: & quatenus sunt indicia, vt vrinæ cruditas, & coctio, aliorumque excrementorum. Et motiones manuum, & membrorum, & voces, & faciei colorem, & maciem, & formam, & somnia, somnum, vigiliam, & medios euentus: qui futuram indicant victoriam, aut perditionem *De symptomatum consideratione, & signis obseruandis.*

naturæ: & ex his prognosticatur iuxta communium etiam causarum adiumenta, & contradictionem: vnde criticos dies Luminaribus assignant.

Qua ratione, & quæ causarum genera, in morbis considerantur.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 QVoniam morborum corporis causas inquirimus, quos morbis animi similes esse diximus: consequens est, vt quemadmodum amor, timor, & cæteræ passiones, quando regulatæ non sunt, ad bonum verum consequendum, vitia sunt, morbique: quando verò regulantur, virtutes: quin immo non fiunt virtutes, sed virtuosæ, cum virtus non sit ipsa regulata passio, sed regula passionis: Sic & in corpore sanitas est eius symmetria, & consonantia omnium partium in mutuis officiis; non autem partes, quæ potius sanæ dicendæ sunt. Igitur & causæ sanitatis cum exorbitauerunt à natura indiuidui in excessum, & defectum, in substantia, in quantitate, & qualitate, & in actione, & passione, & tempore, & loco, & cæteris categoriis, sunt causæ morborum. Egestio igitur, & ingestio, & circũstantia exorbitãtia faciũt morbos.

Sicut virtus & regula in anima ita sanitas in corpore: morbus autem huius vitio illius respondet.

Diuisio causarum in genera & species.

2 Genera causarum sex sunt; dicebamus in Metaphys. Agens, materia, forma, idea, finis, & perfectio. Et harum aliæ propriæ, aliæ communes: quarum omnium, aliæ proximæ, aliæ remotæ. Iterum aliæ concausæ reperiuntur sub iisdem generibus propriarum, & communes; vt causæ instrumentales, occasiones, & commaterialitates. Has omnes in morbis vide.

Non datur in Medicina causa finalis morborum.

3 Causam finalem morbi Medicus non considerat: quoniam cùm morbus sit præter naturam enormitas in indiuiduo: naturaque indiuidualis pro fine non habeat, quæ extra suam intentionem, & contra se sunt; consequens est, vt morbi nullus sit finis in Physica. Est tamen in Theologia punitio peccati; & alia Dei iudicia. Quæ Medicus si consideraret, suum officium non faceret. Vnde Mathematicus non considerat causam finalem trianguli; sed quæ vtitur triangulo intelligens causa.

Quomodo vtitur Medicus idea.

4 Causam quoque idealem Medicus non considerat in suo fonte. Enormitas enim non habet ideam fortasse, nisi quatenus ens: nec si haberet, esset physici hominis consideratio: considerat

derat tamen similitudines ideales in communi natura: & his valdè indiget: Neque enim intelliget, quo modo à cibo hectica recrudeſcit, niſi per ſimilitudinem, & ideam feruoris calcis, à ſuperiniecta aqua: & diſtillationis morbos, à pluuiarum ratione diſcit.

5 Cauſam materialem, ſeu potius ſedem, in qua fit morbus valdè conſiderat, vt corpus hominis, & hanc corporis partem, vt cerebrum, aut ventriculum. Item ex qua, vt vapores craſſos è cibo eleuatos conſiderat. Sic etiam remotam materiam, vt cibos; remotiorem, vt elementa, & eorum affectiones, vt ex quibus, & quali terra ortus ſit cibus iſte: & circumſtantem aërem, aquam, & cælum, quatenus materialiter concurrunt. Materiam tamen remotiſſimam informem non conſiderat, niſi vt calidam, frigidam, craſſam.

Materialis in qua & de qua valdè conſideranda Medico.

6 Cauſam actiuam etiam conſiderat, vt calorem, & frigus; tam ſimplicem, quàm compoſitam, vt ſpiritum, cicutam, fel: & remotas, & proximas, non tamen remotiſſimas ſupernaturales: multos enim morbos immittit Deus, vt Ægyptiis: & credo hos omnes per miniſterium malorum Angelorum, vt in Iob declarat Scriptura, & in ea, quæ fluxum ſanguinis 18. annis patiebatur. Vnde Chryſoſtomus & Auguſtinus omnia mala malorum Angelorum miniſterio nobis infligi autumant, bonaque bonorum. Sunt etiam manifeſtæ maleficarum læſiones, & morbi in corporibus humanis: quos Paracelſus doctè agnoſcit in ſcholis Galeni occultos eſſe: ſed impiè à diabolis, & maleficis medicinas eorum quæritat, cùm & phyſicè, & theologicè à contrariis Angelis bonis, & à Deo potiùs quærendæ ſint, & per Theologiam curandæ, non per Medicinam, niſi vbi diabolus naturalibus rebus vti agnoſcitur ad vexandum. Vt cum melancholia, aut cholera concutit, aut herbis venenoſis; tunc harum expulſione, & contrariorum adhibitione, ſimul & per religionem curabis. Vnde Galenus morbos non vulgares ad religionem quoque (præſertim Chriſtianam) remittit. Agnoſcit quoque Ptolemæus morbos quoſdam curari medicina, vbi Iupiter reſpicit diram conſtellationem: quoſdam religione, vbi Venus, quæ id non præſtat, niſi fortè diſpoſitiuè; ſed ſignificat, vt in Aſtrologicis pro Theologia enucleauimus; & Dæmonoplexiam vtroque curat modo. Maleficia autem maleficiis tollere, & ſuperſtitione, vetamur.

De actiuæ cauſa conſideratione medica.

Idem S. Aug. in pſ. 11.

7 Cauſam morborum formalem non ſolum eſſentiæ ipſorum, ſed

Causa formali. consideratio multiplex. sed etiam generationis formam, modúmque, maximè considerat Medicus; vt cùm ait febrem esse conuersionem caloris natiui in igneum. Verum cum formæ sint innominatæ in particularibus, aliquando ponitur eius effectus loco formæ: vt cum dico podagram esse læsionem, vel dolorem pedum: læsio enim, & dolor efficiuntur à morbo: sed forma, & podagra est fluor ex capite in articulos pedum illabens, motum tollens, & dolorem faciens. Et cum morbus sit accidens, semper ponitur eius subiectum loco formalis differentiæ. Genus autem formam communiter exprimens, vix vnquam proprium ponitur; sed commune est vitiis morbísque intrinsecis & extrinsecis animi, & corporis. Similiter dolor, & fluor, inflammatio, aliæque causæ formales, vel formalium loco positæ, siue formaliter, siue causaliter. Causam perfectionis itidem comprehendes. Aliquando enim morbus imperfectus, & mitior; aliquando crudelior, perfectúsque. Idcirco ab effectu eius indicatur vt plurimum.

Per omnes causas quique morbi sunt definiendi. Vbi autem ponitur causa finalis, ille non est vere morbus. 8 Non est autem bonus Medicus, qui non omnes causas morborum assignat, neque per omnes definit: immo & effectus in definitionibus ponet, vt magis natura morbi in indiuiduo innotescat. Cæteris artificibus hoc periculosum non est vti Medico. Quapropter si dixeris, *febrem esse caloris natiui accensionem*, nihil doces ferè; nam & ira etiam accendit calorem natiuum, & Sol æstiuus in nobis, & in plantis. Si autem addideris *in animali, & homine*; hoc etiam ab aliis causis factum, non est febris. Si addis *in venis & spiritu*; non exprimis naturam febris. Tandem addens, *ad putrefactum humorem coquendum & expellendum*; tunc attingis naturam: quia causam materialem, in qua fit accensio, & propter quam, apposuisti. Sed ex hoc agnosces, *in lib.* 7. quod febris non est verè morbus, quando de naturæ intentione est. At tunc demum satisfecisti, cum dolores & rigores, cæterósque effectus comprehenderis, & totius accensionem. Et hoc verum est in communi. Sed in febre huius indiuidui curanda, oportet non modò accensionem, sed accensionis modum, & tempora, & circuitus, & moras, & quibus in vasis, & propter quem humorem, aut fuliginem, aliudve excrementum: & quid fuit in causa retentionis humoris praui; & quæ causa prauitatis præcessit: & quid impedit, aut lædit: quibúsque causationibus, & instrumentis, & cognationibus. Has autem res similitudinibus idealibus in rerum natura declarabis, vt similitudine belli ciuilis, & ignis accensi,

accensi, & conuersionum pluralium non vna. Quæ nobis [illegible] tes & rei modum suam habet in natura: & meliùs declarat vicinior, quàm remotior, vt *in Logicis.*

De Causis morborum, & forma morbi, & effectibus cognoscendis.

ARTIC. II.

1 CAusas morborum innascentium actiuas, & materiales cognoscimus. Primò in formalibus: Omnis enim causa similitudinem suam in forma effectus sui facit: qualitates autem causarum, & quantitates ex effectus quantitate, & qualitate; vt podagræ causam ex tumore, & motus impedimento, scimus esse fluorem ex capite destillantem. Ex acumine verò doloris, & exili duratione, scimus esse acutos tenuésque, & acres fluores. Ex hoc deinde ciborum acrimoniam, & capitis calorem venamur priores causas.

Qua via inuestigatur actiua & materialis causa.

2 Sunt autem causæ formales 13. videlicet, destillatio, obstructio, inflammatio, refrigeratio, inflatio, putrefactio, vlceratio: tumor, ariditas, immobilitas, tremor, relaxatio, passio spiritus: quæ plerumque miscentur.

Formalitates physicæ morborum. 13.

. Morborum verò illatorum, qui pertinent ad Chirurgum, causas formales inuenio contusionem, vulnus, quod incisione, aut perforatione fit; luxationem, fractionem. Horum facilè scimus causas, quas nec Medicina curat, nisi qui superstitiosè ensem medicinis afficiunt: asserúntque sic vulnera eo illata ense sanari, de quibus alibi. Illorum verò causas tollere oportet, de quibus iterùm.

Chirurgia quatuor.

3 Deinde tales causas ex effectibus iterum cognoscimus. Colores enim, & odores, consistentiæ, qualitates vrinarum, & stercorum, anhelitus, & sudorum, & excretionum, peccantes indicant humores, & virtutis naturalis insuper ad eos vincendum, quantitatem. Nec modo agentes tantum causas, sed etiam deficientes inquirimus. Morbi enim cum sint præter naturam, defectus causarum potius præiaciunt, quam robur.

Quomodo ex passionibus effectuum quinque agnoscuntur morborum causæ causantes & deficientes.

4 Igitur si destillationis causam in vrinæ cruditate, & stercorum, inuenimus esse fumos crassos in ventriculo genitos: non modò causam materialem scimus esse cibi crassitiem: sed acti-

Exemplum.

uæ loco ponimus ventriculi ad coquendum debilitatem: quam vel innatam venamur, vel ab improportione ad tantum cibum, vel à coitu dissipante vires; vel aliis causis.

Ex præcedentibus causis & occasionibus, iisdem morborum causæ propriæ inuestigandæ.

5 Quapropter tandem venabimur causas ex præcedentibus cibis, potibus, & exercitiis, ociis, excrementorum retentionibus, aliisque accidentibus, & viuendi ratione, & temperamento corporis, & ex obiectis sensuum & appetitionum, & ex cælo, & constitutione, erecta figura in puncto decubitus, vt ex lunatione præcedenti, & eclipsi, & cometa si præcesserint: ex quarta anni, & anni dominio, & concordia prædictorum cum apheticis locis genituræ ægrotantis; & dominis directionum, & progressuum, & ingressu planetarum ad illos, vt in Astrologicis non superstitiosis, sed physicis, docemur. Sic enim & communes, & proprias sciemus causas morbi: quæ si concordant, effectum illustrem, & ingentem producunt: si discordant, modicum, & vmbratilem: pro rata tamen vincentium plus minus.

Documentum.

Apprimè notandum.

6 Medicus iudicat de causis non secundùm naturam, sed secundùm nos. Cichoream à calore genitam dicit frigidam, quia iecur refrigerat: sic de singulis.

De Morborum sedibus ex symptomatibus, & effectibus cognoscendis generatim.

Caput III. Artic. I.

Duo indicant sedem morbi.

1 SEdem morbi symptomata, & effectus indicant.

Læsio functionis spiritalis, aut humoralis, aut organi solidi indicat sedem morbi, spiritum, aut humorem, aut solidum si per essentiam, non per consensum.

2 Præcipuè autem læsio functionis: si enim operationes animales læduntur, in spiritu animali morbum indicant, siue functiones illæ sint potestatiui, quas nimius motus, aut nimia ira deprauat: & omnis exorbitantia passionum in primo libro narratarum: Siue cognoscitiui, vt cum imaginatio, aut memoria, aut credulitas, aut discursus, aut sensus non recte suum officium faciunt: Aut appetitiui, vt amantium passiones exorbitantes indicant: qui etiam se ipsos interimunt; & furere alij: mentem enim sedem morbi physici non esse diximus. Hæc autem indicant morbum in spiritu, cum ab obiectis talium passionum fiunt; non autem cum per consensum: læso enim cerebro, etiam læditur spiritus ab humore prauo; sed sedes morbi est cerebrum: quo purgato morbus, & spiritus etiam sanatur. Nunc

Nunc autem morborum ſedes per eſſentiam quærimus. Si verò lædūtur functiones humorum, quæ ſunt nutrire, emollire, vngere membra ad motum, & alia à principio narrata; tunc facilè in humoribus intra, vel extra venas, aut in viſceribus, fontibus, & vaſis eorum, morbum intelliges. At cum ſolidi corporis officia deprauantur; tunc in ſede corporis morbum inuenies: in eáque corporis parte, in qua eſt deprauatio; vt in podagra manifeſtum eſt pedem eſſe ſedem: quoniam ipſe pes ambulare non poteſt: in peripneumonia pulmonē, qui difficilè reſpirat: in aſthmate muſculos intercoſtales, qui difficilè eleuantur. Et ſic de cæteris explorabis organa appetitoria, ſenſoria, & poteſtatoria, percurrendo an rectè ſuum exequantur munus. Poteſt quidem non læſo organo functio lædi, vel expediri, vt in ſomno functio manus, & in vteri affectu functio linguæ: quoniam non lingua, ſed ſpiritus, qui linguam mouet, alibi impeditur: quod non accideret, ſi potentia eſſet forma organi, vt Ariſtoteli ponitur. Non enim pateretur functio, niſi organo læſo. Hoc nota, vt organum non ſemper morbi ſedem facias.

Quæ non læſo organo lædi queat functio organica.

De ſymptomatibus ſpeciatim.

ARTIC. II.

1 SYmptomata autem conſignificantia, ſunt, quæ morbum concomitantur in ſua ſede, vel in vicina. Hæc autem clariora ſunt in ſolido. Nam vbi dolor, & ſudor, aut alia excretio, ibi morbi ſedes. Vomitus, fluxus alui, tremor, rigor, ſanguinis eiectio: mentis alienatio, tumor membri, & febris in eo: vociferatio, deſiderium rerum inconſuetarum, & alia huiuſmodi, quæ in morbi declaratione fiunt, clara ſymptomata ſunt, ſedem morbi, & qualitatem, indicantia.

Vbi ſymptoma, ibi morbus.

De dolore.

2 DE dolore nihil dubitandum, quin propriè morbi ſedem oſtendat: non enim dolor podagræ, niſi in pede; nec ſtrangulationis vteri, niſi in vtero: nec aſthmatis, niſi in pectore; nec cardialgiæ, niſi in ventriculo, licet aliæ partes condoleant. Dolor autem eſt affectus ſequens ſenſum præſentis mali, vt di-

Vbi dolor, ibi ſedes morbi.

ctum est in Phys. sicut voluptas est affectio sequens sensum præsentis boni. Malum autem est, quod destruit substantiam, aut qualitatem, aut quantitatem, aut ordinem, aut symmetriam, in quo fit: sicut voluptas conseruat. Quapropter non sola continui solutio facit dolorem, cum non sola sit malum: est enim malum compressio spiritus in membro inclusi, & luxatio membri ordinem deturbans, & spiritum afficiens compressione, & torsione. Item intemperies frigoris nimij, nimijve caloris; & incrassatio; & attenuatio nimia; & quidquid à vitali compositum suo modo aufert, aut impedit, dolorem causat. Per accidens tamen dolor solet esse medela; vt cum amara medicina extrahens choleram, qua transit qualitatem mutat; aut sectio venæ afficit dolore, soluens continuum, vt exeat sanguis morbificus; sic & voluptas, licet sit sensus boni: vbi tamen bonum illud ex malo admisto, causa per accidens est mali; & affectio sequitur mali. Anima quoque saucia amore deserentis amasiam dolet, quoniam tali bono priuatur: sanatur tamen à tali morbo, quod in tali bono, cuius sensus affectio est, illa impura voluptas inerat.

Quid dolor, quid voluptas.

Quot modis fit dolor.

Si autem dolor non sentitur in affecto membro, signum est spiritum inde abscessisse.

Si non dolet vbi est causa doloris, abest spiritus.

De Sudore.

DE sudore, qui est excrementosi roris in cutem eiectio, talis ratio datur. Cum enim morbus in membro aliquo est, spiritus eò accurrit, vt auxilietur, & tunc aucto calore, motúque ros ibi inhærens exprimitur. Manifestè enim cum caput dolet, exudat. Similiter crus, & manus læsa. At quidem inflammatio quædam præcedit sudorem. Cum autem quis toto sudat corpore, toto quoque febricitat. Hæc de sudore comitante. Nam sequens morbi affectionem, est sequens effectus criticus, indicans naturæ victoriam, non symptoma morbi.

De sudore symptomatico indicante sedem morbi.

De Tumore.

TVmor eadem ratione fit; quoniam humores praui superfluique in membro affecto congesti, augent illud, faciúntque apostema, per partem laxiorem exire contendens. Vnde

Tumor sympt. & criticus index qui.

capitis

capitis purgatio fit per apostema ponè aures: pectoris in axillas; abdominis in inguina. Sed hi tumores ad effectum criticum pertinent verius: ad symptoma verò, quæ comitantur, vt in pede tumor podagræ; papulæ in pestilentiali febre: tubercula in morbo puerili, in toto humoris praui abundantiam indicans; quæ tamen pars morbi computatur.

De Alui, & oris emissionibus.

ALui fluxum, & vomitum non subitò indicare in intestinis, & in ventriculo morbum, oportere, febres ostendunt: in quarum exordio spiritus ad interiora reuocatus viscerum educit ingestiones. Timor etiam hoc facit absque morbo, & reuocatione fugientis ad inferiora. Sed si purgentur quæ morbifica sunt, tunc symptoma esse dices: Solet enim bilis abundantia, aut alterius humoris peste affecti turgentisque facta spiritus auocatione effluere. Cum autem ventriculus afficitur, eius symptoma est cibi adhuc crudi eiectio, difficilisque retentio, & inappetentia. Cum viscera, chyli eductio antequam à iecore exugatur: & sanguineæ guttæ, ex viscerum corrosione; & alia huiusmodi, quæ sapiens Medicus perscrutabitur, ex consensu ne, an per essentiam.

Vomitus & deiectio quādo, quid, & vbi significant morbum.

De Tremore, & Rigore.

TRemor, & rigor, spiritus fugam, timentis cum humore aliquo malo in principio pugnare: siue corrosionem, & acrimoniam in membro, indicat, à qua fugiat. Idcircò membrum destitutum à mouente spiritu se in suo motu, & officio continere non valens, partim attollitur: partim deprimitur; quod est tremere. Rigor verò sensus frigoris est, & tamen nullum ibi frigus, vt fingit Galenus ex elementorum congerie: & Hipp. ex insectanti pituita; sed sola caloris absentia per abscessum spiritus, sensum frigoris facit; quemadmodum in timore, quem gelidum vocant poëtæ, experimur; vbi sola fuga spiritus in parte derelicta frigoris sensum facit: minor enim calor, & eius absentia, frigus apparet: vt in Phys. Vbi autem tremor, & rigor: ibi esse humorem lædentem, aut pungentem oportet. Manifestum est enim in quartana acrem humorem exuberantem in

Quid significet tremor & rigor.
Qui fiant.
Quid tremor.
Quid rigor.
Hipp. in lib. de spiritu.

venis,& ad musculos effugientis, talem efficere rigorem ab humeris ad renes. Sublato autem vapore accensus hæc facit humor. Deinde sequitur inflammatio, accenso spiritu capessente pugnam; & pulsationes ex paruis, raris, tardisque fiunt magnæ, crebræ & veloces; quibus attenuetur sanguis, & humor prauus: expellatúrque simul. Horror autem fit cum acer per cutem educitur humor, vt bilis.

De Febre symptomate.

Illatio necessaria, quod febris symptoma sit. vid. lib. 1.

1 QVapropter febris omnis symptoma videtur esse, nō morbus. Est enim inflammatio spiritus contra morbum, propter hunc finem, scilicet expellendi noxij humoris, vaporis, & excrementi. Morbus autem finalem non habet causam, vt superiùs dicebamus. Febris ergo symptoma, non morbus est: nisi fortè hectica; de quibus infrà. Et sicut coctura morbificæ causæ, vt humoris in apostemate, non est morbus: sic febris in venis; sed bellum.

Febris nequaquam indicat in corde morbum.

2 Omnis febris videtur Galeno morbum cordis annunciare. Et quidem perperam. Nam quæ in inguinis apostemate fit, in loco affecto incipit, vbi opus est accenso feruore ad coquendos humores peccantes. Et hoc manifestum est in multis passionibus solius animi.

Quid sit, & quid indicet suspirium.

3 Nec suspiria cor læsum indicant; sed spiritum cogitantem aliquid attentè, cuius causa intermittit pulmonis motionem, ad quam reuocatus malo illius, reficit subitò respirationes intermissas: quod est suspirium, symptoma indicans tam spiritus in cogitando, admirando, aliúdque faciendo, quam corporis functiones, labores, seu anxietatem.

De febri communi & topica.

4 Febres sunt symptomata in vasis, vbi communiter in corpore grassantur. Vasa enim ad totum corpus pertinent. Accensiones vero membrorum sunt febres particulares, ibi morbificam causam indicantes.

Symptom. morborum qui in spiritu.

Qui autem morbi fiunt in spiritu, habent pro symptomatibus suspiria, vociferationes, spiritus immanes, verba peregrina, alienationem, eiusdem rei rememorationem, stupores, & læsiones alias functionum spiritualium: quales in furore, ac Dæmonoplexia contingunt.

De

De effectibus.

ARTIC. III.

Effectus morborum, qui cum passione non sunt, sed ex eis suboriuntur, indicant sedem morbi: croceus enim color in ictéritia pallida, indicat in vesica fellea obstructionem. Niger in liene. Rub. res iecoris inflammationes. Arenula in vrina renum morbum. Adeps eorum inflammationem, si non fœtet: si fœtet, corporis colliquationem, & cæt. quæ in vrinis, stercoribus, & spuitionibus considerari solent. Vnde etiam eiectiones fiunt, ibi morbus. Neque enim si spuat sanguinem, subitò pulmonem læsum iudicabis, nisi sanguis sit spumosus, & spirituosus, & rubicundus valdè: qualis in pulmone; & cum pectoris nisu excreetur. Sunt etiam in vnguibus indicia sanguinis deprauati, quando ibi transparet magis; & in labiorum collapsu spiritum mouentem musculos abire intelligimus. In ordine seruato vires seruari. Item ex macie faciei, ex linguæ colore, & crassitie, humoris naturam, & propè locum; aliáque signa, de quibus particularis fiet sermo, habemus. Neque insomnia excludimus, & eas animi passiones, quas talis humoris, & temperiei gradum sequi per Physiologiam agnouimus. Atrabiliosi enim solitudinem amant: fastidio habent omnia: extranea vident, horrendáque: diuinant: furunt: terrentur. Quas passiones in ægrotante, atræ bilis abundantiam significare planum est. Facies acuta, pallens, subnigra idem contestatur. Cholerici, amarulenti, iracundi, pugnaces, impatientes, acuti, mordaces, vultu subflaui, macilenti, impetuosi. Quæ in ægroto pariter flauam bilem abundare admonent. Eius sedem fel, & venas ergo purgabis.

Sedis morbi signum ex colore.

Ex sputo.

In vnguibus & labiis.

Ex macie, ex lingua.

Signum atrabiliosorum.

Signa cholericorum.

Pituitosi spuunt, excreant, torpent, ociantur; tædio tenentur summo, corpulentia; albidi sunt, vnctuosi, sordidi; quæ abundantiam pituitæ in morbo annunciant: & febres symptomata aliter in aliis humoribus accenduntur, ex quibus peccantes humores, & sedem facilè inuestigamus, vt infrà.

Signa pituitosorum.

Sanguinei hilares, iusti, temperati, benigni, rubicundi: sed cum irascuntur seruant iram ob sanguinis abundantiam: sani, voluptuosi: non tamen faceti, quod est melancholicorum acuminis ad fugiendas internas fuliginum pugnas. Horum non est infir-

Signa sanguineorum.

mitas. Sanguis enim excrementum non est: sed cum nimis abundauerit ebullit, & rumpit venas: & sanantur phlebotomia, & frigidæ potu. Tamen ex his intellige, quomodo cætera excrementa mista sanguine, vel inuicem afficiunt ægrotantem. Aliarum temperierum priscis innominatarum, signa ex his perpende.

De Morborum formis.

Capvt IV. Artic. I.

Medicina sit morbifica causa contraria, sed verò morborum amica.

1 CVm igitur morbi causam, sedémque inueneris: tunc medicinam applicabis contrariam per se, aut per accidens, morbificæ causæ: hoc est eius expulsionem peremptiuam, & impeditiuam: sedis verò amicam, fotiuam, roboratiuam, instaurätiuam, vt in primo capitulo.

Cur de causa formali generationis, & genitorum morborum.

Quoniam vero non nisi concocta medicari, cruda autem non mouere, nisi vbi materiæ turgent: iubet Hippocrates; quod non nisi in morbis, qui ex humore, & superfluitate peccante accidunt, intelligimus: nullas enim coctiones in vulneribus & fractionibus ossium expectamus, & in huiusmodi multis. Natura autem coquit causas præfatas, vt attenuatas vincat, pellátque: propterea de morborum, generationísque eorum forma, iterum dicamus. Et primò.

De Destillatione.

Artic. II.

Vsus destillationis naturalis: & noxa præternaturalis.

2 FOrma morborum ex destillatione ita est. Cùm in ventriculo fumi, vaporésque crassi fiunt ex copia ciborum, & insufficientia coquentis virtutis eleuati, in caput, quasi in hominis cælum, feruntur: ibíque loci angustia concrescunt, sicuti vapores in aëre, & in ollæ operculo: sicque deorsum labi in humores redactos necesse est: Eísque vtitur fluoribus natura ad vngendum musculos, articulos, neruos, membranas, & ossa totius statuæ, ad motum facilè edendum; & ne ab inuicem affricatione lædantur. At vbi copiosiores, & crassiores, quàm hisce functionibus est opus, generantur: tunc functiones per obstructionem, & compressionem interlapsu factas lædunt, & ibi morbos, vbi hoc accidit, efficiunt. Siquidem inter neruos, qui ex capite ortum habent, fluores

fluores eiusmodi delati spasmos faciunt vel linguæ, si in neruos eius, vel brachij, vel maxillæ: ibique læditur sensus, & motus, qui per inambulantem fiebat spiritum occlusa via: siue humor fila, ex quibus nerui componuntur, interlabatur, siue per filorum medium; nam & sic stringit vias spiritus. Cum autem non penitus obstruit, paralysim facit in membris spiritu modico illapso, non potentis penitus erigere, mouerèque membrum, ac sic fit tremor; dum pondus solidi deorsum, & vis spiritus sursum, aut aliò attollit. *Morbi in neruis ex destillatione.*

Fit & in spina, & in neruis ab ea exortis spasmus & paralysis: sed vbi totaliter, vocatur apoplexia, vt suo in loco patebit.

2 Si autem destillet humor crassus in guttur, facit raucedinem, & vbi acutus est, insimul anginam enecantem. Si in pulmonem, peripneumoniam; vt vbi salsus est etiam, corroditque pulmonem, elicítque sanguinem, phthisim. Si in musculos intercostales, impedit pectoris motiones, quod est asthma. Et vbi corrodit, pleuritidem; quæ solet catarrho admisceri. Fit etiam catarrhus destillatione in collum: & vbi nimia suffocat: propterea non modò ex cibo, sed ex aëre crasso, intra caput condensato in fluores, nascitur: & vbi in caput, & cutem nimius morbus vulgo, *castrone*, in ventriculum verò lienteriam, & inappetentiam. *In gula & pectore.*

3 Sin verò intra cutem, & neruos, & ossa, & musculos fluit, articulos impediendo, vel manuum, quod est chiragra: vel coxendicum, quod sciatica vulgo; at rectiùs ischias: vel genuum, quod gonagra: vel pedum, quod podagra. Ecce ex vna causa, quot morbos. Qui eruntacuti, aut obtusi magis, vel minus pro qualitate humoris, dulcis, salsi, tenuis, crassi, acris, &c. in capite etenim coquitur etiam. Durat autem pro quantitate humoris, & euaporationis. *In articulis*

4 In his membrum læsum confortabis, caput & ventriculum, vbi causa, corriges: at quæ ingeruntur priùs considera, ne fortè sint horum materia. *Cura.*

Causam quoque materialem subtrahes originariam: quæ enim in membro congesta est, coctione, & purgatione eget: alibi alia. Hyssopus enim pulmoni, & mel; pedi viola, & rosmarinus confert. Educitur autem humor in sua specie, vel in tenuitatem redactus. Væ autem vbi partes crassiores induratæ perseuerant.

5 Omnes morbi ex destillatione perficiuntur obstructione:

igitur destillatio vbi exorbitat, morbosa: secus enim vngit partem ad functiones quamque suas, vt dictum est.

De Obstructione.

Artic. III.

Duplex obstructio.

1 Obstructio autem non modo influente humore aduentitio fit, sed etiam crassitie sui nutrimenti, aut excrementi in membro quouis. Igitur dictis obstructionibus adde, quod si via bilis flauæ ad fel obstruitur, & talis humoris crassitie mista crassiusculis: tunc cum sanguine per corpus ex venis spargitur: vnde totus homo fit croceus, qualis est bilis: vocaturque propterea morbus regius; auro enim teguntur croceo Reges; & icteritia flaua.

Icteritia flaua ex obstructione felli.

Nigra ex lienis.

2 Si obstruitur via atræ bilis in lienem, eadem ratione mista sanguini, corpus tetrum, squalidumque redditur, vocatúrque icteritia nigra eiusmodi morbus.

3 Lienis tumentis alius morbus est, cum venæ eius ad ventriculum, & intestinum, vnde expurgantur, obstruuntur; & tunc crescit lien valdè.

Ex renum obstructione dolor & rubra vrina.

4 In renibus quoque cinis, & viscositas solito maior, obstructionem pororum, per quos vrina colatur, facit; vnde renum dolores. Quæ etiam si induratur, lapidescit: hinc solemus arenulas rubras sanguine renum mingere: cum enim albæ fuerint, in vesicæ fundo ex subsidentia feri ingenerantur: & cum grandiusculæ sunt, obstruunt etiam meatum ex vesica in veretrum, difficultatémque mingendi ingenerant: quam etiam si caruncula ibidem creuerit, fieri scimus. Corrosiuis, & aperitiuis pharmacis curandum.

In vesica vrinaria fit calculus: obstruit etiam caruncula eandem.

Ex iecoris obstructione.

5 Fit etiam in iecore obstructio peior ex sanguineo chylo indurescente robore iecorarij caloris: & tunc praua fit nutritio & inflammatio, & deprauatio sanguinis, quæ in cutem vsque diffunditur rubescentem, vlcerosamque exinde redditam.

Ex mesaraicarum venarum obst.

6 Ostiola etiam mesaraicarum venarum sugentium chylum in intestinis oppilari viscositatibus frigidis solent. Vnde iecur tenuiorem solum trahit insufficientem nutritioni in flatus vertibilem: vnde macies, punctiones, aliáque mala.

7 Pessimum autem est intestinorum viæ obstructio, qualis in

colico

colico dolore, & in voluulo. Vnde etiam per os stercus egeritur. *Ex obstructione intestinorum.*

8 Ostiola quoque ventriculi oppilata appetitum tollunt: non enim suctionis sensus ex venis in ventriculo tunc protenditur: concoctio etiam mala fit, quoniam vix euaporant fumi, & succi tenues non transeunt: ex crassis deinde viscositatibus fiunt praui appetitus, & citta, & putrefactiones, & vermes in fundo: de quibus omnibus speciatim deinde ratiocinabimur. *In ventriculo.* *in lib. 6.*

9 Cor obstrui haud posse credo absque morte: neque enim sinus, quo recipit sanguinem, neque alius, quo emittit, oppilantur, quin spirituum cesset paulò pòst generatio, & vita. *Cor non obstruitur absque morte, vt neque pulmo.*

10 Nec pulmo absque respirationis cessatione vel ex parte, si enim ex toto, mors sequitur: qualis in igne fornacis non insufflato. In peripneumonia autem mediocriter accipitur, vt dictum est.

11 Venas, arteriásque posse obstrui, nisi capillares, credo, quæ connutriti membri læsionem, & macredinem faciunt. *Venarum quarum obstructio.*

12 Quid obstructiones cerebri faciant, ex destillatione scimus: & apoplexiam, & epilepsiam, & lethargum inde celebramus: cæcitas, surditas, inodoratio ex neruorum à cerebro deductorum obstructione, ne transeat spiritus sentiens, etiam fiunt. *Quæ cerebri obstructiones.*

13 Infœlicissima totius cutis obstructio. Fuligines enim, & excrementosi humores partes tenues disponunt ad colliquationem aucto ibi calore contra illos; & sic hectici fiunt multi; de quibus infrà. Pallíditas, & deformitas etiam sequitur cutis, & coloris; & cum eruperint, vlcera & serpigines. *Obstructio cutis pessima.*

14 In mulieribus vero vteri obstructio dira: siue seminis, siue sanguinis menstrui concreti fiat crassitie. Quæ nisi expurgentur, deliquia, deliria, furores pariunt. *Vteri obstructio.*

15 Medicinas adhibebis, quæ vasa obstructa deforis, & intus vngant, vt expandantur, & transitum humoris facilè patiantur: intus verò aperitiuas viarum, vt borraginem, petroselinum; ac simul incisiuas, ac corrosiuas humoris crassi, vt acetosarum rerum portiunculam, & mellis, & huiusmodi. Adde etiam substantiuas, vt in tenuitatem redactus exhalet. Quod si fieri nequit, vt in chiragra, quando calcinosas in concretiones indurescit, difficillimæ est curationis etiam per oleorum puritates, quas *quintas essentias* vocant. Quodlibet tamen membrum proprias eiusdem generis sibi vendicat medicinas. *Cura generatim.*

De Relaxatione.

Artic. IV.

Qui morbi ex relaxatione.

1 RElaxatio contraria eſt obſtructioni, cum videlicet adeò apertæ ſunt præfatæ viæ, vt nec quantum oportet retineri queant excrementa, nec tranſitus nutrimenti non præpropere fiant. Sic quaſi ſanguinem quidam facilè ſudant: alij vrinam non retinent, aliis menſtruus ſanguis continuò effluit: alij appetunt, canino more, ſemper impleri. Aperiuntur autem viæ nimio calore, & humiditate, & fibrarum extenſione ab iis, vel ſolutione continui.

2 Horum medicina eſt per ſubamaras, ſtipticas, viſcoſas, craſſaſque res, vt ſuo in loco.

3 Et abſque inflammatione, quæ natura in obſtructione ad tollendas cauſas obſtruentes fit. At vbi adeſt inflammatio in relaxatione, peſſimum: indicat enim vires morbo ceſſiſſe penitus: nec excrementa, nec nutrimentum amplius tenere poſſe. Vnde etiam vulgo periculoſi fluxus alui cum febre exiſtimantur; qua ceſſante vita quoque ceſſat.

De Inflammatione, & febre.

Artic. V.

Quot modis fiat inflammatio.

1 INflammatio autem fit aut ſolius caloris augmento ex additione, vt qui ad ſolem, aut ignem laborant, incaleſcunt.

2 Aut motione calorem excitante, & augente, vt exercitio nimio vacantes, etiam ſub tecto frigido: nam & ferula à ſole caleſit: & à confricatione.

3 Aut irritatione; ſicut niue frigefacta manus, ad cuius frigus pellendum concurrit calor: ſimiliter in percuſſione membri, & compunctione: accurrit enim ſpiritus calidus, vt malum amoliatur: quod etiam in vlceribus experimur.

4 Aut additione rei accidentalis, vt ventriculus vino repletus generoſo.

5 Aut anguſtia loci, vt cum multus ſanguis in venis ebullit.

6 Aut inanitione, aut cum cibus deeſt; & ſanguis, & ſoliditas vruntur.

7 Aut ſpiritu bellum parante aduerſus noxias res, ſiue externas, vt in iracundia: ſiue internas, vt in febribus.

2 Eſt autem febris triplex. Ephemera, quæ accenditur principaliter in ſpiritu, quia ibi eſt cauſa, contra quam pugnare debet. Alia dicitur putrida, quia putreſcentibus humoribus ad hos pellendos calor inflammatur primo, & cauſaliter, licet per conſenſum in toto compoſito fiat febris. Tertia hectica, quæ in toto ſolido graſſatur principaliter. Nam quæ in parte aliqua fit, vt in apoſtemate inguinis, hectica non eſt, ſed putrida topica dici poteſt. *Triplex inflammatio febrilis.*

3 Diariam facit potens ſubitáque cauſa, vt ira, attentio nimia, ob caloris vnionem ad vindictam, aut ad conſiderationem in ſpiritibus. Item inedia: accenditur enim ſpiritus, vt paſcatur: quæ ſi durat, facit hecticam, paſcendo ſolidum. Item vigilia ob laborem. Item ſomnus grandis, quia excrementa non pelluntur. Item triſtitia, quia demittit functiones, corpori debitas, vnde fuligines non pulſæ, & actus intermiſſi reuocant ſpiritum ad ſubitò pellendum, & reficiendum: idcirco incaleſcit. Valdè quoque craſſus aër, aut frigidus valdè, aut calidus, aut infectus, ſpiritum deprauat, obligátque feruori. Cauſa autem hæc in tenui ſpiritu parum durat, idcirco in 24. horis plus minus à feruore diſcutitur diario, & per contrarias applicationes curatur: vt inedia per eſcam: vigilia per ſomnum: attentio per relaxationem ſtudij. *Cauſa diariarum inflammationum.* *Cura*

4 E contra difficile curatur hectica, quæ cauſam accenſionis, & ſedem primam in ſoliditate habet, vel à reliquiis longarum febrium, quæ habitum relinquunt in excalfactis partibus ſolidis, aut cutis obſtructionem, vnde cogitur calor ibi accendi, & augeri, & habituari; aut pulmonis vlcus: qui non belle, vt priùs, calorem cordis expurgat, augétque: ideóque per arterias puſillus diſpergitur, qui coctionem ſanguinis venalis abſoluere non valeat, nec expellere excrementa. Hinc accenſio & ſimul ſolidi colliquatio ſuboritur, vt, cum de putrefactione erit ſermo, patebit. *De hecticis inflammationibus earũque cauſis.*

Puto etiam iecoris inflammationem diuturnam eſſe aliquando cauſam, quæ tenuem ſanguinem facit, prædcalidúmque; qui intemperiem calidam nutritis partibus afferat: aut ab inediis, vigiliis, & attentionibus nimiis: excandeſcit enim ſpiritus, & in ſolidum, vt carens cibo, & excrementis abundans; inflamma-

tur. Vnde duræ ſunt tactui arteriæ, pulſus parui, crebri,& veloces, defectu ſpiritus, quem inſtaurare cupit: ſic enim paruulum ignem inſufflamus accendere volentes. Vrinæ autem tenues ex nimio calore paruaque ſubſtantia; & oleaginoſæ fœtidæque ex colliquato ſolido.

Triplex hectica.

5 Eſt tamen triplex hectica. Prima, quæ paſcitur humore communi. Secunda, quæ humore, quo ſolidum eſt conſperſum. Tertia, quæ humore, quo eſt conſtitutum: ſicut ignis lucernæ primo oleum conſumit, ſecundò elychnio ebibitum, tertio humorem, quo elychnium conſtat natura ſua. Vltimam nemo curabit. Secunda ex parte curabilis. Prima facile curatur cibis humidis,& ſubſtantialibus,& aëre, frigidis: hilaritate, quiete, cutis apertione per balnea parum tepida, dehinc frigida, & per res humori innato conſimiles, vt oua recentia, lac, pineos, pérque oppoſitas res morbi cauſis.

Putridarum inflammationum cauſa & ſpecies.

6 Dico autem hecticam perpetuam eſſe inceſſantémque, licet ob caloris exilitatem plurimum lateat: poſt cibum patet, quoniam materia, in qua accendatur adeſt, vt calcis calor iniectæ in aqua. Vnde patet in hectica potiùs ad ſpiritus vtcunque fieri pulſationes, & nutrimenti gratia, quàm ad expellendum cauſas morbi in toto ſolido exiſtentes.

Contra ſententiam Galeni, qui ex accenſo humore putrido faciunt febrem.

Sed ex accenſione ſpiritus contra humorem prauum.

7 In putridis autem ſic dictis, quoniam in putrefacto aliquo humore accendi putant ſponte accendibili, vnde quidam omni febri iuxta dogma, ſed perperam, ſubijcit bilem tenuem incendibilem. Nos intermiſſiones inuenimus, quando ſpontè ſpiritum accendi putamus contra humorem putreſcentem: fierique in humore illo exinde accenſionem, dum ſpiritus ipſum coquit, vt expellat: & propterea non continuari, quoniam pars humoris valida expulſa eſt: & ſpiritus hoc intermedio fœdere ad curam corporis regreditur. Creſcente autem reliquo humore iterum ſpiritus feruet contra eum repetitis vicibus, donec totum extrudat. At vbi humor magnus eſt, prauiſque qualitatibus intra vaſa ſanguinem,& cor,& vitalia afficiens, laborat continuò contra eum ſpiritus, donec vel ex parte adeò ipſum vincat, exque vaſis extrudat, quòd à muniis neceſſariis impediri non poſſit: & ſic fit intermiſſio, quæ periculum vitæ indicat præteriiſſe.

De continuis.

5 Si autem non poteſt ita vincere, præſertim in capillaribus venis clauſum maligna affectione, vbi externa frigent, interna æſtuant, præliatur donec perimat, aut perimatur: & in hac pugna

accidunt

accidūt crises sæpe vincentis, aut succūbentis indicia. Quales sūt sanguinis eruptiones, fluxus alui, & oris vomitus, sudores magni, &c. quę alleuiant vexationē cum profectu; & si sine profectu, indicant spiritum succubuisse relaxatis potestatiui, & cognitiui, & appetitiui facultatibus, prostratisque; quæ si durant, non prostratæ sanitatem annunciant, & victoriam.

9 Quapropter omnem ob humorem exorbitantem fieri accensionem putamus, & cōtinuam, & quotidianam, & tertianam, & quartanam, & quintanam, & sextanam, & quadragenam, & annuam. Antipater enim poeta singulis annis eodem vertente die, febri eadem corripiebatur: & qui se verberare solent in sancta septimana, pruritum sentiunt singulis annis eodem tempore, quo non carent, nisi verberati iterum stillent sanguinem.

Omnis humor omnē febrem ciet pro rata læsionis. nec quatuor, sed plurimas.

Vt plurimū tamen intermittentes extra vasa; & quotidianam à crudo sanguine, & pituita fieri non negem. Hæc enim crassa materia cito reficitur, accersitque ad pugnam. Neque enim tota ex fibris venarum strictis egreditur. Indicat hoc incocta vrina crassaque sine sedimento: & pulsus plenus, non arens, sed humectus, & obtusus, & magnus.

De quotidiana vt plurimum.

Tertianā verò à bile flaua, quæ tenuis est, faciléque educitur, & difficilè reficitur, non nisi tertio quoque die: quod vrinæ tenues, croceæ, spumosæ: pulsus acutus, ardens, celer, crebérque, docent.

De tertiana inflammatione.

Quartanam ex nigra bile, & fæcibus occasionem habere, quæ non facilè, nisi post quartam diem reficitur ex sua minera. Quod pulsus magnus, asper, puncturis multis, expansus, creber, non ita celer, cum vrinis tenuibus, lucidis sui ordinis indicant. Sic in aliis rarioribus circuitibus.

De quartana.

10 Sed cum plurima est flaua bilis, quotidie prouocat ad prælium; si causæ materialis fomenta habet ex cibis, & corporis habitu, & animi passionibus; sed vno die est minoris afflictionis: & tunc Medici duplicem esse tertianam dicunt; nam altera pharmaco expulsa, altera remanet: & quoniam aliis horis reuertuntur. Sed argumentum nullum: possunt enim esse duo humores in diuersis vasorum partibus: quorum alter hodie, alter cras lacessit: & vnum modò purgari. Sed quæ maior ratio, qua hic & non ilic; ipsi non dicunt. Ergo potius est idem humor, qui hac die anticipat horam, & à pharmaco ex parte purgatus, non potest quotidie refici ad irritandum. Sic de duabus quartanis dicito.

Non dari tertianam duplicem.

dicito. Quas etiam ex flaua bile fieri rarò concedimus: sicuti tertianam à melancholia. Humores autem inualidi, & tarde putrescentes, tardiores regressus habent. Annuos vero à temporis consimilitudine, & humoris, fieri; vt dicemus in morsu tarãtulæ.

11 Cum accessiones anticipãt, & paroxysmi augentur, potentiorem morbum, id est materiam eius indicant: cum postponunt, & minuuntur, spiritum.

Regula

12 His febribus missio sanguinis cum humore, & purgans pharmacum attractione, & pulsione conuenit; & cibus humidus facilis nutritionis, morbóque contrarius, & non nisi in fine febris: quoniam pugna non impeditur; vnde frigus obest, nisi vbi non pugnat, sed inflammatio est à solo calore, vt in superioribus dictum est. Igitur pura inflammatio, seu febris sola frigida re sanatur. Si autem est inflammatio ad pellendum aliquod malum, frigus obest, quasi qui ligat manus militantis. Sic etiam in febribus partialibus apostematum iuuabis calorem feruentem contra morbosum excrementum; & huic concoctiuas adhibebis res, & quæ vel in flatum, vel in pus illam vertant. Et tunc facto vulnere extrahes, & cessabit febris. Cautionem tamen appones, qua humor vel diuertatur, vel purgetur prorsus: quæ enim relinquuntur in morbis materiæ, recidiuas facere consueuerunt.

Cura

De Putredine.

ARTIC. VI.

1 QVoniam & senium est putrefactio, & causę morbosæ non videntur Medicis febrem facere, nisi putrescãt, & cor lædant: quorum vtrumque falsum: sufficit enim nocumentum, & impedimentum functionis; ad quod demoliendum spiritus separet solitæ calefactionis, & motionis augmento, vbicunque opus est. Patet in apostemate, & obstructione, quæ fit in pede, vbi feruor ante cordis læsionem incipit, & non in corde: propterea que de putrefactione generatim dicere oportet.

Citra putrefactionem & non in corde potest febris oriri.

2 Non fit putrefactio eductione caloris natiui ab ambiente, vt putat Aristoteles, quandoquidem cortices mali aurantij, & herbæ in sole feruente, educentéque calorem innatum, & tenuitatem non putrescunt, sed indurantur & roborantur, & tandem arescunt. In vmbra verò subterranei carceris putrescunt & colliquescunt, & quasi vnguentum fiunt: neque relaxata materia adsci

Aristot in 4. Met. perperam definit putrefactionem fieri essentia-

adſcititio immutatáque, vt aliis videri poteſt, non à natiuo. Etenim carnes in igne aſſantur, non putreſcunt: in vmbra verò, vbi calor adſcititius nullus, vel modicus, putreſcunt: & homo in æſtiuo feruore non putreſcit; ſed ſi anima abeſt.

liter per eductionem natiui caloris ab ambientis calore.

3 Quapropter putrefactio, vel fit calore natiuo ſuum ſubiectum macerante, & relaxante ob ſui augmentum: ideóque lapis non putreſcit, quia à proprio calore liquari nequit: neque ignis, quoniam totus liquefactus eſt, inque tenuitatem redactus: vel eſt non purgati ſubiecti ab immanente rapido excremento: vel immanente tenuitate diſpoſiti ad conſimilem paſſionem corruptela. Palam eſt enim quod aër ſub foſſis, & aquæ ſtagnantes putreſcunt: quoniam quæ ab eis particulæ per motum, & calorem cæli ſegregari ſolent, non ſegregantur, ſed remanent, diſponúntque cæteras ad ſui paſſionem. Sicut calor blandus in profunda clauſus materia denſa, liquefacit ipſam, quoniam quæ generantur tenuitates non exhalant, ſed diſponunt craſſas etiam ad ſui paſſionem, hoc eſt, ad attenuationem, ad quam peruenire non potentes ad liquefactionem ſolummodo reducuntur. In aperto autem eadẽ materia non liqueſcit, ſed induratur: quoniã partes tenuiores exeunt, non immanent. Sic carnes animatæ non putreſcũt: quoniã anima expellit fuligines, & tenuitates, & in ſua natura ſeruat remanẽtes. Mortuæ verò putreſcunt, quoniã blandus qui remanet calor, agit in ſubiectũ paulatim auctus, nec poteſt educere tenuitates & ſuperfluitates, ſed craſſas illarum ope; omnéſque ſimul atterit, diſiungítque. Vnde poſtmodum vapores fœtidi, id eſt, craſſi ex craſſa, & tenui materia educti exhalant. Vbi autem aſſantur calore nimio, aut ſale iniecto, non putreſcunt, quoniam tenuitates educuntur, & remanens craſſities durior fit, non molleſcit. Quapropter cadauera exiccatorum hominum inedia, & ſtudio aſſuetorum, minus putreſcunt. Quapropter eductio caloris natiui non eſt putrefactio, ſed occaſio aliquando, non ſemper: cum videlicet e..ucitur robuſtus calor, & blandus, remanétque non potens ſubiectum expurgare paulatim auctus, diſſecat, diſiungit in particulas, & macerat illud adjumento non exeuntis tenuitatis, aut fluoris. Vnde etiam lana putreſcit in madido cubiculo, paruo calore ſic retento ad macerandum. Nec adſcitus putrefacit, ſed auget innatum, vt poſſit in ſubiectum exerceri ſi inualidus eſt, & ipſe ad educendum. Diximus enim igne, & ſole, & ſale multa non corrumpi, ſed indurari: ranceſcunt autem ſalſa modico ſale fluorem expellere non valente,

Neque calore fit adſcititio materiam relaxante.

Putrefactio eſt à caloris natiui augmento ſubiecti relaxatio.

Aer puriſsimus non putreſcit calore ſuo, ſed miſti vaporis copula caloreque.

& crassiores indurare partes.

Major non est exiccatio & incineratio, sed putrefactio, nisi vocabulis abutamur.

4 Aliud autem putrefactionis genus est eorum, quæ siccescũt, & incinerantur igne, éstque post putrefactionem alicubi succedens mutatio. Cum enim putrent, & liquore fluunt res mediæ inter ignem, & lapidem; paulatim exsiccantur, sicuti res etiam quæ non putrent, & non fluunt. Succedit igitur mutatio mutationi, nisi vocabula confundendo marcorem vtrumque ponas cum his, quæ paruum ignem à maiori absorptum marcescere, & mori dicunt: senium autem vtroque modo fieri.

Galenistæ.

Conclusio quod nō sola putrefactio ciet febrem, sed omnis læsio.

5 Febres igitur fieri, vbi quid obstruens impediat, aut etiapo-rans spiritum afficit: & non vbi modò putrescit, licet & hic fiat; palam est in morbo venereo affectis, quorum carnes marcescunt, seu putrescunt, & vlcera puris plena sunt: nec tamen febricitant, sicuti illi, quorum fuligines retentæ, aut obstructio ante putredinem materialis causæ febrem ciet. Si quis autem cogitet febrem fieri tantùm, vbi intra vasa putrescunt humores, hoc est intra venas, arteriásque; catarrhus ipsum redarguit, sola cutis & capitis impletione crassi vaporis factus, febrem mouens. E contra bilis, obstructa fellis vesica, per venas delata croceum facit nutritum sanguine bilioso corpus: nec tamen febrem facit periodis recurrentem. Putrescit etiam pars solida in hecticis absque febre, quæ putredinem expellat: sed quæ iuuet vt fiat.

Videtur putrefactio fieri citra febrem aliquando.

Responsio ad dubium.

6 Sed forsan febris est in omni impedimento, obstructione, tumore, vaporatione, saltem topicá; vt patet in ea, quæ fit in solo vlcere, aut apostemate & podagra. Sed recursus fiunt, vbi causa impediens vincitur ex parte; & mox reficitur, vt suis in locis dicemus, & in multis patet. Vniuersalis autem non fit, nisi spiritu affecto, vt in pestilentia experimur; aut sanguine, ex quo, & vbi reficitur spiritus immediatè, sicut nec bellum vniuersale gerit ciuitas, nisi læso Rege, & iuribus eius, & Domino, & his, quæ magnopere, & immediatè ad ipsum pertinent. Vbi autem læditur domus, aut ciuis vnus, fit rixa, & duellum, & particulares rumores.

Febris topica & communis vnde.

De Vlceratione.

ARTIC. VII.

Quid vlcus, & qui fiat.

VLcus est ruptio solidi, vnde sanguis, & humores scatent: propterea vlcus non est ossis, sed fractio; est autem carnis, cutis, & neruosi generis: intestina enim vlcerantur. Fit autem

vel

vel externæ corrosiuæ rei affricatione; vel internæ eruptione. Quæ affricantur si aculeata sunt, ardentia,& corrosiua vlcerant, vrtica, allium,& cæpa, spina, quæ potiùs vulnerant. Vulnus enim non qualitate, sed quantitate secantis, & forantis rei applicatione infertur. Allium autem qualitate id præstat: quamuis Democrito idem sit, & ab aculeis affricatorum grandibus vel exiguis fiat. Quod non concedimus, cum videamus venena, & vaporem venereum non modò in applicationis loco perforare, sed etiam augeri per corpus totum, quod augmentum exigui aculei non habent, sed qualitas conuertens corpus quod corripit, in naturam eius, vnde emanauit, hoc operatur. Sic granum terram in plantam,& spicam vertit: & spuma canis rabidi etiam corpus,& spiritum hominis demorsi paulatim caninum facit.

Non sola figura, sed qualitas diffusiua vlcerat.

Probatur ex conuersione.

2 Mollificatiuis, & tepidis rebus vlcera illata tolluntur. Aperiunt enim cutim, in quam immissa est qualitas, & calorem noxium exire in fluorem applicatum faciunt.

Secunda probatio.

3 Sunt de genere illatorum vlcerum ea, quæ in pulmone phthisicorum à descendente pituita salsa, corrosiua: nec curãtur, quoniam pulmo non reficitur, cum ex spuma sanguinis originalis fiat; sicut nec neruus, qui ex albo semine, & continua motione non admittit consolidationem.

De vlcere pulmonis.

4 In dysenteria vlcerantur intestina corrosiuorum transitu, & difficile curantur; quoniam continuus impedit transitus, & neruorum genus seminale alitur sãguine, qui modicus est. Propterẽaque fibræ retinere haud queunt. Vndè excrementa non facilè immanent, & cum transeunt, augent vlcera, quæ viscosis cibis, carnibus, & calore viscosarum rerum vmbilico applicatarum aliquando sanantur: sic & peritonæum vbi rumpitur,& intestina vsque ad inguen, & ad scrotum delabuntur.

De intestinorum vlceribus.

5 Vlcerantur renes lapillis aculeatis, ibi genitis, & cinere. Lacticiniis, & aperitiuis, lenitiuisque curantur. Similiter vbi semen retentum corrumpitur proprio ardore, vel vapore externo post calefactionem multam, solet collum penis vlcerare, dirósque facere dolores. Aperitiuis, lenitiuis, & causæ expulsiuis sanantur.

De renum vlceribus.

6 Quæ autem in cute accidunt, eruptione fiunt, vel superflui tantum, vt cum abundans sanguis erumpens vlcerat nasum aut excrementi tantum, vt cum humor catarrhi in labia,& nares expellitur. Aut superflui, & excrementosi simul, vt cum in erysi-

De cutis vlceribus.

ad expulsionem prouocare, & per totam cutem pustulas gignere albidas, serosas: qui & oculi corneam aliquando obnubilat ita, vt cæci fiant: sed abstersiuis mundatur. Et si non expellitur in cutim totus, occidit aliquando tenellos. In maiusculis non fit nisi albissimis, & mollibus: propterea nec in alia ætate grandiori. Calor prodest, & eruptio perfecta.

11 Scabies quoque febribus superuenire solet, & contagio fieri ex salso humore corrupto abundante; qui vaporem corrosiuum generat ex rore infecto. Hic cutim forat & serpit; & extra vas actum sanguinem, & humorem in pus vertit: & tubercula facit. Curatur extinctione vaporis illius per sulphur, & purgatione iecoris, & ardoris qui in eo, & in sanguine. *De scabie.*

12 Lepra etiam vlceratio est, quæ ex vaporibus, & humoribus deterioribus fit, innominatisque; neque atrabilis in cutem exiens sufficit, cum multi atrabiliosi careant illa; neque bilis flaua, neque mistio ob eãdem causam, sed forte mista, & cum salsescunt, & amarescunt sufficiunt: difficilisque sunt curationis ob radicationem, & tenacitatem eorum. Sunt autem variæ species, de quibus alibi; optantque remedia cutem renouantia, & fortia. *De lepra.*

13 Sic etiam apostemata alia curantur, quæ sola superfluitate, aut simplici excremento tument: alia non curantur, vt cancer, qui corrodit carnes, & neruos: etenim multa incorporantur viscositate vtriusque bilis, & cinere, & fuligine: oportétque temperiem totam renouare, vt in morbo formiculæ pedes depascente. Scrophulæ etiam ad lepræ speciem pertinent. Sic qui pilorum radices putrefacit, vel rodit salax humor.

14 Indicat recens lues venerea ita hosce fieri, quæ ex vapore fœtido mẽstruatæ mulieris in certam nouam intemperiem acto, ortum habet. Inficit sanguinem, & hinc soliditatem ita, vt marcescant extra vasa: & vlcerent. Sudoribus multis, & caloribus, & purificationibus intẽperies curanda venit, vt suo dicetur loco. *Argumentũ de lue venerea.*

15 Violentior autem pestis vlceratio, quæ infecto per inspiratum aërem spiritu, in humores amplificatur, & soliditatẽ, & febrem commouet: & per loca apostematũ erumpit excrementosus mox humor auctus. Qui si intus retineatur, sua qualitate sanguinẽ, & spiritum deprâuat perimitque; hoc enim est perimere, in aliud mutare. Multi autẽ generis sunt pestes, morbiq; contagiosi, qui ex vapore, & tactu cõmunicato fiunt. Vtq; calor calefacit: sic *Vlceratio ex peste multiplici.*

pestilens res peste afficit, etiam vestes, & parietes, vt de lepra etiã testatur Moyses sanctus; de quibus suo loco. Omnis huiusmodi prauitas sui amplificationem, & generationem habet in consimili, non secus ac canis rabidi, & tarantulæ venenum, & sinapis semen, & calor, & frigus ex primis qualitatibus sic modificatis, & ex primalitatibus sic corporatis: quod sympathia, & antipathia eorum docet mirificè, vt diximus in Metaphys. & 4. de sensu rerum.

De vlceribus podicis. 16 Ad viscera etiam mariscæ pertinent; cum in podice humor atrabiliosus, hæmorrhoidales per venas ex capite adustus illabens, ac tumescens, aliquando sola vlcera erumpens gignit: aliquando etiam ad instar mororum, fluore sanguineo tetro confecta, indéque excrescente. Quas sericeo filo fortiter excerptas secare vbicunque sint oportet; (Nam & in naribus enascuntur, & vbicunque copiosus erumpit, crassus conc·escénsque sanguis) & igne vrere, vt arescat cutis, nec accersat humores, sitque inepta excrescentiæ: deinde exiccantium, & obstruentium decoctorum in vino fumis, & fluoribus solidare, v.g. cupressi fructuum, & corticibus glandium, & granatorum, & aluminis, & vitrioli; sed prius expurgato corpore per extractiua pharmaca sanguineæ fæcis, ne abundans exitúmque non habens, deprauet totum. Idcirco vnam relinquere Hippocrates consuluit. Vtilisque probatur sanguinis ex podicis ostio fluxus menstruus pigris hominibus, mulierum similibus: quibus & cauteria, & fistulæ admittuntur, sed non absque periculo, ne caro intus vicina paulatim ex descendente tabe putrescat, fiátque instar spongiæ puris plenæ, musculósque consumat vsque ad ossa. Secabis ferro; vtilius igne vres: & incarnatiuis curabis vnguentis. Sic cineres, calx, pili, arboribus superfluorum succorum plenis vtilius ad radices adhibentur, quàm cauterium clauo adacto, licet non sic periculosè, vt hominibus.

Vlcera ab igne. 17 Tandem ignis vlcera facit: tepido humore calorem extrahente, & poros conceptis flammulis aperiente sananda. Mox pomis non vnctuosis, nec acribus, acetosisve; sed dulcibus, pulposisque applicatis. Frigus quoque vlcerat multum: quia calorem, *A frigore.* spiritum, & humorem fugat, extinguit gelátve: & sic partes solidas vitrificat, arefacitque: quod facit calor easdem res redigendo in tenuitates, & educendo, solidásque incinerando. Vtrisque eadẽ remedia, sed alia valẽt ratione. Tumores ex prædictis nosti.

De

De Infrigidatione.

ARTIC. VIII.

1 REfrigerationem puram ſanat calefactio, at ſi totum in corpus graſſatur valida, ſicut in 40. martyribus in lacum gelidum immiſſis, non ſtatim balneo tepido curetur, ne frigus per antiperiſtaſim ad vitalia perimenda feratur, ſed per partes & in partibus. Sic etiam vbi vnum inuaſit membrum. Curantur etiam qui ſubterraneis carceribus frigidis tenentur, ſole, & cibis, potibúſque calidis: nec quippiam ab extremo in extremum ductum ſanari putabis.

Morbus ex infrigidatione qui curandus.

De Ariditate.

ARTIC. IX.

1 ARiditatem inedia, & calor facit, & ventus multus. Curat exterius oleum, dulcéque vnguentum, & balneum; intrinſecus verò vinum cibíque multi humidi, & digeſtibiles, & pingues, brodiáque.

Vnde ariditas, & cura.

De Immobilitate.

ARTIC. X.

1 IMmobilitas non videtur formalis cauſa morbi: ſed effectus obſtructionis, vt in locali patet pedis, & manus immobilitate impedita, aut ſecta via mouenti ſpiritui. Et in vniuerſali, quando via communis, & principium viarum impeditur: vt in apoplexia: vbi ſpinalis medullæ pori, per quos ad neruos ſpiritus mouens diſcurrit, occluduntur: aut cerebrũ in epilepſia: vel impediti ſpiritus alibi, eſt indiciũ; motus enim ab eo ſic in ſomno immobile iacet corpus, ſpiritu mouente ad interiora collecto: & in deliquiis, vbi in ca: ut aufugit, & corpus ſine motu relinquit: & in ſtrangulatione vteri, cum illuc confluxerit opem laturus deſtituendo corpus. Igitur vel organi, vel piritus impeditio, aut defectus, facit immobilitatem. Quam vel organi expeditione, vel ſpiritus, vel reuocatione per odores, & fœtores, & frigida, curamus, attrahendo ad voluptatem, vel ad pugnam. Vapor lædens ſpiritum ad auxilium capitis cõcurrentem in Agnauæ antro immobilitat corpus. Frigida ipſum foras reuocat ad auxilium contra frigus; & ſic motum reſtituit. De cæteris per hæc iudicabis.

Cauſa & cura immobilitatis.

De

multis ex arbusculis odoratis accensis, & suffumigiis thuris, rorismarini, myrti, lauri, thymi, & huiusmodi.

3 Fit etiam pestis vapore crasso spiritus tenuitatem incrassante grauantéque, & fœdante per impuritatem & vincentem per calorem nimium, quod & fœtores, & vapor ex carbonibus statim efficiunt, sic occidentes spiritum grauando, fœdandóque lucem, & vires alterando, qui sanguinem mox inficit, ipsúmque purgare non potest, nec munia solita obire. Et sic qualitate pestifera humores, & soliditas tandem afficiuntur, omnésque contagiosi morbi à spiritu per vaporem infectum incipiunt, interdum etiam simul ab humore. Nec purgandi sunt pharmaco, nisi humores etiam iam deprauati sint prius, aut spiritum corrige. *Quo flatu, & qua via & ratione fit pestis.*

4 Inflationes autem, quæ fiunt apum, & serpentum morsu, à veneni acumine oriuntur; quod permeat, & cõuertit in se rorem carnis, & sanguinem, & in tenuitatem agit; qua tumefacit, inflátque. Medeberis per extractionem veneni, & præclusionem viæ ad vitalia, & confortatione vitalium; vt ligamine, & theriaca. *Inflatio à morsu venenatorum.*

5 Aut inflatio est ab intrinsecis causis, quarum potissima est, quæ ex chylo, & fæcibus fit vaporantibus; quæ si non excernatur per os, aut anú periculosa est: occidit enim aliquãdo conuoluendo intestina, & spiritum premendo, qui in fibris; & excrementa, & vias impediendo. *A flatu interiori qui, & quomodo fiant morbi.*

6 Alia est, quæ ventrem implet, tumefacítque, sed non sola: Aqua enim multa cooperatur. Vnde hydrops dicitur; quem Medici ex debilitate iecoris, non potentis cibum in sanguinem vertere, fieri putant, & calidas adhibent medicinas. Nos autem ex nimio calore iecoris fieri putamus; qui non in sanguinem crassum: sed in aërem, & in aquam fundit chylum sui vehementia: alioquin non aërem, & ventum, sed crudum, crassúmque sanguinem efficeret: quem phlegma ipsi vocant, iuxta ea, quæ in Physicis de calore blãdo, & robusto, in materias dissimilares crassas, aut fluidas agente dicebamus. Manifestum est autem, quoniam cibi crassi hydropicis conferunt, quippe qui non ita facilè funduntur in fluores, & sitis magna, & ariditas cutis, & hectica insequens à calore eius originem confirmant. Curabimus autem epar aperiendo, vt flammas euomat. Antimonium in desperatis proficit valde. *De flatu hydropis.*

7 Horum genus morbi est, quod Neapolitani flatum vocant, *De flatu recentiorum.*

pungit costarum regionem, & ventrem vtrumque, quasi stylo acuto. Discutitur sudore, & labore, & aromatibus ab intus. Hunc fieri ex rore, qui inter musculos existit in vapores verso, exire non valentes. Idcirco pigrorum est, & niuosum bibentium vinum, & quorum mesaraicæ obstruuntur venæ, ita, vt non nisi tenuem succum trahāt in flatum vertibilem. Comestio piscium, & ventosorum leguminum auget flatum hunc. Conferunt arida, & odorata, & quæ vaporem & rorem non sat nutriunt, magis tamen exercitatio, & calidus potus.

De forma morborum spiritus animalis, & mentis per accidens.

ARTIC. XII.

Primalitatū priuatio mors: deprauatio, morbus.

1 PAssiones animales morbificas in primo libro diximus esse vel potestatiui, vel cognitiui, vel volitiui: quævel sunt priuationes, vt cū nō potest, vel non scit, vel non appetit omnino: vel sunt deprauationes, vt cū prauè potest, prauè sentit, prauè appetit. Primo modo sunt mors. Animal enim nil appetēs benè, aut noxiè mortuum est in spiritu animali, etsi sentiat, appetátque naturali appetitu: vt cadauer fieri vermes, saltem secundum partem, quæ in vermes mutatur, & deorsum ire, quatenus corpus est. Secundo modo sunt morbi, & fiunt vel ab organis, vel ab obiectis: nunquam obiectiuè à mente, nec à spiritu animali, nisi eius corporatio sit deprauata. Appetit enim frigidum febricitans: & cittam patiens appetit carbones: & hoc quatenus organo hæret spiritus, qui tamen secundum se appetit non appetere ista, vt etiam Dauid desiderat mente desiderare, corpore, & spiritu animali iustitias Dei.

Morbi primalitatum deprauatarum à subiecto organo, aut ab obiecto, & quando ab ipsa facultate.

Quando etiā subiectum fortiter deprauatur non cognoscitur morbus ab ægroto.

2 Quando sensus, & appetitus oriens à subiecto, & organo validus est, factúsque naturalis, vnicus fit, victis primalitatibus à corpulentia. Non enim furiosus videns solem duplicem, duplicem dissentit suo sensui, sicut sanus. Neque morsus à rabido cane in fine auersatur caninas res, sicuti à principio; sed appetit eas. Quapropter curabimus morbos istos curando corpora. Si autem obiecta faciunt morbos, vt cum homo videns mulierem amat, & laxat amori frænum, & imaginationi sic, vt nil cogitet, nec amet præter illam: tunc curandus est per opposita obiecta, & huius auersionem, vel fruitionem, vt Rinaldus indignatione; & Antiochus fruitione Stratonicæ curati sunt.

Cura

De-

De Morbis potestatiui.

1 POtestatiui morbosas passiones, quæ ab obiectis & organis, præter morales hortationes, rhetoricasque, & organorum physicam curam, aliter non mouebis. Quæ verò à subiecto qui est ipse spiritus, has considerabis, vnde sint. Debilitas enim est ab exiguitate spiritus, vel naturali, vel ab inedia, vel labore, vel vigilia, vel consideratione nimia, vel à frigore, quæ statim per oppositas res curãtur: videlicet, esca, somno, &c. & spiritu um augmẽto: quod vino generoso, & odoribus, & brodiis subitò præstatur. *Debilitas potestatiui ex quibus.*

2 Ferociam autem ex spiritus copia, & calore nasci intellige, & per disciplinam, & subtractionem vini, & odorum, & ciborum multi nutrimenti, minues. Sic & luxuriam, & promptitudinem, & velocitatem, & audaciam, obstinationem; & imprudentiam, & præsumptionem, & crudelitatem, & iram: adde frigida, & verbera, & consuetudines oppositas. *Ferocia.*

3 Considera proximas causas: nam velocitas à tenuitate spiritus: audacia à robore, & copia; & sic applica medelas varias.

4 Qui validi sunt, promptique ad aggrediendum, & non ad resistendum, vt Galli; spiritus copia abundant, caloréque: qui statim euanescit ob tenuitatem mistam, & vasa raræ texturæ. Qui non audent item, sed resistunt, vt Hispani, spiritu tenues sunt, fuliginosóque, ideo timido; sed duris vasis, ex quibus haud euanescat. Illos vino, nasturtio, & rebus roborantibus in pugna curabis, & præmunies induratione membrorum per styptica, & cõfortantia. Istos his ante aggressionem calefacies, & roborabis vino, thure &c. Timiditatem ab obiecto Cæsar efficaci oratione, & spe in audaciam vertit. A natura verò, & subiecto, impediendo periculi considerationem vino, & roborando vires ardenti nasturtio, Cyrus erexit. *Promptitudo corruens.* *Resilitio in audaciam crescens.* *Cura.*

5 Nota; qui spiritu multo puro, non nimis tenui, nec valdè crasso donati sunt, viribus ingenióque pollent, vt Dauid, Cæsar, &c. Qui multo impuro, calido valdè, viribus, non ingenio, vt Aiax; sunt crudeles, iracundi, difficilè suadentur, aut sedãtur, vt Attila. Qui tenui impuro multi sensus, prauæ ratiocinationis, timidi, & viribus inualidi, vt habitantes sub tropicis Qui tenui puro, sine fuligine, sapientissimi: sed imbecilles, melancholici; quos per opposita curabis. *De animi qualitatibus consualibus ex affectibus*

De Morbis Cognoscitiui.

Cura organorum cognoscitiui.

1 COgnoscitiui passiones organicas curabis organa instaurãdo, vbi possunt. Neruos obstructos, per quos sentiẽs spiritus ad organa, fertur, acutis & attenuantib⁹ aperies rebus, quæ humorẽ, & sordes obstruẽtes excutiant, non indurent, quod in opticis & auditorijs difficile. Interiorem membranæ externæ partem abstersiuis, vt in oculi cataracta. Exteriorem abrasiuis, vt cum pustulis cornea suffunditur. Humores oculi exorbitantes specillis, lucem, deferentem obiecta, attemperantibus corrigimus. Sonos surdastris cornu. In gustu, & olfactu acetosa poros aperiunt. Duritiem tactus mollificantia iuuant.

Ex seqq. latentes morbos Medicus agnoscet, & naturam ægrotantium, &c.

Cura sentientis spiritus tenuis nimis.

2 At si spiritus sustinens afficitur, vt res aliter atque sũt sentiat: si hoc fit ex præcedenti imaginatione, qua nimis imaginatum in quovis obiecto videt, illam corrige: & dispositionem, si ex dispositione. Tenuissimi enim spiritus, imminutíque minimas res vident, quas nos non videmus, quoniam ab illis non patimur. Sic quispiam propriam in aëre imaginem cernebat; & cum vident parum rei, quasi totum, vident ob subitaneum iudicium de parte ad totum: sæpéque falluntur, vt cum paruam in pariete lineam cernentes, putant se videre serpentem; & in obscuro distortas facies, & monstra. Corriguntur ratione, & cibis plurimum, & lucidum gignentibus spiritum.

Antipheronte, teste Aristotele.

Cura crassi nimis.

3 Qui crasso plurimóque spiritu abundant, non sentiunt res paruas; quippe à quibus moueri non possunt. Sunt rudes, crassarum rerum sapientes, quos vix curabis attenuatiuis, & mundificatiuis. Retinent memoria multa sensilia, & robustè mouentia obiecta. Sunt autem obliuiosi intellectilium, & modicè mouentium; quæ in crasso impressionem exilem faciunt.

Obliuiosi.

4 Est etiam obliuio tenuissimorum calidorum: euanescit enim spiritus tenuis, antequam successori passiones suas communicet, vnum facto. Frigidus aër, crassúsque, & cibi consimiles his conueniunt. Senes idcircò obliuiosi, & puelli. Illi, tenuitate, negociorum pluralitate, quæ motiones motuosas impediunt: isti, crassitie, & vaporibus nouis delentibus impressiones: sicut omnium rerum obliuiosi, qui vni multum intendunt, sicuti amatores, non nisi amasiæ recordantes; Philosophi, Philosophiæ; & cum præualet affectio, insaniunt. Auersione sanantur. Sed cum passio est corporalis ingens, spiritus non communicat successori alias præter illam. Vnde post diram ægritudinem, nec literas, nec artes suas,

Thucyd. narrat peste affectis sic euenisse.

ſuas, nec proprium nomen meminerunt penitus. Qui non curantur reuiſione ſtudiorum præteritorum, niſi non ſit totalis obliuio: quæ etiam paſſione tranſacta curatur.

Pharmacum memoriæ.

5 Qui pharmaco memoratiuo ſuccurrunt, aut cerebri mollitiem, aut duritiem emendant, quæ ſpiritum habitantem, aut nimis obtundebat, aut acuebat: ſpiritus quoque diſpoſitioni, & robori ſuccurrunt. Quapropter non idem pharmacum omnibus prodeſt, quia obliuio non vna ex cauſa: nec acumen, & obtuſitas.

De variis paſsionibus rationum in ſpiritu ſentiente.

6 Creduli nimis ſunt, qui cuiuſq; dictis admirandis afficiuntur, nec expeditum habent diſcurſum ad examen; quia vel ſpiritus craſſus, & fumoſus, vt in Tartaris: vel fuliginibus impeditus, vt Nigris ſub tropicis; aut carnoſitatibus & prauis cellarum cerebri formationibus, vt ſubpolaribus. Horum alij vltra ſenſilia non norunt. Epicurus autem ex dogmate, non ex praua natura ſolis corporibus fidem præſtat.

Occurrit obiectioni.

Ex ſpiritus diſpoſitionib. mores ſequuntur, non autem tollitur corrigendi libertas in mente.

7 Superbi, ſuique amantes, craſſo, calidóque ſpiritu ſibi ſolis credunt. Sũt quos tædet vltra ratiocina i; ideò aliorum ratiocinio credũt; & quidam, quoniã eſt vtile ſic. Quos prudentia ſanabis.

Morbi diſcurſum lædentes.

8 Cauſæ diſcurſus præpedientes impediunt & imaginationem, quę fit diſcurſu: ſed quæ fit obiectorum motionibus, priſcis, exercitatis, & confuſis caſu, & humoribus, & corpo is affectibus excitantibus, ſicut in ſomno & vigilia contingit aliquando ita f rtiter, vt verum eſſe affirmemus: non ſecus ac in ſomno accidit ex impedito diſcurſu, qui contradiceret. Vnde quidam ſe gallum, quidam vrnam, quidam peponem tabidum eſſe imaginantur, & affirmant: alij aliud. Quidam nec manducare volebãt, affirmantes ſe mortuos eſſe, donec Medicus quoque fingens ſe mortuum, coram ægris manducans, perſuaſit etiam mortuis manducandum. Induſtria, & auerſio obiectorum hos curat, & cibi paſſioni contrarij; & nouæ aliæ incuſſæ paſſiones, vt ſanata affectione corporeitatis, & primalitatis ſimul conualeſcant.

Peripatetici Latini in ſolido, non in ſpiritu functiones reponunt.

9 Imperiti cellis diſtinctis in cerebro diſtinctas functiones partiuntur, & curant partes capitis, cum non niſi in ſpiritu iſta ſint, & vaſa per accidens attingant, vt in Phyſ. & aliquando fiant ex ſolis obiectis, aliquando in mente ſpiritum ſecum rapiente, vt in eſtaſi. Forſan & in his noctambulis, qui oculis clauſis multa operantur, corpore inſtar vigilantium: niſi aëris ſentientis culpa cum ſpiritu ducantur.

Non læditur imaginatio, vt putat Galenus, non læſo diſcurſu.

10 Omnis imaginatio falſa diſcurſu fit defectu ſaltem circa illud imagi-

imaginatum. Nec Medici saluo discursu fieri amplius affirmēt.

De morbis Appetitiui.

Triplex peccatum appetitiui.

De primo in defectu.

1 Appetitiui morbus est in magis, vel minus, vel praue; & sæpissime organicè. Minus, vel nihil appetit ventriculus, vbi infirmitate aliqua, aut studio impeditur ibi, aut alibi spiritus appetens, vt in sensorijs quoque diximus; aut si ostiola obturata sunt, quæ acetosis aperientur. Aut si fibræ relaxatæ, & spiritus foras allectus, vt in æstate, aromatica, stiptica vinula, confortantia intus, & foris applicabis: allia ideo contusa ne vincant, sed vincantur, & olentes herbas.

De secundo excessiuo.

2 Si multum abundat calor in venis, & fibris, fit canina fames subitò vorans, digerens, transmitténsque, vertibilis in hecticam, nisi lacte, piscibus, carnibus multis, & brodiis cum lacte, demptis aromatibus, & sale, sedetur in aëre frigido, humidóque, & balneis. Ego epar linteis lacte madidis, & guttis cadentibus supernè id passus, mihi medebar; omnibus proiectis vestibus laneis, & straminibus.

De tertio praue.

3 Prauè appetit cum contraria saluti, vt febricitans frigidam: & putrida stomacho carbones, calcem: & quidem cōtraria morbosis causis, dum morbus non præualet. Nota; & concede. Cum præualet, similia. Nota; nec concede.

De singularum partium appetitu.

4 Anus & vesica appetunt sine affectu, vbi salsis humoribus stimulantur, vt in lienteria. Eos purga brodiis aperitiuorum calidis. Non appetunt, vbi quid obstruit, aut indurantur excrementa. Prauè appetunt, si retinere nequeunt, & cruda emittunt, de quibus priùs diximus.

De venereo multo, & nullo.

5 Appetitum coitus multum disciplinis, cibis paucis, & acetosis corrige: non ventosis. Nullum contrariis, seminibus ventosis, humidis, & salis modico.

6 Qui maleficio ligantur, religione soluuntur.

7 Qui frigidi à natura, & Martem, & Venerem à Saturno in fœmininis afflictos habent, vt Astrologi dicunt, difficile curantur: nisi benefica respiciat: sed eisdem pharmacis validioribus.

Aiūt tamen lupi & canis vespa curari. Arist non rectè huius affectus causam humorem prurientem in ano facit.

8 Qui appetunt contra generationem actū generationis cum masculis, & feris: ratione, vsu, & religione curantur.

9 Qui muliebria pati, quamuis effœminatos habeat planetas, iisdem corrigitur humor pruriens in ano positus Aristoteli fortè non est, nisi ex abusu cōfricationis: potest hyrudine etiā extrahi.

10.

10 Appetitus prauos, ab obiectis auersio, & ratio, & vsus curant.

11 Medelas contra cupidinem præter moralem & religionem, inuenimus labores, nouas passiones, bellum, excrementa, & fœditates amasiæ; pericula, & mala quæ ab illa Ouidius plura docet. Odia contrarijs modo dictis curamus. Vide 4. de sensu rerum.

Qui non poterat erigere mentulam ad coitum, nisi verberaretur ab amasia, teste Pico contra Astrologos, assignantes Veneri à Marte verberatę, ipse verò consuetudini inter pueros de stupro mutuo sic paciscentes, mirandum est: nam alij pueri eiusdem cum illo sodalitatis idem passi essent. Nec stellæ faciunt quid; nisi indendo qualitates, vel modum qualitatis ad talem propensionem. Princeps Venusiæ musica clarissimus nostro tempore cacare non poterat, nisi verberatus à seruo ad id adscito. Hoc potest metui dari cogenti spiritum ad interiora. Sed illud è contra. Metuentes enim non erigunt, sed demittunt pudendum. Verbera ergo erant quasi blanditiæ, non ad incutiendum timorem, sed eliciendum amorem. De his suo loco speciatim. *Monstrosa cura.*

De applicatione medicinæ, & cruditate, & coctione.

Capvt V.

1 Postquam de morborum formis generatim dictum est, nunc de applicatione medicamentorum generatim quoque dicendum: nam de medicamentis dictum, *non mouet us cruda.* *Occasio inquirendi coctiones.*

2 Dicimus crudum quiquid ad sequentem existentiam non est maturum, seu perfectum à calore, vt panis crudus donec in furno coquatur ad panis cocti existentiam. Dicitur idem panis in ventriculo crudus, donec in chylum transformetur: chylus quoque dicitur crudus, antequam coquatur iterum in iecore, vt ad sanguinis transeat existentiam. Coquitur quartò in venis, vt exudet in carnes. In carnibus etiam coquitur, dum in illas transformatur; & tamen carnes nostræ sunt crudæ ad cibanda alia animalia, quæ tamen ex cocto pane, & assatis carnibus fiebant in nobis. Igitur sicut materia non transfertur ad aliam existentiam non cocta, sic neque nos. *Quid est crudum, & quid coctio.*

3 Est autem coctio vel assatio, vel frixio, vel elixatio, vel composita ex his. Assatio fit in aëre ab igne penetrante, educente partes fluidas in vapores, & crassas compenetrante, laxante, & molliente ad optatam existentiam. Non enim assatæ, sed com- *De coctionis speciebus. Assatio.*

bustæ

bustæ dicuntur carnes à coquo, cum transeunt illam existentiam, qua sunt comedi aptæ. Quapropter omnis coctio fit à calore instrumentaliter, & ab intellectu aliquo principaliter, qui naturæ operibus præest, vt in Metaphys. Lento igne assari melius: ne humor extimus attenuatus exhalans relinquat duras, imperuias calori: & vt suo succo disponātur ad emollitionē. Frixio est mollis corporis in oleo, aut alia re pingui coctio. Oleum penetrat, exsiccátque fluiditatem & ad se rapit, & propriam dat. Vnde duriora frixa elixatis. Elixatio est coctio eorundem corporum in aqua, aut in aqueis: quæ penetrat cum calore, laxat partes crassas, & fluidas elabi non sinit, sed sibi incorporat: & cum multopere fit, tota essentia in brodium eliquat, ferè absque sapore suo relictis quæ elixantur. Nec aqua nisi alembico forsan separari potest.

Frixio. *Elixatio.*

Media est cum vtroque modo, vt pomum coctum à sole maturatur: dum scilicet partes educit assando, & remanentes suo succo interno elixando ad maturitatem suæ naturæ. Nobis enim matura sunt, cum comedi possunt, vt pyra syluestria non nisi fracescant. Appia verò longè ante. Pepones autem in medio.

Media coctio. *In quo gradu est maturitas nobis & naturæ.*

4 Omnes coctiones in corpore nostro elixatione fiunt, & parum assationis habent; dicuntúrque digestiones, quia in aliam existentiam geruntur, & alia in vasa ex coctione, quæ ingeruntur proficua. Sic etiam innascuntur morborum causæ in nobis: putrescunt, quod est quædam coctio; & maturantur ad expulsionem: quapropter nisi coquantur prius, & macerentur ad aliam existentiam, non possunt foras, & in alia vasa ferri.

Coctiones naturales alimenti. *Coctiones morborum.*

5 Tu igitur signa coctionis in sequestrationibus vrinæ, & aliis respice; & tunc pharmacū purgans applicabis: sicut in apostemate, nisi coctum fuerit & in pus versum, non secabis: sed præbebis cibos suppurationi aptos, & mollificantes medelas ad idem. At vbi materia suppuranda, est multa, & turget, ad exitum agitans se: tunc licet aperire, & minuere sponte egredientem partem, & cæterarum cocturam expectare.

Ex Aphor. 22. sect. 1. Cocta medicari: & cruda non. &c.

Sic, cùm turget vino ebrius, non expectabis vini coctionem in stomacho, sed mouebis ad vomitum. Sic in febribus, vbi materia turgida prouocat ante coctionem, qua natura monstrat viam mouebis: non enim potest natura totam sustinere, idcirco eiicit.

6 Habito respectu ad peccantis causæ qualitatem, quantitatem, naturam, applicabis pharmaca contraria per se, vel per accidens

cidens ad purgandum per superiora humores tenues, per inferiora crassos, & per alia foramina vicinas partes & pertinentes ad illa.

Sic in passionibus animi est per analogiam coctio expectanda plerumque, vt in maximo æstu iræ non applices medicinam contrariam; sed vbi sedata, admittit. Est & turgentia aliquando deprimenda, vt suo in loco speciatim dicetur.



MEDICINALIVM LIBER QVARTVS.

IN QVO DE OBSERVATIOnibus Medicis, ad Curam, & Prognosticum spectantibus.

De Crisibus.

CAPVT I. ARTIC. I.



1 IN obseruationibus primo se offert Crisis: quæ est iudicium, seu sententia in lite versante inter morbum, & naturam; ex alteratione facta ad salutem, aut ad mortem, quando tempus congrediendi magis inuitat. *Quidditas crisis.*

2 Primò siquidem natura nititur separare noxios humores à locis vitæ in locos viles, minusque periculosos: vel eos in proficuos vertere. Secundò expellit foras. Tertiò sequitur alteratio ad bonum; nam ad malum non fit, nisi in pestilẽtialibus, vbi plurimum adhuc malitię remanet ad nocendum; éxque turgentia illius prior egressa est. *Tres naturæ actus præcedētes crisim.*

3 Tempus decertãdi licet sit continuum: tamen illud proprium, in *Tempus crisis est arti-*

culus alterationum à cælestibus adiutarum. in quo humores à natura alterantur. Alterari autem à stellis, & præcipue à Luminaribus, nulli dubium est, contuenti aërem, aquas, & plantas, & animalia in quatuor anni quartis, & in quatuor diei, & in quatuor mensis vario modo affici. Ergo spiritus cum sit aëreus, & humores aquei, quando cientur magis operantur: veluti cum cithara pulsatur, mouentur ad choreas; & sicuti tubâ, ad bellum.

Morbi chronici Solis motum, eiusque articulos sequuntur. 4 Morbi chronici sequuntur motum Solis, & tunc iudicio petuntur, cum Sol ad propriam diametrum & quadrata attingit, vt patet in hecticis, hydropicis, quartanariis. Cum vero ad sextiles, & trinos aspectus, fiunt quidem aliquæ motiones indicatiuæ eorum affectuum, qui sequuntur in diametris. Solent tamen anticipari, & postponi, prout planetæ obuiantes fauent, aut obstant; & in melius, si benefici: in peius, si malefici occurrerint. Quod etiam in cursu totius vitæ fit. Nam & morbus est modus vitæ partialis, vt in Astrologicorum 4.

5 In morbis verò acutis quartas Lunæ, non prout à Solis synodo incipiunt, sed à loco, in quo morbi in principio Luna reperitur, obseruamus per septimanas, vsquequo a . idem punctum in 27. dies, & horas 8. reuertatur. Et quia Medicis non erat *Acuti morbi Lunæ motus & quadratorum articulos sequuntur.* nota Lunæ ratio; propterea dixerunt criticos esse 7.11.14.20.27. & cum sunt in 14. eundē numerum replicant, vt tertij septenarij etiā sit initiū: alioquin vigesimus esset 21. & non cōcordarent cū Lunæ cursu. Tu verò vide in e hemeride locum Lunæ in puncto decubitus, & expecta crisim non in septimo, nisi Luna sit in medio motu, sed paulò ante, vel post, si velox, vel tarda. Inspice tertiò quo puncto veniet ad 90. gradus: qui est quadratus; & tunc prognostica crisim bonam, si benefica aspiciet; malam, si malefica; si plura, misce decretum, vt in Astrologic. diximus; & cum venit ad gradus 180. & cum ad 270. & sic de cæteris.

Peracuti medias quadraturas, iuxta materia tenuitatem. 6 In peracutis currunt crises per medias septimanas, quoniam morbifica causa tenuis validáque qualibet cæli mutatione mouetur; naturáque spiritus hostili periculo quauis occasione occurrit. Ideò sunt 8. in mense; hoc est 4.7.11.14.17.20.24.27. bis repetēdo intermedios, & septimanarum, vt in acutis, & quar- *Numeratio critica.* torum sic. 1.2.3.4. 4.5.6.7. 8.9.10.11. 11.12.13.14. Et iterum quia incipit tertiam septimanam, dicitur 14.15.16.17. 17.18.19.20. At 20. non repetitur, quoniam non est medius septimanarū, neque quartarum, sed dicimus 21.22.23.24. 24.

25.26.

25.26.27. Vbi ſanè, niſi imperitiſſimus ſit Medicus, intelligit has replicationes fieri, vt concors ſit numerus motui lunari: qui autem vtitur ephemeride, non indiget his numeris dierum, ſed graduum Lunæ in Zodiaco. Et miror quomodo Picus, & alij hos dies numeris abſtractis, & non potius & propinquius Luminaribus adſcripſerunt: quibus Galen. *in 3. de Criſ.* & Auicenna, & Hermes, & Ptolemæus, & natura refragantur. *Picus numeros criticos perperam cõputat.*

7 In perperacutis, qui ad ſummum in 14. terminantur: cum Luna in diametrum peruenit; numeratio fit de tertio in tertium cum replicatione ſemper: quoniam non attenditur in his dimidium quadrati, neque quadratum, ſed omnis Lunæ mutatio facit in tenuiſſima materia mutationem. Fit autem mutatio iſta in quolibet tertio de ſigno in ſignum. Et licet ſint 39. gradus dando 13. Lunæ in die: tamen medius motus eſt 36. ferè, & replicatio efficit, vt in tertio fiat iudicium. Nam in quinto peruenit ad 60. qui eſt ſextilis aſpectus: ergo in quolibet ſemiſextili eſt mutatio in perperacutis: & iam nuper inuentum eſt, hunc aſpectum etiam in natiuitatibus valere: ſed in motionibus aëris nil dubitamus. Et quoniam Luna 30. quoque ferè die cum Sole coniungitur; etiam vbi iungitur 30. gradus, quos Sol maritus in 30. diebus peragit: ipſa aliquid nouitatis producit: propterea tutius reſpicies gradus in ephemerid. quàm in dierum numeris: vidi enim in die bonam criſim, quoniam Luna aucta erat numeris: & in 8. quoniam imminuta ſtellæ occurſantes etiam tardant, & minuunt, meliorant & deteriorant. *Perperacuti omnes mutationem ſentiunt lunarem, & per ſemiſextiles numerant dies.* *Fallacem numerum dierum motus lunaris corrigit.*

8 Quapropter nec verum, quod intermedij aſpectus ſunt certi indices perfectorum, niſi vbi poſt ſemiquadratum, aut ſemiſéxtilem, non obuiat ſtella alterius generis. *Correctio.*

9 Illud certum in mutationibus aëris experior: quod quando Luna in aliquo aſpectu Solis alteram ſtellam aſpicit, quoties Luna ad alium aſpectum peruenit, ſiue illius ſtellæ, ſiue Solis, facit eundem effectum ſi ab illa ſtella aſpicitur, nec poteſt impediri, niſi per alias conſtitutiones, & configurationes, longè validiores. Idem dic in criſibus. *Notamen.*

Epilogus, & correctio Iatromathematicæ Hermetis, & Galeni.

ARTIC. II.

1 QVidquid Hermes, & Galenus in Iatromathem loquuntur de Lunæ poſitu in aliquo ſignorum 12. ad vnam pertinet *Prolixus ſermo Galeni, & Hermetis*

vnica regula concluditur. regulam, videlicet: quod Luna à ♄ affecta,[a] ☍.[b] ☌.□.& antiscio, patietur æger in membro dominantis signi infirmitates saturninas longas: sique Luna aucta numero, & motu sit, celerius occidentes, cum perueniet ad suam diametrum vel □. nisi benefica occurrerit, à qua auxilia juxta naturam beneficę expectes, vt pro viribus & situ eius ad mundum, ad Solem, ad augem, ad signum in quo est. Similiter si vexatur à ♂. martiales morbi erunt, vt pro natura signi, & valetudo, aut mors in criticis diebus, vel in occursibus maleficarum, & beneficarum, sicut dictum est.

a oppos. b coniunct. c quadrat.

Correctio regula. 2 Hæc tamen non sufficiunt, nisi eclipses addas, & cometas, fauentes, & nocentes, & natiuitatis figuram, & vbi in ea sint maficæ, & beneficæ scias. Etenim & illi loci iuuant, & nocent, neque video mortem, nisi consentiat natiuitas cum figura decubitus in malum. Transitus enim nocet augendo, & ponendo in actu decreta natiuitatis, non autem adducendo decreta nisi vmbratilia, & nulla, si radix non consentit, vt diximus in Astrologia physica; at semper incertitudo comitatur.

Cur simul decumbētes, non pariter moriuntur. 3 Propterea decumbentium in eodem puncto, alter conualescit, alter moritur: nō quia ille iuuenis, iste senex modo, vt Galenus docet: sed quoniam constellatio natiuitatis alia. Constellationem natiuitatis vincit constitutio generalis; occursus enim ♄ in radice indicans frigidos morbos: si in æstate per directionem ponitur in actu, erit debilis. E contra in hyeme. Et pestilentiæ constitutio, & bellica vincit eam, quæ est in natiuitate: & constitutio Regni constitutionem Regis, cum aliquo tamen moderamine, si minus concordant: sed in moralibus nil valet Astrologismus.

Quibus morbis crises, & quæ conueniant, & quando ex proximis causis.

Capvt II. Pars I. Artic. I.

Nisi morbus sit magnus, & natura fortis nō datur crisis. 1 RVrsus de crisibus siue perfectis, quæ ad sanitatē, vel mortem; siue imperfectis, quæ ad morbi minorationem, aut roborationem terminantur, secundùm proximas causas, & particulares resumendo dicimus, non omnes morbos, nisi magnos, qui naturam ad certamen irritare, cogeréque periculosum valeant. Neque vbique magnos; nisi vbi natura valida sit ad propulsandum hostem: quæ enim languida est, magno morbo ita succumbit

bit, vt nulla pugna, sed statim mors sequatur: vel pugna imperfecta, & specimen quoddam pugnæ: ac subitò lætio appareat. Ideo senum rara crisis, præsertim per excretionem; iuuenum frequens vsque ad 35. annos.

2 Propterea væ illis, quibus acutè ægrotantibus incipit sudor, aut pustulæ, aut vomitus, aut alui deiectio, & statim intro vertuntur: sicut & suppuratis, qui non excreant: aut incipiunt excreare; at mox intro recurrit excreatio. Similiter est ac in pulsibus myuris deficientibus, respirationibus refractis, quas spiritus absoluere nequit, sic neque eiectiones criticas perficere. Sed deterius væ, vbi nec congredi audet, nec datur. *Omnis imperfectio actus critici, aut cuiusque naturalis, mala: missio autē essima.*

3 Morborum alij, longi, vt qui post 40. dies iudicantur: Alij medij, qui post tres hebdomadas, acta secunda quadratura lunari: Alij dicuntur acuti, qui in diametro, hoc est 14. die, vel ad 20. non vltrà protenduntur. *Morbi longi dierum 40 medij 20.*

Alij sunt peracuti, & hi die 7. in prima quadratura habent periodum. Alij perperacuti seu acutissimi, qui in 4. die, vel ante quacunque accersente causa ad vltimum conflictum properant: propterea crises, aliæ longis, aliæ mediis, aliæ acutis, peracutis, & acutissimis. *Acuti 14. Peracuti 7. Perperacuti 4. Similiter eclipses.*

4 Et quamuis apud Medicos peracuti, & acutissimi, meliores videantur ad crisim, quoniam modico tempore natura onus est bajulatura, & dum vigent vires, est dimicatura; nihilominus cum in his pugnandi necessitas vrgentior sit, pericula quoque grauiora insunt non raro. *Perperacuti periculosiores, quo breuiores.*

5 Quicunque morbi minus temporis concedunt naturæ ad præparandum se, & secernendum proficuum à noxio, vt hoc expellat criticè, illud retineat, & seipsam non pessundet: cogunt eas ante coctiones humorum hostilium, aut vaporum, vel aliarum causarum morbificarum aggrediante bellum, finem belli: quo tempore crises aut exitiales, aut minus bonæ existimantur Medicis, non prorsus ineptè; licet causas ignorent. *Acutiores minus temporis dant naturæ ad crisim.*

Propterea enim lethales sunt, quoniam simul quod ad vitam vtile erat vnà cum noxio expellitur, & ipse spiritus consequens dissipatur, & minuitur, & vasa affliguntur; si tota materia noxia non excernitur, impar inuenitur imminutus spiritus ad reliquiarum collectionem, coctionem, & expulsionem: quibus & augendi se, datur spatium. Manifestum est enim in ciborū excrementis nō coctis adeò, vt succus bonus prius ad jecur & fæx deorsum *Quoniam vtile nondum à noxio separauit.*

 ducatur,

ducatur, vbi cum naturæ dispendio liquida emittũtur. Similiter in apostematibus, si antequam suppurentur, incidantur: sanguis enim bonus educitur, & spiritus qui in eo coquendo operabatur: & vasorum sequitur dolor, & inflammatio interdum, & insequentis sanguinis contaminatio ad nouas vomicas, & putredines: sic & in omni crisi ante putredinem.

Tria vero periculum faciunt, vehementia lædentis, principalitas læsæ partis, negatio remedij.

6 At quidem neque temporis diuturnitas, neque breuitas periculum mortiferum per se adducunt: sed vehementia lædentis causæ, & pars læsa, & remedij negatio. Cum enim causa est multa, & potens, statim interimit, vt in apoplexia, vbi crassus humor obstruit viam spiritui ipsúmque suffocat. Vehemens enim hic dicimus, quidquid fortiter potest effectum malum inducere. Vnde & ebrietas, quæ replet cerebrum, & vias spirituum, somno mortem adjungit, non potente spiritu copiam vaporum digerere: dicitur causa vehemens.

Læsa autem pars incurabiliter sunt viscera, in quibus generatur succus ad vitam corporis, & vapor ad vitam spiritus, & continet vtriusque societatem, vt pulmo, jecur, cor, ventriculus, intestina. Renes enim, vesica, fel & lien, tanquam vasa morbifica causarum, ne lædant vitalia, sunt secundò, & per accidens mortis, & vitæ causa, dum læduntur: cerebri verò, quatenus est sedes spiritus, qua rupta, aut infecta, habitator absce[d]it, aut inficitur. Cæterorum membrorum læsio non adducet mortem, nisi ad viscera fiat communicatio: vbi sanè pulmonis morbus, quamuis sit longus, est tamen lethalis, sic & aliorum vasorum.

Exemplo in spiritu.

Cum autem læditur spiritus, non sequitur mors, nisi totaliter extinguatur solus, & subito. Vt euenit in lætitia magna; quando foras influens seipso suffocatur, ac simul dispergitur foras, nec illi conceditur locus, aut tempu[s] ad medendum, quod & in apoplexia accidit: potest enim facilè refici; pulmo autem minimè, etsi tempus refectioni detur.

Sic etiam est in summis doloribus, & ebrietatibus, & venenationibus, & suffocationibus à carbone. Non enim, occlusa via, datur locus, aut tempus pugnandi.

Aetates morbi
Eclipsis bona in fine ætatis morbi.

7 Habet quidem omnis sanabilis morbus quatuor ætates proportionatas inuicem in breuitate, & longitudine: Infantiam, id est principium: adolescentiam, id est, augmentum: virilitatem, i[d] est, statum: senectutem, id est, finem. Et his crises bonæ fiunt in statu, quoniam incipit coctio apparere: seu potius in fine augmenti:

tunc

tunc enim natura sequestrauit, & potens, & prudens est ad emissiones. Morbi autem lethales nec statum, nec declinationem habent: sed interficiunt vel à principio, si natura nil resistere queat, vt in prænarratis morbis palàm est; vel in augmento pugnæ, si congressa est natura: & tunc solent apparere crises, & statim cessare cum morte, vel augeri symptomata mala ex eo, quod natura impotens reperta est ad victoriam: & tunc apparent signa cruditatis, non coctionis. Vnde peritiores Medici distinguere solent ætates morbi, aliàs ex parte naturæ, secundum quam principium est nulla coctio: augmentum est rudimentum coctionis: status apparens coctio: declinatio victoria contra morbum. Aliàs ex parte morbi, quæ in primas conflictationes, & in symptomata sequentia grauiora, & istorum vigorem formatum: & in mortem, seu liberationem.

Aetates ex parte naturæ. Et ex parte morbi.

De Crisibus salutaribus, & exitialibus, & medijs.

ARTIC. II.

1 CRises salutares perpetuò fideles sunt. Primò quæ habent signa perfectæ coctionis in excrementis. Secundò, si fiunt in statu morbi. Tertiò, si in die decretorio, præsertim prænunciato ab indicatorio præcedenti. Quartò, si excretiones conueniunt morbo; vt si pituitosæ, in pituitoso morbo: biliosæ, in bilioso. Quintò, si loco morbi; nam dextra ex nare, iecur: ex sinistra, lien expurgat sanguinem; sic de cæteris. Sextò, si subsequitur sanitas, aut melioratio in ægroto. Septimò, si facilè fert. Melioratio est in colore, in sensu, motu, & appetitu, & pulsu, & respiratione.

Septem signa perfectæ salubris crisis.

2 Crises exitiales è contra, si absque coctionis signis: in die non critico, nec præindicato: in principio, & augmento; & non in fine augmenti: si morbo, & loco morbi non conueniunt: nec sequitur sanitas, nec melioratio: sed deterioratio, & difficilius fert ægrotus: & sunt maiores, quam ferre possit; aut minores, quam prodesse possint.

Septémque exitialis.

3 Mediocriter se habent, quæ ex parte priores, ex parte posteriores conditiones tenent; quorum maximè sunt conuenientia criticarum ejectionum cum morbo; & melioratio in primalitatibus, & operationibus animalis: & coctio.

Signa mediocris.

4 Accidit etiam absque coctione, & melioratione emissio virulento

Quamuis bonum exter.

ni virulenta: non tamen signum sanitatis, nisi non plura remanserint, & virtus praualeat.

rulentorum sæpè repetita, quæ quidem si non fieret moreretur æger: quia tamen præter rationem fit, non sanatu ,sed recidiuam incurrit. Est etiam vbi moritur. Quoniam non modò prauitas egreditur, sed & virtus in concoctis: vel tantæ sunt prauitates, vt vna propter turgentiam, quia in vasis non poterat teneri, expulsa, quæ remanent sufficiunt ad occidendum. Est etiam vbi vis contentiua relaxata fiat contentorum eductio; quod etiam in morientibus, & mortuis accidit.

Quapropter valdè notanda sunt signa bona, & mala,& mista: semper tamen bonum est excerni prauos humores; etsi non omnino prosit,vt dictum est. Non enim moritur,quia vomuit virulenta,vt imperiti dicunt;sed quia remanserunt adhuc plura intus virulẽta potẽtiora,quãuis expulsiua potestatiui,cuius res est vita.

De signis communibus præcedentibus quamcunque Crisin; & de duplici Crisi, scilicet per abscessum, & excretionem.

ARTIC. III.

Signa præcedentia crisim.

1 NVlla fit crisis,nisi in morbo acuto,magnóque,cum virtute naturæ valida, vt possint ad inuicem conflictari. Nec nisi præcedentibus magnis turbationibus,quales sunt ad bellum præparationes; vt pulsus inæquales, inordinati, difficilis respiratio, deliria,vigiliæ,somni graues,vertigines,dolores capitis,colli,stomachi,hypochondriorum,& aliorum membrorum:sensuum vitia, phantasmata,tinnitus aurium, splendores varij ante oculos, lacrymæ inuoluntariæ: agitatio labiorum, obliuio, rigor, anticipatio paroxysmorum,sitis,æstus,inquietatio,clamor,ex lecto exilitio; aliáque multa signa pro morbi natura, & futurarum emissionum.

Quinque certitudines crisis.

2 Certificant,& accelerant crisim caliditas humorum,acumen morbi,tempus calidum,& æstus ingens,& signa coctionis. In dubio & tarditate p nunt his contraria.

Crisis per abscessum quæ, & quotuplex.

3 Siquidem aliæ crises fiunt per abscessum morbificarum causarum in partes ignobiliores ex nobilioribus, quarum conseruationi plus inuigilat natura. Vnde ex visceribus ad crura,ad manus,ad inguina humores mittuntur, & fiunt interdum tumores, & apostemata; sicuti ex pectore ad axillas & brachia; & in capite sub aures egressus fiunt, & in nares.Item ad cutim scabies,vlcera,papulæ,pustulæ,morbilli,variolæ, serpigines, scrofulæ & similia,etiam extra cutim capitis,præcipuè in pueris.

Porrò

Raró est etiam quod febris catarrhalis non emittit in labia, & nares humiditatem acrem ex capite; & hæc omnia habent rationem crisis per absceſſum: imitatur enim natura ſeipſam, quæ dum ſanguinem abſoluit, fæces emittit in lienem, ſpumam in cyſtin fellis, cineres in renes, ſerum in veſicam, fuligines in cutim ad pilorum procreationem vtiliter. In morbificis autem nulla abſceſſionum vtilitas præter mali expulſionem.

4 Aliæ vero criſes fiunt per excretionem foras, quales ſunt alui deiectiones, vrinæ, ſudores, ſputa, ſan guinis eruptiones per nares, vel hæmorrhoides, aut menſtruationes per ſanguinis profluuium, & per inſenſilem tranſpirationem: lacrymæ, caries aurium, & per omnia cauteria, vt dictum eſt prius in Phyſic. qui enim naturalia perfectè nouit, is ſubito Medicus eſt natura, & ſemper.

Quæ per excretionem.

Physiologus perfectus Medicus.

De Abſceſſuum criticorũ ſignis, & locis, & differentiis, & vſibus.

ARTIC. IV.

1 CVm morbus eſt acutus, & adſunt ſigna ſecuritatis, ideſt, ſpiratio bona, quies bona in nocte, & ad oblata promptitudo, & vacuitas caloris, & pulſus validus: nec tamen inſunt ſigna inclinationis, humorum excretiones, in vrinis, & dejectionibus, & hæmorrhagia, etiam ſi morbus producitur, abſceſſum expectare licet. Sunt tamẽ humores calidi, & tenues, præſertim æſtate, & in iuuenib. ad excretionẽ faciliores: crudi, craſſi, & frigidi, præſertim in ſenib. & hyeme ad abſceſſus faciliores: miſti ad vtrumque.

Signa ſecuritatis quinque.

Triplex ſignum prænuncians criſim per abſceſſum.

Qui humores ad abſceſſum, & qui ad excretionem aptiores.

2 At ſigna ſalutis ſi non adſunt, ſuccumbet æger: propterea vrina tenuis & alba, cum bonis ſignis ſalutaribus, abſceſſum: cum malis, mortem, aut morbi longitudinem, & periculum oſtendit. Item morbi prorogatio, & febris cum ſignis ſalutaribus, abſceſſum dabit.

Abſque ſignis ſalutis non valet.

Exemplum.

3 Abſceſſus ad inferiora fiunt, vbi dolor, vel inflammatio in præcordiis: ad ſuperiora, vbi mollia, & ſine dolore præcordia ſunt; ſed reſpiratio parum affligitur, & mox ſedatur.

Qui ad inferiora, & qui ad ſuperiora fiunt abſceſſus.

4 Fiunt poſt aures abſceſſus, cum, prædictis ſtantibus, apparet ſubitò difficultas reſpirandi mox ceſſans: quam grauitas capitis, & ſomnus, & ſurditas ſequatur.

Quando ſub aures.

Ad inguina & inferiores partes, ſi dolor ſub præcordiis, vel tenſio, vel inflammatio, vel grauitas ſine capitis læſione.

Quando ad inguina.

5 Salutares abſceſſus fiunt, in decretorijs diebus, in locis longè

Quæ ſalutares.

à viſceribus,& locis affectis,colore rubro,aut albo, aut flauo,copia non excedente morbi cauſas:neque deficiẽte;figura foras ſe expromente, acuminata, in turbinem gracileſcente, ad expulſionem apta,decliui,& nõ bifida.Ex paſſione æqualiter matureſcentes, & durantes, & ſuppurantes, non ſe retrahentes abſque certa ratione euacuationis à natura vel arte; & molliores cum ſignis coctionis.

Qui exitiales abſceſſus

6 Exitiales in totum contrarij prædictis,præſertim colore nigro & rubro, & non ſequente melioratione,vt dictum eſt priùs.

7 Iuxta hæc iudica de papulis, morbillis, variolis,ſcabie & cæteris.

Critica excretio in quibus, & quando, & quotuplex.

CAPVT II. PARS II. ARTIC. I.

Quinque conditiones excretionis.

1 EXcretiones ergo fiunt in iuuenibus,& tempore calido,magis in acutis morbis,& turgentia humorum calidorum, tenuium: quorum motus ſi eſt ad exteriora, fit criſis per ſanguinis eruptionem, aut ſudorem: aut ſi ad interiora,per vrinam, alui deiectionem, hæmorrhoidum, menſtruorumve fluxum, aut vomitum.

De Criſi per ſanguinem.

ARTIC. II.

Sanguis præ abundantia naturaliter erumpit.

Vitiatus quatuor ex cauſis erumpit criticè.

Phlebotomia criſis vices habet.

1 PRopria eſt abundantibus ſanguine etiam optimo eruptio ſanguinis per nares ad vaſa exoneranda, & ſpiritum ventilandum dilatandúmque intra venas, vbi erat coactus. Cum autem ſanguis inſuper vitiatus fuerit,in tenuitatem, & bilem flauam redactus, aut nimis aduſtus, prauiſque ſuccis admiſtus, ex quo febres ardentes,continuæ, & intermittentes tertianæ, & interdum quartanæ,ſed cum multo ſpiritu fiunt. Itemque vbi inflammationes in viſceribus acciderint, præſertim jecoris, lienis, ſtomachi,diaphragmatis,& pleuræ,& membranarum cerebri,& huiuſmodi; per eruptionem criticam ſolet emendare ſe, & calorem,& humores prauos emittere:vnde & Medici phlebotomiam didicere.

Si quatuor adſint conditiones certior ſangui-

Eóque magis expectanda eſt criſis in iuuenibus vſque ad 35. annum,& in æſtate,& robuſtis, & in principio morbi vſque ad 7. nam procedente tempore pus è naribus, & in ſenioribus. Et ſi

transeat

transeat 20. dies, vel ætas grauior, abſceſſus aderit.

nea criſis: ſi deſint, abſceſſus fiet.

2 Præter ſigna communia criſis per ſanguinem, & aliis quæ deſuper fiunt, quæ ſunt vigiliæ, & deliria, dolores capitis, & tenſio partium, & grauitas circa nares, & tinnitus aurium, ſurditates, dolor pulſatilis, non acer, & venarum, nedum arteriarum pulſatio prompta, & dolor colli, aut ceruicis, & temporum & viſus hebetudo, & fuligo oris, motus in oculis, & caligo. Adduntur tanquam propria, hypochondrij tenſio ſine dolore, & inflammatione, per quod ſanguis aſcendit; ſublonga, tumens; ſi tamen in dextro, vel ſiniſtro hypochondrio, ac ſimul repentina difficultas ſpirandi ob tranſitum ſanguinis ſurſum, & viſio ſpectrorum rubrorum, & lacrymatio inuoluntaria, & rubedo faciei tumida, non ſicca, qualis fit ex cerebri inflammatione, & pulmonis: & pulſus altus, plenus, & vehemens: oculus rubicundus: & ſolet furere & diſſilire æger, & nares ſcalpere, quo facto ſtatim erumpit ſanguis vel ſponte.

Signa criſis ſanguineæ, & per ſuperiora communia cæteris ſunt 15. propria verò ſunt alia 10.

3 In mulieribus ægrotantibus; per menſes, quod noſces interrogando, an ſuppreſſi ſint, & quo tempore euenire ſolent, & quibus ſignis. Aliis enim grauitas inſignis tenſióque, & dolor in lumbis: aliis in abdomine, aliis in vtero, aliis in cruribus, aliis laſſitudinaria præit affectio, cum præfatis ſignis: quibus exiſtentibus in vexatis febre acuta, & præfatis morbis, nec ſignis aliarum vacuationum per ſudores, alui dejectionem & vrinam exiſtentibus, ſtatim intelliges criſim per menſes adfuturam: præſertim ſi & cardialgia adſit, & ardor circa ſpinam in vena caua.

Signa criſis per menſtruorum fluxum ſunt inquirenda, ſex poſitiua, & vnum defectiuum.

4 Quæ omnia ſigna adſunt eodem planè modo, maſculis per hæmorrhoidas purgari ſolitis: & nunc in ſimilibus infirmitatibus ſuppreſſas. Fiunt & per vomitum boni ſine febre ſanguinis exitus, praui cum febre.

Eadem per hæmorrhoidas, notab is

5 Salubres ſunt eruptiones ſanguinis, ſi quas ſalutiferis criſibus notas aſſignauimus ſortiuntur, præſertim ſi morbo conueniant: in frigidis enim noxiæ, & in copia: multitudo enim debilitat vires, exſiccat jecur, & ad hydropem parat: paucitas non iuuat. Cætera patent.

Signa ſalubris criſis per ſanguinem: & noxiæ.

Verum hoc Medici notarunt, quod abſque ſignis coctionis in vrinis, criſis ſanguinis eſt bona, ſi cætera adſint ſigna bonitatis: quoniam ſanguis eſt ſubſtantia nutritionis: &, ipſo expurgato, excremẽta deinde bona fiunt. Non autem neceſſe eſt coqui, vt expurgentur. Quod enim erumpit, exonerat venas prauitatibus,

Criſes ſanguineæ cum bona etiam abſque coctionis ſignis.

tum in qualitate, tum in quantitate.

Confirmatio dogmatis supradicti. Quapropter rectè diximus, omnem mali expulsionem esse bonam, quamuis adhuc mali plus remaneat. Sanguinis tamen larga eruptio vix vnquam relinquit malum, nisi sit extra venas. *Iudicia certa bonitatis duo.* Tolerantia, & melioratio subsequens erunt indicia certa.

Exitiales sunt cōtrarias notas ferentes. Adde, si deiectiones nigræ sequuntur, & arefactæ: quoniam sanguis abest; & si conuulsiones. *Signa crisis exitialis opposita dict... & insuper alia duo.* Sanguis enim vnit spiritum cum corpore: vinculo autem perdito ita soluitur. Similiter vitiatio. Vnde stillæ sanguinis è naribus modicæ cum malis signis, pessimæ sunt: præsertim nigræ, & assatæ. *Cur gutta sanguinis nigri pessima, præsertim cum sudore frigido.* Indicant enim spiritum combussisse sanguinem, & exhalasse plurimum: & qui remansit, non posse corpulentas fæces educere: propterea in acutis certissimam mortem prænunciant: in mitioribus morbis longitudinem; nisi sint indices futuræ crisis. quod ex aliis signis crisium internosces.

Nihil autem pejus stillicidio assato cum sudore frigido, extincti indicium spiritus, & caloris elapsi & insequentis humnris: si autem spiritus adest, & fluat largiter, liberat à quartana, & malis ex melancholia nascentibus, & lætitiam, & leuitatem, & sitis sedationem affert.

De Crisi per sudorem.

Artic. III.

Analogia sudoris ad vrinam: quid vtrumque. 1 QVemadmodum vrina est humida pars alimenti, quæ solidum in venas deduxit, indéque sequestratur cum cineribus per renes in vesicam ad excretionem: ita sudor est humida illa pars alimenti, quæ deduxit extra venas ad nutritionem statuæ solidiusculas partes: quo peracto officio in cutim per poros excernitur, vel resoluta in flatum, vbi multa non est, nec crassa, & calor educens robustus est, & pori non multùm ampli; quales sub axillis, vbi contingit sudatio, quando in aliis partibus est transpiratio; vel in fluores permanens consistentia excernitur: & quidem semper secum fert solidiusculas partes, & crassiores mistos humores.

Quis sudor cuius temperiei index est, cuius passionis. Propteréaque ex quibus sudor manat vnctuosus, indusia linteaue sordida pinguedine maculans: ij pituitosi sunt, & pigri, & pediculis obnoxij. Ex quibus verò exit camisias nigredine afficiens; hi calidiores iusto, & fuliginoso sanguine abundant, spiritu tenui, & melancholici. Ex quibus rubens humor, & copio

& copiosus camisias rubore afficiens, sanguinei sunt, & exercitati copia sanguinis turgent. Haud tamen sanguinem citra miraculum exudant, sed tenuitates tinctas modico rubore.

Quibus sudor flauus, cholerici sunt, biliosíque. Si autem sudor fœtidus, prauas coctiones indicat; vti & excrementa: & si olet morticinium, ad hecticas trahit.

Quibus bene olet natura, sani sunt: vt Magno Alexandro; quod & mihi in axillis euenit: nec pediculos generat: neque camisias sordidat ob temperamenti dignitatem.

2 Omnis accensio siue febrilis, siue inflammationis viscerum, aut cuiuscunque partis, si fiat ab humoribus, & non à sola siccitate exusta, resoluitur per transpirationem, & sudorem criticum. Quapropter in singulis paroxysmis cum declinauerint, sudor, paulo ante vapor ardens.

Sudor & transpiratio, qui differunt, & per hos febres resolutionem facere peccantium humorum

3 In morbis acutis cum videris pulsum altum, magnum, vndosum, madidum, mollem, & præter rationem aluum, & vrinam supprimi, adueniente rigore, sudorem criticum expecta: qui causas morbificas foras educit: præsertim si præ accensione simul æger delirat, & partes corporis omnes colorantur, incalescunt, & madescunt, & etiam quod per aluum non excernitur, tenue est, calidúmque, & acre, & transiens per poros mordicat spiritum: qui aufugiens morbum, delirat, riget, & se vnit: factóque cum eo etiam impetu, expellit.

Signa crisis per sudorem 14.

4 Vnde salutiferæ crises per sudorem fiunt copiosum, calidum, ex toto corpore erumpentem, causam morbi olentem: ad quem sequitur quies, melioratio, & febris cessatio, aut saltem imminutio; & pulsus maiores in dilatatione, quam in compressione, cum cæteris bonis signis, & crisibus aliis, quæ simul accidere solent.

Signa propria bona crisis per sudorem communia multa supradicta.

5 Exitiales verò omnes sudores pauci, frigidi, non ex toto corpore, præsertim qui ex capite, thorace, clauiculis, in morbis acutis, ex quibus etiam multi, & frigidi exitiales: indicant enim copiam humorum inuictam; in mitioribus verò morbis longitudinem, & pericula.

Exitialis, si contraria.

Cur multitudo frigida, sicut & paucitas mala.

Notabis ergo, quoniam paucitas in acutis signum est modicæ virtutis: partialitas partis nobilis inflammationem indicat: multitudo copiam peccantium humorum, aut retentricis debilitatem, aut humorum colliquationẽ vnà cum soliditate. Frigiditas crassitiem humorum, non vincibilium (aiunt Medici) dicerem, extentionẽ caloris expellentis, vel paucitatẽ, & resolutionẽ dum pellit.

Quid indicat paucitas, quid partialitas, quid multitudo, quid frigiditas sudorum.

Animaduersio contra Aristot. in problem.

Argumentum primum cont. Arist.

Arg. 2.

Caue ab Aristotelis imperitia; qui sudores sanitatem propterea facere dixit in febribus, quoniam sudor est aqueus: qui cutim refrigerat, ac proinde extinguit calorem Hoc si verum esset, ad quid sudor, cum frigida aqua melius id præstaret? Experti sumus in affectis lue venerea, & morsis à tarantula: quoniam sudor secum extrahit causas morbificas, & venenosas. Ergo.

Quando sudor mortis est nuncius certus.

6 In omni mala crisi cum signis malis sudor comitans, præsertim si partialis, & frigidus, est certus mortis nuncius: & spiritus, & radicalis humidi, rorisque eductio: præsertim post prauas euacuationes ab arte, vel à natura.

Quando in ictero sudor saluber, & quando exitialis.

7 Sic etiam morbus regius in acutis succedens ad cutim ex bilis expulsione, præsertim post 7. diem, vel ante, si signa coctionis præcesserint, criticus est, & salutaris: malus autem ex fellis obstructione, debilitatione, & iecoris inflammatione, & scirrho: quod ex dextri hypochondrij tumore, & dolore, & inflammatione, atque vrinarum croceo colore pannum tingentium, nosces. Quæ signa in critico ictero desunt.

Ex vrinis judicia. Et primò de vrinæ essentia, & qualitate, juxta ætates, & temperamenta.

CAPVT II. PARS III. ARTIC. I.

Quidditas vrinæ.

1 VRina est pars humida nutrimenti deseruiens coctioni, & transmissioni solidioris ad partes solidas per venam cauá: quo peracto officio su-erfluitas aquositatis colatur cum cineribus per renes, ad vesicam sequestratur, mox excernenda: ergo ex coctione, & cineribus salsescit: quapropter indicationẽ habet super caloris naturalis actiones, id est coctură, sequestrationẽ, & vires.

Quarum ætatum qualis, & qua vrina.

2 Idcirco vrina senum alba, subtilis, transparens; magis autem decrepitorum; quoniam calor ipsorum robore magnus coquit sanguinem cum adustione, inæqualémque reddit, & nigrum: serum verò tenue album, sicut in destillatis aquis. Infantum verò instar seri alba, opaca, & crassiuscula: quoniam calor jecoris blandus fundit æquè totum cibum, & non prius partes molles: neque ergo attenuat serum; reddit tamen album, quoniam blandus calor non exhalat; non tamen transparens, quoniam non separat, nisi fæces crassas, quas nec adurit, vt patet in Phys. Puerorum adhuc crassa, & alba est, sed iuuenum crocei, & rubei coloris, sed nõ clari sicut senum, nec opaca, vt puerorum, sed mediocris: quoniam

niam auctus calor sequestrat aliquas partes, & remanentes colorat mediocriter, dum albedinis parte spoliat: sed in sanguineis rubras redit crassasque: in cholericis rubras tenuésque, quia maior calor. In phlegmaticis alba opaca, similis pueris. In melancholicis alba clara, similis senum.

3 Igitur in puero vrina in venis indicat febrim, vrina senis hecticam: in sene vrina pueri debilitatem caloris, & catarrhos: vrina iuuenis, optimam temperiem; qualis inest in temperatis, quorum vrina palearis, & mediocris consistentiæ. *Quid significat cum ætatis ritum non seruat.*

Ex colore albo, & consistentiæ qualitate iudicium.

Artic. II.

1 Vrina alba, tenuis, multa in corpore sano, multam potationem significat ex qua ante cocturam partes aqueæ transeunt, vt superfluæ, ad vesicam. *Quid in sani: alba tenuis, multa.*

2 Alba tenuis, transparens, multa & mediocris in nõ sanis, significat, aut oppilationem splenis, aut renum, aut viæ vrinæ; idcircò colatur sicut aqua per tophum, & sola tenuitas egreditur: vel significat hydropem, si icteritia, & calor præcessit: quoniam jecur inflammatum adurit nutrimentum, & in aquam vertit: aut phthisis principium, aut caloris defectum in copia, non in robore: idcircò mala est in febribus. *Quid in non sanis.*

3 Alba, spissa, seu crassa & multa, significat cruditatem, & digestiuæ imbecillitatem, aut phlegmaticos humores, & morbos, qui ex eis, & morbi incepti durationem. Sed in fine morbi post tenues vrinas crassa sequens alba, morbi finem pandit. *Alba crassa, multa.*

4 Alba, saniosa, aut furfurea, aut purulenta, aut arenosa, aut spermatica, aut pinguis, aut glebosa, aut cum nebula niuea, vlcerum, & calculi, & seminis corrupti, aut liquefacti adipis, indices. Quæ patent. *Alba sordida.*

Mortem significat alba, crassa, oleaginosa aut spumosa in acutis. *Alba crassa, oleaginosa.*

De colore nigro, & consistentia, & qualitate.

Artic. III.

1 Vrina nigra, aut significat admistionem saniosi & menstrui sanguinis, aut vlcera in renibus: & bona est, si educit mala ista. *Quid nigra. Intelligitur de menstruo.*

2 Aut

& ſanioſo, qui expultricis virtute ſeparatur, & tenuitatis abſceſſu liueſcit, etiam in grumum abiens. Galen. in l. de ſem

2 Aut miſtionem atræ bilis, & impotentiam ſequeſtrandi: ergo vel mortem, vel icteritiam nigram: & hæ craſſæ ſunt ſemper.

Aut extinctionem caloris natiui, qui dum incendit ſanguinem, ipſe ſimul euaneſcit, & fuligines remanēt cum ſero. Et talis vrina ſemper tenuis eſt, & mortem denunciat, niſi ſit in quartana, quæ atram bilem expellit, & quidem maxime ſi eſt pauca, lucida, cum viriditate præcedente. & peius ſi fœtida, vnctuoſa, oleaginoſa, & in febribus acutis, & non criticè.

De colore liuido, &c.

ARTIC. IV.

Quid liuida in quibus morbis.

1 Liuida porro mortem ſemper ſignificat, quando tota liuet, non ex miſtura, ſed conſtitutione, in morbis acutis, & phthiſi, & hectica, & phrenitide, & pleuritide, multoque magis, ſi pauca & oleaginoſa, & fœtens.

2 Quando liuet ſolus circulus in ſuperficie, epilepſiam indicat: ſi non tota, in tumore ventris hydropiſim. Cum granulis liuidis malū in pulmone, aut pectore. Cum fruſtis, artheticum dolorem; & quando eſt ſpiſſa, minus mala. Aut enim renū & pectinis morbum: aut menſtruorum, aut fluxum ventris, aut hepatis dol rem. Inſpice contenta. Liuor enim fit ex media accenſione inter choleram, & melancholiam.

De rubea, & rufa, & ſuæ conſiſtentiæ qualitatibus.

ARTIC. V.

Rubra bona ex coctione, niſi vbi non naturaliter.

1 VRina rufa fit ex bona coctione in naturaliter ſanguineis: ſed in pueris, ſenibus, & mulieribus indicat febrem. Non enim rubeſcat niſi aucto calore. Idem in phlegmaticis.

Ex miſtione.

2 Vbi rubedo fit miſtione ſanguinis in vijs vrinæ; hoc ex vlcere, aut ruptione venæ fit, aut hæmorrhoid.

Quando mortalis.

3 Vbi vero ex membri ſanguinei diſſolutione, aut ex impotentia ſequeſtrandi ſerum à ſanguine, mortem ſignificat: præſertim ſi rubra ſit, pauca, ſubtilis & cum nig a hypoſtaſi, & turbida: & hoc ſemper in acutis febribus, & hydrop. In ſpaſmo, epilep. apoplex. phthiſi, pa alyſi, peripneum. dyſent. colica.

Quando delirium.

4 Rubea ſpumoſa, aut deſuper alba ſubtilis, alienationem ſignificat, præſertim in dolore capitis. Item cum nebula.

5 Vbi

5 Vbi fuerit ſine hypoſtaſi, aut cum hypoſtaſi nigra, vel quaſi piloſa, turbida, vnctuoſa, lethalis eſt: aut mala. *Item quando mortalis.*

6 Simplex rubea, ſicut roſa, febrem ephem. ſed continuata quotidianam indicat. Vbi autem miſcentur contenta, & dolores, & febres, iudica iuxta conſignificationem, & partium conſanguinearum affectus. *Roſea. De iudicio mistarum.*

De viridi iudicium.

ARTIC. VI.

1 Viridis vrina crudam choleram fortè nunciat, cum virides res coctæ fiant croceæ; ergo eius abundantiam, & indigeſtionem, ergo in omni febre acuta mortem: quoniam non poteſt natura tantæ copiæ hoſtilis humoris reſiſtere. *Quid viridis, cur in acutis mortem.*

2 Indicat mortem viridis pauca: quoniam natura nequit expellere multam. Sed quando multa in dolore capitis, cauſam expulſam oſtendit, & ſalutem. Et ſi habet circulum viridem inſuper in phrenitide, lethalis. *Vbi bona.*

3 Indicat viridis venenum ab aſſumpto cibo, vbi dolet ſtomachus. Craſſa viridis ſtranguriam. *Vbi venenum.*

De pallida, & citrina iudicium.

ARTIC. VII.

1 Vrina pallida, & mediocriter ſpiſſa, eſt propria exeuntis pueritiam, & viri phlegmatici ſani: & bonum ſignum in his: in aliis verò indicat phlegma aceroſum accidentale; & morbos, qui ex eo, & indigeſtionem. Sed ſi ſpumoſa, & liuens supernè cum oleaginoſitate, & cineritia, modicáque, phthiſim, & fluxum alui, quo veniente mors adeſt. Rubrum tamen circulum habens, & nubem magnam in fundo, dolorem hepatis, & dextri lateris, & apoſtema cum dolore capitis. *Pallida & citrina quorum propria, & quorum morboſa.*

2 Citrina etiam, & ſubcitrina pituitoſorum, ſana; & cum circulo citrino non conſiſtentia mediocris, ſed tenuis multáque, conſtipationem, & dolorem hepatis; & in ſene, & muliere quotidianam: & incenſa tertianam, ex vitellina. Non autem in adoleſcentibus, quibus eſt naturalis in ætate Veneris.

3 In acutæ principio cruditatem, & morbi durationem indicat citrina tenuis: ſed poſt rubra phrenitim. In declinatione vero ſalutem, quia calor mitigans operatur, vt in pituitoſis. Et *Quando, quid.*

cum est virgulata, & fenestrata, lienis, aut articulorum morbos ex multitudine.

De subrubra, & vinosa judicium.

ARTIC. VIII.

Subrubra vinosa vbi, quid.

1 VRina colorem jecoris habens, & vini rubri subnigri passionem hepatis, aut pulmonis, aut renum, seu apostemà; prout plus vni, quam alteri morbo sui coloris similis est: & propterea etiam vlcera, & rupturas venarum significat, & in causone crisim à sanguine.

Eiusdem spuma.

2 Et cum habet spumam croceam, potius in iecore significat obstructionem, & icteritiam, & hydropisim ex nimio calore, pessimaque est in acutis ante septimum diem: postea enim indicat à bello Naturæ victoriam: ante verò potentiam morbi; peius autem si prius rubra fuit: accensio enim creuit, & vssit.

Ex Consistentia, & Contentis in vrina, judicium.

ARTIC. IX.

Crassa clarescens quid significat: subtilis clarescens. Quid illa, & ista perseuerans.

1 VRina exiens crassa, & mox clarescens, significat naturam perfecisse digestionem, sed non sequestrationem: subtilis vero crassescens, non perfecisse digestionem, sed ex parte beneque. Si perseuerat subtilis, cruditatem notat, nõ inceptam coqui: si perseuerat crassa, commistionem humorum non coctorum.

Quatuor vrinæ circuli quid, & super quibus partibus corporis, quid circulorum colores.

2 Sunt in vrina quasi quatuor circuli, supremus aqueus: secundus cholericus: tertius sanguineus: quartus atrabiliosus: cum non seruant hunc ordinem varias, & longas infirmitates significant.

3 Circulus supremus super caput significat: cæteri super inferiores partes gradatim, & quilibet ex suo colore. Albus malum ex phlegmate, niger ex adustione, & melanchol. croceus ex bile: rubeus ex sanguine. Liuidus extinctionem, & epilepsiam in suis locis, sicuti de coloribus diximus.

Quid ampullæ, & granula.

4 Ampullæ & granula, ex quibus constat spuma, semper ventositatem non separatam, ergo & indigestum humorem significant, & morbos ex inflatione. De quibus *in* 3. *lib.* Aliquando nimiam attenuationem alimenti ex calore nimio: & propterea si nigra, adustionem, & atram bilem: si crocea icteritiam, & hydropem, &c. vt de coloribus dictum est: præcipue nephriticum dolorem,

lorem, & hepatis inflammationem, & rheumata in capite. Ventus enim sursum petit: sed pro situ in vrina.

5 Nebula ex suo colore ostendit, & situ: si alba, nigra, crocea, &c. si supernè, si infernè. Sed liuens purulenta, hecticam. *Nubecula.*

6 Sanies semper apostema rumpi in eo membro, in quo dolor præcessit: at sine difficultate exiens, in renibus. *Sanies.*

7 Sanguis in vrina, vel menstruum, vel venæ ruptionem in membro, vbi dolor; & post passionem splenis, criticus est; vbi perseuerat, malus; quia plagam insanabilem. *Sanguis.*

8 Sperma cum passione gonorrhæam: sine, abundantiam seminis, & coitus intermissionem; aut præcessisse paulo ante; vel nocturnam illusionem. *Sperma.*

9 Cinis resolutionem renum, aut splenis malum, aut apostematis sanguinei rupturam, aut menstrui retentionem, aut nuncium, aut reliquias, pro loco doloris, & situ, in febrem phlegm. transitum ad melanch. *Cinis.*

10 Atoma quasi puncta, significant destillationem pro situ. In fundo enim ad pedes & genua: in medio ad pectus, & manus. *Atoma quid.*

11 Squamæ, & furfur sine febre scabiem corporis cum dolore, vel vlcus vesicæ: cum febre, hecticam significant. *Squama & furfur.*

12 Pili consistentes in vrina hecticam tertiam: euanescente totu oppilationem à crassis humoribus: pingues sine febre, renum dissolutionem: rubri, renum caliditatem. *Pili.*

13 Vrina pinguis sicut brodium, sine febre pinguedinis renum, vesicæ, & lumborum solutionem significat. At cum febre, totius corporis liquefactionem. Et si stillas pingues habet, est prima species hecticæ. Si in tota superficie est adeps, sicut tela araneæ, est species secunda. Si verò tota oleaginosa, & carunculis, & neruulis quasi mista, est tertia species. Dissoluitur enim soliditas. Et in omni febre acuta, si pauca, oleaginosa, mortem significat; & si in quarto apparet, in septimo mortem expecta. Similiter in colica, & hydrope. *Pinguedo qua, & quid.*

De hypostasi vrinæ iudicium.

ARTIC. X.

1 QVoniam hypostasis est crassities sequestrans se à partibus liquidis vrinæ, indicat virtutem concoctiuam, & separatiuam, & expulsiuam super alimento. Et est superfluitas vltimæ *Hypostasis in vrina, & fluiditas in stercore pro-*

portionaliter, non sanam prorsus indicans.

coctur æ, quæ in corporibus perfectè sanis, & frugaliter viuentibus ex cibis facilè digestibilibus, nulla reperitur: totum enim abit nutrimentum in substantiam nutriti: & fæces crassæ per aluum: cæteræ in lienem, & fel: cinis in renes: fuligines in pilos: aliæ sordiculæ in sudores, & transpirationem. Ergo vbi hypostasis, indicat plus alimenti debito sumi, vel non benè absolui coctiones omnes. Sic enim si fæces alui liquorem habent, indicant incoctionem chyli, vel non attraxisse mesaraicas totum: ergo crassities in vrina è contra.

Quantitas sedimenti quid.

2 Qui multum comedunt, plus sedimenti habent: qui minus, parum: qui mediocriter, mediocre: qui verò non edunt, & febricitant, si multam hypostasim habent, eorum substantia colliquescit, vt in hecticis, & acutis febribus.

Salubre sedimentũ quinque conditiones habet.

3 Hypostasis salubris est alba, læuis, pyramidalis, in fundo matulæ vnita, qua mota subitò ascendit, & quieta reuertitur.

Quid, in quo loco matula significatio.

4 Alia est nebulosa, quia supernatat, & indicat flatum, & malum in capite. Alia pendens in medio, & indicat minorem flatum, ac in capite. Alia quæ sedet in fundo, & perfectam coctionem significat, si est alba, vnita, læuis, æqualis. Si enim disiuncta, & in fundo, cruditatem, & flatum simul notat, & non perfectam cocturam. Si pendet, similiter; sed tandem victoriam. At quando per crassitiem est in fundo, & non leuatur, & quasi res non pertinens ad vrinam: tunc vel est aliquid extraneum, vt arenula; vel indicat naturæ desperationem ad ipsos humores coquendos: proptereáque extra aquam coctionis dimittit.

Totalis sequestratio incocta pessimum.

Quis color vrina quid significat.

5 Hypostasis nigra vbique, præsertim in vrina nigra, mortem indicat per incendium, & extinctionem caloris, similiter liuens: alba bona; rubra & subrubra longam ægritudinem, sed sanabilem: citrina, & pallida febres ex cholera benè terminabiles, licet longas si pendet. Viridis autem peior, quoniam incensionem sanguinis, & humorum indicat.

Mistio in vrinis præter liquorem cõtentis in e. respondent.

6 De hypostasi granulosa, squamosa, furfurea, pilosa, cineritia, farinosa, indica, sicut dictum est de contentis in ea. Arenosa vero, rubra calculum in renibus nimio calore ex fæcibus gigni. Alba in vesicæ fundo concrescere, quæ etiam solent ex sola febri fieri, & ea cessante euanescere.

De vrina

De vrina mulierum, & bestiarum.

ARTIC. XI.

1 VRina muliebris est crassa, & alba, vt in pueris, & minus splẽdet; & cum spuma rotunda, & mota non turbatur: mascula verò splendidior, & mota subito turbatur. Attamen in senibus est crudior, & liuidior, quam in mulieribus, sed magis in fœmina sene.

Distinctio sexus ab vrina signatus.

2 Sed lucida, & pura cum nube pendente, & granulis ascendentibus, & descendentibus est mulieris prægnantis vsque ad sextum mensem. Conceptum autem indicant granula pinguia in fundo si mox gelantur. Rufa & subrufa rotunda, masculum: lata, alba, liuida, fœminam. Post sextum mensem sunt turbidiores, vt brodium pedis vituli. In fine adest rubedo etiam, qua pars menstrui maior miscetur.

Signum prægnantis.

Et fœtus.

3 Vrina asini, sicut butyrum turbidum subalbum.

Vrina bestiarum.

Subiugalium consimilis est; sed tendit ad colorem citrinum, & medietas matulæ superior clara, inferior turbida.

Ouium albæ, tenues, aquosæ, subcitrinæ cum sedimento quasi oleo, vel amurca.

Hominis quanto plus approximatur, eò spissior apparet, quo plus elongatur, eò rarior; quod non accidit in aliis bestiarum vrinis.

Signum distinguens ab humana.

Appendix.

1 NOtandum maximè est, quod omnis vrina non naturalis in ægroto (quod ex colore opposito eius complexioni, & sanitati consuetæ intelliges) quando modica est, indicat mortem, vel periculum grande; ex colore enim, & contentis indicat morbi naturam, ex modicitate impotentiam naturæ ad pellendum morbum, & ad functiones in cibi transmutatione, & perfectione alimentationis.

Quomodò cognoscitur vrina non naturalis.

Quid significat ex quanto, colore, cõtentis.

2 Vbi autem plurima est vrina talis, si non ex colliquatione solidi oritur, (quod ex fœtore, & oleaginositate cognoscitur) tunc indicat crisim, & naturæ præpotentiam ad pellẽdum simul, quod diu non potuerat, sicut in suspirio facit, compensans priores respirationes per vnam. Vbi verò est mediocris, mediocriter indicat ex hac quantitate. Sed ex aliis signis; vt supra.

Multitudo vbi indicium crisis.

De Crisi per vrinas.

ARTIC. XII.

Qui morbi per vrinam iudicantur. *Signa crisis per vrinam sex.*

1 FEbres, & morbi jecoris, & vasorum sanguinem continentium, & expurgantium, per vrinas iudicantur: cuius crisis signa sunt carentia signorum crisium aliarum, & gracilitas circa pecten, & inflatio quasi vesicæ, & acrimonia, vel pruritus in vasis vrinariis, & alibi suppressio insolita.

Quando salutares, quando noxiæ. *Multitudo semper critica, non semper bona.* *Signa bona.*

2 Signa coctionis, & cruditatis in vrinis indicant naturæ vires, & debilitates: & tunc salutares, quando similes sanis: malæ, quando dissimiles. Sed copia vrinarum paulatim crescens excedens potum, & tincta, mistaque humoribus peccantibus, est critica: & cum bonis signis bona: cum malis mala. Videlicet liuida ex se indicat caloris natiui albificantis extinctionem; sed cum melancholico humore multo crisim bonam: si in die critico, congruens humori, & copia, & qualitate alleuans, & conferens; salutem, aut meliorationem: mala è contra, vt ex dictis patet. Sic de cæteris.

De Crisi per alui deiectiones.

PARS IV. ARTIC. I.

Qui morbi per fluxum alui indicantur.

1 ABdominis morbi, atque viscerum omnium, excepto corde, & pulmone, & quicunque fiunt ex crassis humoribus, & de peripheria ad centrum incumbentibus, per alui fluxiones iudicari vtplurimum consueuerunt.

Prima indicatio deiectionum quæ, & qualis, & in quibus

2 Dejectiones alui, etiam duplicem habent indicationem: alteram à seipsis, quatenus sunt signa naturæ coquentis benè, vel malè: vel non potentis coquere; & sic considerantur communiter in sanis, & ægrotis, de quibus diximus in 2. *&* 3. *lib.* quod debent respondere ætati, complexioni, ciborum quantitati, & qualitati, & tempori coctionis, & de ipsorum consistentia, & colore. Scimus enim infantes liquidas excernere, albidásque, pueros lubricas, subcroceas; adolescentes molles, subrufas: viros triticeas colore, & lentas: senes duras, & liuentes. Præterea cholericos flauas, & siccas, modicas: atrabiliosos ficciores, pauciores, subnigras: pituitosos viscosas, subalbas: sanguineos plurimas, grossas, se continentes, quasi corollas, submolles.

Regula deiectionum a-

3 Quando ergo ita se habent, vt solent sanis, in ægritudine, morbi tolerantiam & salubritatem pollicentur, quando vero è

contra

contra, trāſeunt in conditionem illorum, quos imitantur. Et ſi ab extremo ad extremum, peſſimum fiet indicium, vt cum puer ſenis egeſtionem eijcit, ad hecticam, aut ad vehementiſſimum viſcerum incendium tranſit. Senex vero pueri excrementa habens, & cruditatem indicat, & digeſtiuæ facultatis debilitatem; quæ tenue à craſſo non poteſt ſeparare: non autem robur facultatis puerilis, quæ fundit æqualiter totum ingeſtum, ſicut *in 2. lib.* dicebamus. *grorum, & ſanorum. Admonitio exceptionis.*

Si autem fiat tranſitus ad vicinum, morbus mitior eſt; vt ſi infans pueri, & puer infantis excrementa egerit. Præterea ſi ſanguineus atrabilioſi effert deiectiones, abundātia caloris aſſantis ſanguinem & excrementa, laborat. Si pituitoſi, defectu. Ideò remediis eget contra pituitam. Accidit aliquando præter ægritudinem iuueni liquida excernere ex ciborum molliſſimorum qualitate, vt ſi ficus, aut lac ederit, vel ex multitudine quam coquere non poteſt & in hoc graueolentes, & ſinceræ ſunt deiectiones: in illo non malè olent præter conſuetum.

3 Alteram indicationem habent deiectiones, quam criticam dicimus: vbi nimirum non purè, ſed cum humoribus, qui ex venis & viſceribus in inteſtina decumbunt: prodeunt, quod faciunt aliquando attractione aſſumpti pharmaci potentioris ad attrahendum ſibi ſimiles in ventrem, quàm conuerti in eos: aut repercuſſione exteriori in cute incipiente. Videmus enim eos, qui humidū locū ſubterraneum non conſuetum intrauerint, & permanſerint per aliquot dies, aut qui nudant pedes & corpus, ſtatim alui fluxum pati: humor enim per poros attractus impellit humores ſubcutaneos, & iſti alios vſque ad viſcera & inteſtina: quæ ſtimulata emollitáque excernunt ſolita excrementa, & inſuper humores multos. *Secunda indicatio ex deiectionibus. Cur humores deiectionibus admiſcentur. Prima cauſa. Secunda.*

Idem accidit tabidis, quorum carnes putreſcentes colliquantur, & ad inteſtina fluunt, & non per poros extra cutim, vt accidit tabeſcentibus ab inflammatione. *Tertia.*

Aliquando verò idem fit ex impetu naturæ ſequeſtrantis noxios humores ab vtilibus, & ad ventrem impellentis, qui cum fæcibus deiiciuntur. Et iſte motus familiaris eſt criticis dejectionibus. *Quarta.*

4 Signa criſis huiuſmodi ſunt inteſtinorum tormina præcedentia, mordicatio, crepitus groſſi, murmur præcordiorū, & ſuſpenſio, extuberantia, & turbatio ventris. Adde, grauitas genuum, *Signa criſis per aluum.*

& lum-

Distinctio. & lumborum dolor cum his: licet mordicatio sit propria excretionum salsarum, biliosarum, acrium, melancholicarum: ructus, flatus, crepitus, tensio, murmur, propria pituitosarum, & frigidarum.

Bona sequestratio saluberrima crisis index tres ob causas. 5 Deiectiones criticæ salubres sunt omnino, quando à natura sequestrante, pellentéque humores malos, sequestratos à bonis, fiunt: tunc enim neque vtile cum noxio excernitur, neque spiritus cũ illis effertur, neque remanet pars noxiorum ad recidiuam, vel vexationem spiritus remanentis; facta enim erat sequestratio eius, quod eijciendum, & quod retinendum. Quapropter neque copiosior est, neque minor quam profit. *Quatuor ad crisis bona rationem.* Idcircò signis coctura apparentibus, & in morbi statu, & decretorio die, juuante cælo, fit necessariò optima excretio quorumcunque humorum, siue biliosorum, siue pituitosorum, siue æruginosorum, nigrorum, porraceorum, & cuiuscunque generis: & sequitur salus, vel melioratio; & ægri facilè ferunt.

Noxiæ crisis, & infidelis causa opposita cruditas. 6 At quando fiunt excretiones absque signis coctionis, quamuis sit bonum eis naturam exonerari, haud tamen fideles sunt: necessariò enim remansit ipsorum pars vexatura, quæ non erat tota per coctionem segregata: & si virtus est languida, mortem affert: si robusta, morbi longitudinem. Propterea quo deteriores deiectiones, quóve magis contrariæ naturalibus, eò exitialiores; nàm vel ex turgentia exeunt, vel à debili virtute non potente malum expellere totum, vel retentiua collapsa; vt euenit morientibus.

Superflua euacuatio quid faciat. Et cum cœperit fluxio boni cum malo: facta hac via, humores vtiles egredi consuescunt, & partes corporis vnà euocatæ, vel colliquatæ cum eis, siue ab incendio, quod rarò fit: siue à calore non potente tenuitatem educere per cutim, quæ disponit cæteras partes ad liquefactionem, non secus ac in cadaueribus accidit, vnde olent morticinium. Propterea importunæ euacuationes tabem, prædicta ratione, vel hydropem, exsiccato iecore, parant: *Quid modicæ.* quæ vero modicæ sunt, partem morbi relinquunt. Deterrimæ autem sunt deiectiones bonæ, quales sanis in ægrotis, quoniam non excernitur humor malus, sed excrementum solum salutare: *Cur bona, mala.* præterea quando morbo non conueniunt: si enim pituita laborans, egerit biliosa, non prodest.

Primum corollarium. 7 Igitur pingues, cadauerosæ, pessimæ, præsertim viscidæ, spumosæ, & paucæ: quoniam ex cerebro fit defluxus liquescente.

Item virides, æruginosæ, quæ incendiũ, & absumptionẽ notant.

Item

Item immodicæ, & modicæ, quæ cum cœperint desistunt ex- 3.
pultricis imbecillitate.

Item nimis aquosæ, inscio ægro, nec delirante, egressæ. 4.

Item nigræ, & cruentæ, ex perusta, & vlcerante bile, nun- 5.
ciantes iecoris, & splenis malum. Cætera patent, quoniam & ad 6.
vrinas habent analogiam. Súntque eiusdem malitiæ semper, nisi vbi criticæ fiunt.

8 In morbis grauibus, & pestilentibus abscessus ad intestina si fiunt criticè, boni sunt: propterea Hipp. in peste eos, qui in dysenteriam, aut tenesmos, aut alui fluxus, & turbationes, inciderunt, euasisse scribit: quoniam, &c. non autem si non criticè.

Quando abscessus ad intestina salubres, & cur.

De Crisi per vomitum.

Artic. II.

1 QVicunque morbi fiunt à biliosis, & tenuibus, & calidis, supera petentibus humoribus, vel supra septum transuersum morbi omnes, & præsertim in æstate, vomitu iudicari habent.

Qui morbi ex quibus humoribus per vomitum iudicantur.

2 Signa crisis per vomitum præter communia sunt hæc propria; morsus oris ventriculi, nausea, fastidiúmque, dolor acer, & vertigo capitis, oculorum caligo obuersans, sputum aquosum spōte multum affluens, labri inferioris agitatio. Etenim humores praui à venis, & visceribus in ventriculum pulsi mordicant; præsertim acres, biliosique: nam pituitosi potius nauseam, laxando fibras, efficiunt.

Signa propria crisis per vomitum. *Causa.*

Ex his vapores in caput elati offuscant spiritum, & turbant, & oculis caliginem faciunt: & dolor sequitur ex spiritus, & membranarum cerebri læsione, acer. Saliuam & motum labij facit communicatio cum membrana ventriculi, sed etiam à cerebro stillatio, quæ omni in commotione ipsius adest.

Causa.

Addit Hippoc. quod si rigor affuerit, & iliorum frigiditas, citius voment, & cum præsertim ederint, & biberint. etenim spiritus sese retrahens rigorem facit in membris, & in se vnionem ad expellendum. Alimenta verò addunt turbationem, & grauedinem, & irritationem stomacho; propterea multum, atque fluidum.

Additio ex Hipp. *Quid facilem reddat vomitum.*

3 Est quidem salubris vomitus omnibus sanis ventriculo oneratis, similiter & prauè nutritis, & ad infirmitates pręfatas opportunis, quod facile consequētur, agitatione nauis, aut pēduli in fu-

Quibus prodest vomitus.

Iuuantia ad vomendum ex motu.

ne:tunc enim humores turbantur,& ſpiritus, vt poteſt, eos, quos noxios excitatos contra ſe ſentit,pellit ad ſtomachum,præſertim tenues & mucoſos ; vnde vomuntur.

Procurant etiam vomitum multo vino, & oleo,& raphani decoctione , vt dictum eſt. Sed de criticis vomitibus in morbis eſt ſermo noſter , qui tamen naturales imitantur.

Quando ſaluber.

4 Omnis vomitus poſt ſigna coctionis conueniens naturæ morbi in qualitate,& quantitate,leuans,aut ſanans,ſaluber eſt,quamuis vomat æruginoſa,flaua,porracea, virulenta,viridia,diuerſicoloria : propter cauſas dictas paulò ante,& à principio de criſibus.

Quando non ſaluber.

Horum autem excretio in omni morbo abſque coctione mala, præſertim ſi modica , & virulenta , aut plus quam oportet vires diſſoluens,aut morbo non conueniens : & quæ non confert, ſed potius lædit,quamuis conueniat:mala etenim humorum prauitatem multam remanſiſſe, & naturam ad expulſionem languidam, & concoctricem,& retentricem collapſas , vt patet in his,qui cibum vomunt.

Vomitus contra naturam vomibilis, malus.

Vomere quæ debent per aluum eijci ſtercora, ſemper lethale: nimiam inteſtinorum affectionem denuncians.Et omnis vomitio non critica in morbis vehementibus, exitialis:in mitioribus producit morbum.Cætera vt ſupra.

Documentum ex non conuenienti.

Etiamſi ſubleuet,& videatur ſanare omnis excretio, ſi morbo non conuenit , neque coctione fit , non ei fidendum : recidiua enim,& malum ſubſequetur cum putabitur adeſſe ſanitas.

De Criſi per ſputa.

Artic. III.

Quid ſputa. Quos indicant morbos.

1 QVæ ex pectore excernuntur,quamuis à capite,vel aliunde emanent,ſunt ſputa vocata Medicis,quæ indicant omnes morbos in membris reſpirationis ſupra ſeptum , atque in capite genitos : manifeſtum eſt enim vapores condenſatos in cerebro,verti in fluores:qui deſcendunt in pulmonem,vt madefactus, ictibus aëris non vlceretur, neque cõtinua agitatione exſiccetur.

Genera ſputorum.

In pulmone autem nouas exiſtentias,quales in excretionibus videmus,accipere à calore,& motu itidem clarum eſt. At non diſſimiles in capite,vt mucores,& lacrymæ declarant,& caries auriũ.

Argumentum à mucore & lacryma. A catarrho.

Hoc autem confirmat catarrhi ratio,qui ſubitò fit atque caput humiditates ab extra per repercuſſionem contraxerit , & cogens frigus , & fumoſos vapores. Humiditas autem ingrediens per

pores,

poros, fluores in poris contentos ad centrum agit, ficuti in alui deiectionibus consimiliter dicebamus: & horum mistura, & coctura diuersa genera sputorum creat in capite, & in pectore, præter illud continuum, quo lingua madet.

2 Sputa igitur sunt & viscosa, fluida, spumosa, & læuia: alba, flaua, liuida, viridia: cruenta, purulenta: dulcia, salsa, insipida: rotunda, plana, granulosa: grauεolentia, non olentia: magna, parua, copiosa, praua; difficilè, aut facilè excreta. Quæ differentiæ varias habent indicationes. *Differentia sputorum.*

3 Salutaria sunt sputa in morbis, si qualia sanis, videlicet alba, læuia, insipida, æqualia, non nimis tenuia, aut crassa, quæ promptè & facilè excernuntur; atque sequitur leuitas, & fastidij cessatio. Hæc autem non fiunt in ægrotis, nisi coctione incepta. Albedo enim calorem blãdum notat, & impermistionem bilis, quæ est in flauis & viridibus, exassationibus, quæ in nigris, & liuidis, quibus & caloris extinctio aliquando notatur, & sanguinis, quæ perpetuo mala: indicat enim vel pulmonis, vel venarum erosionem, aut ruptionem. Læuitas similiter impermistionem dicit partium duriuscularũ, qualis in catarrhi screatibus Æqualitas idem in partibus dicit. Insipiditas proba est: salsedo enim rodit. Amaritudo similiter vlcerat. Dulcedo pituitam crudam indicat; sed hic sapor minus periculi habet. Tenuitas paucitatem caloris coquentis indicat. Crassities robur caloris, & substantiam difficilem eiectu: & morbi longitudinem, & suffocationis, & obstructionis periculum. Promptitudo exeundi ad facultatis vigorem, & excrementi obedientiam propter æqualitatem, & viscositatis carentiam spectat, & vasorum munditiam. *Salubris sputi signa 10.* *Signorum dictorum ratio.*

4 In pleuriticis, & peripneumonicis, si à principio non expuant, peius est atque si expuant, etiam tenue. Nam principium coctionis indicat. Lubricum verò, & crassiusculum maiorem coctionem. At etiam si excreentur in principio status discolores, flauæ, & sanguineæ spuitiones, si facilis est emissio, & sequitur melioratio, dolorem, tussim, & febrem tollens: indicat causam morbi simul exire; quæ venas, aut pulmonem, aut pleuram rosit, atque inflammauit. At si non sequitur melioratio, indicat plus prauitatis remanere ad perniciem. *Melius spuere, quàm non, & quando.*

5 Rotunda, salsa, flaua, biliosa, granulosa sputa, etiam in sanis suspecta sunt: quoniam rotunditas indicat multum calorem, & coctionem sputi apti ad vlcerandum, & resistendum excretioni. *Quæ sputa mala, & cur.*

Salſedo rodit,ſicut & bilis:grana craſſiuſcula, ad inſtar cicerum, diuerſas conſiſtentias, & duritiem cum mollitie indicāt:quarum altera ſemper reſidet grauans pulmonem. Quando ergo iſta ſunt in ægris, præſentem morbum pleuræ, aut pulmonis; quando in ſanis, futurum prænunciant:maximè autem viridia,& bilioſa,& difficilis reſpiratio, & ſtercus.

Quando bona ipſorum ſcreatio, & quando mala. 6 Præterea purulenta, flaua, æruginoſa, nigra, quando criticè excreantur, & exonerant ægrotū,bona. Vbi abſque ſignis bonæ criſis, & præſertim cum difficultate, nec leuant;peſſima.

Appendix. Etiam bona ſputa per ſe in morbis,quando non educunt cauſas morbificas, & quando pauca, praue iudicant.

Fœtida quid. 7 Fœtida ſputa, exitialia. Indicant tabem, quæ ſequitur pulmonis vlcera.

Priuatio expuitionis ſuppurationem intra ſeptum, tabem, & phthiſim fert. 8 Quorum tumores, & apoſtemata intra ſeptum ſuppurant, niſi pus expuatur, tabem quoque ſeu phthiſim inducunt. Etenim putreſcit iterum pus, & rodit pulmonem, & eius membranam. Qui verò habent validam expultricem,& membranam pulmonis non adeò denſam, intra 40. dies expuentes multum pus criticè, liberantur:alioquin in phthiſim incidunt. *Quando liberantur.* Phthiſicus autem tandiu viuit, quamdiu expuit: ſuppreſſo ſputo aluus humeſcit, colliquatione ad centrum fluente. Crura tumeſcunt, quoniam *Phthiſicorum putrem, & affectus qui, & quid.* excerni per tranſpirationem in his poteſt nihil. Vngues deficiente carne,& calore;curuantur,& liueſcunt. Genæ ob thoracis febriculam rubent. Oculi caui fiunt. Puſtulæ & ſudores non à facultate expulſiua,ſed à calore febrili putredinali fiunt,exuberante humore prauo.

An ſint aliæ criſes: & de die, & hora futuræ criſis, prædicenda.

ARTIC. IV.

Multiplex criſis cuiuſque incommodi ſunt à natura,ſeu ab arte. 1 Fiunt & aliæ criſes,quandocunque cauſa peccans educitur, vt in ſtrāgulatione vteri,& priapiſmo,& gonorrhæa ſeminis putreſcentis emiſſio: & in apoſtematibus,puris: & in ebrio,vini: & in venenato,veneni vomitus. Nihil autem differt,num ab arte, vel à natura fiant: Medicus enim naturæ adiutor.

Miſtio criſium. 2 Sunt & miſtæ criſes,quæ & miſta ſigna habent:& cum ſanguis erumpit, & ſudor, vtriuſque ſigna præcedunt. De quibus priùs.

Tempus. 3 Tempus criſium noſces ab eſſentia morbi, longi,breuis, mediocris.

dioeris. Item à ſtatu, & augmento. In his enim fieri ſolet, & cum ſigna criſis apparuerint, expecta eius perfectionem ſequenti quaternario, vel ſeptenario, iuxta morbi naturam.

4 Hora erit tempus acceſſionis, vel in principio, vel in augmento; tunc enim mors, aut ſalus.

Inſpice Lunæ applicationes, & defluxus; ſimiliter & aphetarum, ſi cupis nullatenus falli; ægri vires, ætatem, & tempus anni, & præcedentia.

Appendix.

Poteſtatiui, cuius eſt vita, cognoſcitur vis ſublata, aut minuta, aut vitiata ex operationibus: & primo ex pulſu.



DE PVLSIBVS.

PVLSVM ESSE ACTVM VITALEM ſpiritus animalis, & actionem ad vitæ conſeruationem, & refectionem, non temperiei viſcerum, neque incorporeæ facultatis, & cur variatur ad ſpiritus varietatem: non autem ſiſtitur ad eius, vel mentis voluntatem.

CAPVT III. PARS I. ARTIC. I.

Vnde probatur pulſum eſſe actum eſſentialem, non accidentarium in animali.

DIlatari, ac comprimi viciſſim inceſſanter pulmonem, cor, arterias, & cerebrum in animali, compertiſſimum eſt, Mediciſque omnibus confeſſum: huiúſque motus deperditione totali vitam perire itidem certum eſt, non autem organa prædicta. Ergo non accidentarius eſt animali quatenus viuens, ſed eius vitæ ſubſtantialis, corpori autem organico accidens eſt, non autem in ratione finis.

Quod pulſatio radicaliter non ſit actio in ſpi-

2 At nulla actio, neque paſſio ſubſtantialis eſſe poteſt; cum illa in externum indatur ſubiectum, hæc verò ab externo indatur agente. Ergo cū vita ſit interna entitas, & ſubſtātia cuique propria

vitæ, licet qua communicatur alteri sit actio, & passio.

non sit ab alio, non est motus iste actio, neque passio. Præterea enim actio est effusio similitudinis in patiens; passioque eiusdem receptio. Eóque cum similitudo iam impressa est, cessat actio, passióque. Igitur cum non cesset pulsatio in prædictis organis, non erit radicaliter saltem actio, ergo non editur ab agente causa, sed operante opus, quod sibi est vita, sicuti Sol semper se mouet: cui si aliquid affigatur, & illi communicabitur motus, qui in Sole est actio & operatio: in affixo verò corpore esset passio.

Pulsum vitalem motum actumque spiritus esse vitalis, ipsoque abeunte perdi pulsum, & mox putrescere corpus, ex similitudine molendini.

3 Cor ergo, & cerebrum, & arteriæ, & pulmo patiuntur, non agunt, ab aliqua causa, cuius vita est perennis motus. Ista autem causa est spiritus, natura cælestis igneusque, cuius est semper moueri, sicut forsan telluris quiescere: ac si motu priuetur, perit. Cor autem & pulmo, & arteria cerebrúmque, manent, cessante motu, donec ab aliis causis putrescant, & corrumpantur. Ergo non actus ipsorum iste motus, sed passio cōseruatiua. Et quemadmodum abeunte habitatore, & rectore molendini, cessat actus, motusque eius, molendinumque videtur esse cadauer, & facilè putret dissoluiturque: sic corpus abeunte spiritu cessat vitalis pulsatio, & putrescit.

Nec temperiem viscerum esse primam, vt putat Gal. in lib. de placit. nec enim immota mouere, & stupida res sentire, & iners industriose operari queat.

Temperies est forma mistionis stupidorum elementorum, non res diuina, qualis anima.

4 Quapropter, sicut probatum est in Physicis, temperies cerebri non dat motum neruis, neque sibi; sed spiritus natura mobilis inambulans per neruos & in cerebro habitans, vtrumque facit: neque cordis temperies est anima, quæ cordi, & arteriis det motum, vt videtur Galeno, sed recipit motum à re mobili viuente: nec temperies iecoris est anima vegetalis, sed organi forma: anima autem spiritus est, vtens iecore. Stupidi hominis est, vel præstigiis capti, dare temperiei diuinam quandam entitatem, quæ est anima: cum temperies sit modus mistionis elementorum, & stupida, immotáque res: vnde nec sensum, nec motum arbitrarium & solertem, quibus Galeno, & Aristot. elementa carent, participare, aut acquirere queat, nisi à causa diuiniori iterum dotetur.

Spiritus vitalis natura mobilis, tenuis, calidus, sensitiuus, appetitiuus, potestatiuus

5 Spiritus vitæ mouet quatenus est calidus, mouet se quatenus tenuis: non enim crassa entia agitari quorsumlibet tam citò possunt: mouet res alias corpulentas, dum proprium motum illis communicat. Hic est spiritus vitæ, & motabilis dictus à Moyse, teste S. Ambr. & quia mouet prout appetit, & quomodo opus est: ergo appetitiui principij, & cognoscitiui est particeps: & quia hoc habet, quia potest habere; & facit, quia potest facere, ergo & potestatiui particeps est: ergo à prima potētia, prima sapiētia, & primo amore

amore habet, vt sit,& operetur:sicuti omnia entia à Deo sapiēte, potente,amante,& operante,sunt,& operātur,vt docet S. Thom. & nos in Metaphys. abunde. Quapropter infæliciter Medici, & Philosophi omnes, exclusa prima causa ,philosophantur:nec dū rationē reddere potuerūt,qua animal mouet se,& cor,& arterias.

è primi entis partic.pio. Idem Aug. Greg Nyss. Lact. Athan. Bas.Thom. & omnes Patres de spiritu vita loquentes.

Vnde alij facultates occultas his elementis, necunde organis alligarunt, quæ ex elementis prouenire non possunt. Aristoteles cum animam totam in corde posuisset,tamen cor dilatari ebullitione sanguinis ritu aquæ in caldario feruentis,constringíque instante frigore aëris putauit: quem motum & arteriæ coniunctæ sequantur. At rem tam necessariam, summa arte fabricatā, executámque accidentario, stupidóque euentui committens,vanus est Democritus, & Medici veteres aëri intranti, qui implendo dilatat, & dum expellitur decidentibus organis compressionem, ne fiat vacuum post se relinquit:cum tamen apertum sit motum pulmonis,& cordis in diastole,& systole inuicem non correspondere, neque abeunte anima, saluis corde,& pulmone,fieri hosce motus. Alij aliud commenti sunt:& omnes concludunt, quia replentur,dilatari ; & quia exinaniuntur, comprimi, cum veritas è contra se habeat.

Coroll in Philosophos athcos. Gal lib. de placit. & de puls. Arist. lib. de republica quam ruditer de pulsu philosophantur. Confutatio. Hierophon. Archius. Erasistrat. apud Gal. Confutatio.

6 Experimur enim pulmonem non dilatari,nisi velimus,posséque eius sisti motum imperio voluntatis: quia tamen sequitur iactura in spiritibus,non diu. Pulsus quoque immutari mille modis, vt Medici confitentur, non modò ab intemperie, & obstructione,quæ organi præstant impedimentum:sed ab amore,anxietate, cogitatione, timore : omnibusque passionibus cognoscentis animæ;vt palam sit non à stupida facultate,sed bene cognoscente fieri: neque enim vita committenda erat insanæ temperiei.

Opinio. Confutatur. Ratio prima. Pulsus mutatur pene affectibus animasticis.

7 Profectò neque si vis incorporea à corde per arterias,& à cerebro per venas curreret, obstructione fieret immobilitas:neque de luce Solis ratio obiectam nubem non transeuntis, Galeno valet: lux enim non est animastica res, contrario carens, & penetrans omnia ; sed opacitati obuiæ inimica. Penetrat tamen omnia solida non opaca. At facultas illa Galenica si quasi lux est, aiunt, non transibit per neruos opacos, durosque : quos si penetrat, penetrabit & humorem aqueum transpicuiorem ; quo perfusus neruus obstruitur. Vt satis pateat corporeum spiritum mouere neruos, & arterias, cui transitus obstrui possit: poros autem neruis inesse in Phys. quæst. probauimus.

Occurrit Galeno.

At quo-

Quæst. cur æquè simul omnes arteriæ pulsant. R. negatur assumptum.

8 At quomodo tam subito, ac simul omnes arteriæ, & æqualiter? Nego, etiam ipsorum testimonio, alioquin non darentur pulsus myuri, & inæquales collectitij, & sensus Medicorum falleretur, cum aliter in aliis arteriis motus fieri probet. Spiritus continuatus est per omnes arterias, & sibi cōsimillimus, ita quod subitò motus communicatur conspiratione naturali, sicuti mota parte vna chordæ tota mouetur & celerius. Sed profecto pro exigentia aliter alibi fit pulsatio, vt mox comperiemus, & prout affectus est spiritus, & organa.

b Quæst. cur ad voluntatis imperium non sistitur pulsus, si fiat ab anima sentiente. Respons.

9 Sed cur ad voluntatis imperium non sistitur motus pulsationis, sicuti tibiarum, & pulmonis? Quoniam non possumus velle voluntate innata, neque possumus non cogitare, aut non velle, aut non posse. Sic neque velle non viuere. At cum motus sit vita spiritus, & pulsus sit vitæ refectio, vt mox ostendemus: non possumus imperare ne fiat: cum præsertim instrumenta immota nec obediant nisi motori soluto, separatóque. Respirationem in modico sistimus, quoniam non est ita necessaria ad vitam immediatè, atque pulsatio: quæ per modum naturæ ob id potius exercetur, vt ait S. Thomas, etiam ab anima.

De vsu pulsationis, & partium eius in corde, & arteriis. Item de modo, & causis, & ortu ex capite, & concausis, varietate, & instrumentis, & actiuo principio.

Artic. II.

Vita animalis est mortalis, & mors vitalis: cui usui destinatur pulsus ad refectionem: respiratio ad retentionem.

Respirationis usus.

1 QVoniam vita animalis mortalis est, constituitur ex vita, & morte, sicuti lux lucernæ, & fons, cuius alia pars effluit, alia succedit incessanter: idcirco præcisis venis, & oleo desinente, perit fons, & lucernæ igniculus: sic & spiritus, qui corpus inhabitat seruátque in vita, ipse viuens continuò elabitur ad suam vniuersitatem, sicuti aqua fontis ad mare, & ignis candelæ in cælum: oportet ergo illum continuo refici, ne opificium animale destruatur. Itémque retineri, ne elabatur. Vtrumque autem præstat respiratio, & pulsatio sibi analoga. Aër enim per pulmonem in cor illabens de propria substantia spiritum reficit, ac simul cordis calorem introagit, retinétque ne elabatur: sed in sanguinem intrusus vertat illum in spiritus. Non secus ac follis in ignem sufflando calorem sponte ad cognatum cælum elabentem intra carbones cogit ita, vt in flammas spiritales eos vertat,

vertat, ac nutriatur, & viuat in officina ferraria ad opus ferrarij. Similiter opifex summus in animalium opificio tale excogitauit artificium.

Quapropter præstigiis priscorum capti putarunt aërem vtilem esse ad refrigerandum calorem, ne auctus opificium destruat. Non enim ita imprudens rerum opifex fuit, nec natura, & artificij apparatus concedunt, calorem tam grandem insertum in animali, qui continua refrigeratione, & minutione opus habeat, præsertim in loco non suo, sed detentione, & augmento, ne elabatur ad suum, nec deficiat.

Quod aër non spiratur ad refrigerandum calorem.

Similiter neque cor dilatatur ad capiendum refrigerium, quasi indigens aëris frigore, & non ipso aëre, vt Galenus aliquando fingit, & multò peius Aristoteles: qui & à cerebro aliam illi refrigerationem præstat: sed ad recipiendum ex vena caua sanguinem ad sui, & spirituum nutrimentum, & per arteriam venalem ex pulmone aërem, qui mistus sanguini spiritum efficiat, caloremque in sanguinem intrudat; ex eius crassa cor, ex tenui spiritus nutriuntur. Hoc autem facit spiritus fibras rectas dilatando, & longas contrahendo; obliquis enim tenet. Comprimitur enim, vt sanguinem ex dextro ventriculo per venam arterialem ad sui nutrimentum benefactoris immittat, impellatque, & simul spiritus arteriis, & sanguinem impertiat, & fuliginosas sanguinis partes expellat simul in pulmonem foras. Propterea in dilatatione clauduntur ostiola arteriarum, & venæ arterialis: aperiuntur verò ostiola venæ cauæ, & arteriæ venalis. In compressione vero clauduntur. At valuulæ venæ arterialis, & arteriæ magnæ, vt trahant à corde, aperiuntur, vt videtur Auicennæ; quod Galenistæ negant, volentes cor eodem tempore cum arteriis dilatari, & eodem comprimi, quoniam in viuorum sectione id deprehenditur. At quomodo potest in arterias aliquid cor immittere, si & ipsæ non trahunt dilatatione, sed comprimuntur & expelluntur? Respondent: suscipiunt, non trahunt; & quamuis valuule clausæ sint; per rimulas, & poros suscipiunt tenuem sanguinem, & spiritum, quem mox dilatatione in se expandunt, cum cor dilatatur.

Vsus dilatationis, & constrictionis cordis.

Controuersia inter Arist. & Gal.

At ista sententia dura. Verum si experientia suffragatur, dicendum quod arteriæ dilatantur vna cum corde, vt simul suscipiant aërem, & influentem sanguinem ex cordis abbreuiatione exuberantem: cum verò comprimuntur, parum, aut nihil recipiunt:

neque enim fingi poteſt,quod potius ianuis clauſis,quàm apertis, & cum expellunt quàm cum trahunt,recipiunt. Forte nec oportuit eas comprimi cum cor dilatatur,ne forte quod in cor egerunt aëris, multitudinis attractioni incommodaret.

2 Arteriæ verò cum dilatantur recipiunt aërem ſubſequentem vacuitatem, & ſanguinem, ac ſimul ſpiritum ventilant, augentque, & calorem, & fibras aperiunt, per quas fuligines, & excrementa eiiciunt:cum vero comprimuntur,eaſdem fuligines foras egerunt, compreſſione fortiori, & ſpiritum, & ſanguinem venis adnatis ſuum impartiuntur attenuatum,vt foueatur,& digeratur ſanguis venarum,& ſpiritus in eis fiat,& craſſities ad nutritionem ipſarum, & carnis difformiter elaboretur.

Septem vtilitates dilatationis. Quapropter dilatationis vſus eſt multiplex:videlicet attractio ſanguinis,aëris ex corde per orificia. Secunda,à venis per fibras. Tertia, ex aëre circumfuſo per eas, quæ corio adhærent arteriales fibrarum rimulæ,tunc laxatæ. Quarta, ventilatio inexiſtentis ſpiritus. Quinta, accretio. Sexta, fuliginum im͞pactio ad rimulas aliorumque excrementorum. Septima,calefactio adnatarum partium.

Compreſſion. vtilitas quid,& quotuplex. Compreſſio vero præſtat. Primò fuliginum expreſſionem.Secundò,impactionem caloris.Tertiò,& ſpiritus.Quartò,& ſanguinis ſpiritalis erga venas. Quintò,& adnatas partes.

Vtilitas communis vtriuſque. Ab vtriſque fit attenuatio ſanguinis,dum comprimitur,& dilatatur,extenditur, contrectatur, perficitur. Vnde ſpiritus nutriuntur.

Concluſio contra Galenum. Quapropter inualida eſt aſſertio,quod tota ſumma reſpirationis & pulſus ſit refrigeratio caloris natiui, cum potius ſit defenſio, accenſióque caloris natiui, & multiplicatio, & viuificatio. Omnis enim res propria operatione ſeruatur. Cætera vero ex hoc ſequuntur. Vt enim poſſit ſufficere ſibi ſpiritus, & omnibus partibus fouendis, & gubernandis, neceſſe fuit plurimum inceſſanter fieri, & ſub aëre calido, & ſub frigido, & in arteriis ab aëre diſtantibus.

Cauſa efficiens, & adiuuans motus cordis & arteriarum. 3 Ergo motus arteriarum, & cordis, ſunt à vacui inſecutione, & ſanguinis, & aëris influxu, tanquam à cauſa iuuante, non per ſe mouente:ſed à ſpiritu tanquam à per ſe mouente inſtrumenta tam aptè ſibi fabricata.

Ex capite oritur pulſus. Ratio 1. Ergo quia caput eſt ſedes ſpirituum princeps, & oſſium, & neruorum, & arteriarum, & venarum origo: omniúmque albarum,

rum, & exanguium partium; vt tenetur etiam Galenus fateri si stat in his, quæ in libro de semine scripsit, vt in nostris quæstionibus ostendimus: erit etiam origo omnium motuum: ergo & pulsus. Vnde Galeno cerebrum pulsare videtur, sed non ad rhythmum cordis, non quia alia animæ substantia mouet cor, alia cerebrum, vt ipsi putant; sed quoniam in corde sanguinis elaboratio, & officina spirituum exercetur, & alio mouendi modo opus habet. In cerebro verò spiritus animalis aëre nutritur ex sanguine arteriali in retiformi communicata à corde sua officina. Et propterea alium motum habet, cum sanguinem iam elaboratum quasi ex culina suscepret: & motus cerebri est rarior, quoniam spiritus mouetur absque mechanico opere, vel minori atque in corde: maiori autem, quatenus motus est suus actus vitalis: ergo bene commisimus mobili agenti motum, & alium in aliis officinis pro necessitate.

Cur aliter pulsat cerebrum atque cor.

Ipsi quoque Medici fatentur aliquando celerius cor, aliquando celerius arteriam pulsare, quod posita altera ad cor manu, altera ad arteriam probant.

Et cum Galenus contra Pelopem, & S. Ioannem Chrysost. disputat non oriri ex capite arterias, earúmque motus: quoniam filo arteria intercepta non pulsat, qua in caput respicit, & crassiores sunt in corde arteriæ, quàm in capite. Nos respondimus in quæstionibus Phys. abundè: arteria enim aspera grossior in capite, cæteræ in corde, vbi immissæ dilatantur ad sanguinis susceptionem, sicuti fluuij dilatantur vbi aliis miscentur magis, quàm in sua origine.

Primũ argu. pro Galeno.

Respons. ad 1.

Arteria autem non pulsat filo intercepta, quoniam spiritus à spiritu, & sanguine, quo in cor continuabatur, diuiditur, & refugit ad cerebrum suam sedem: non quia à facultate cordis incorporea, à qua diuidi non potest. Spiritus autem influentis sanguinis gratia pulsat vt dictum est. Sunt ergo pulsus ab arteriis, & corde instrumentaliter, à sanguine occasionaliter, & sine quo non: à spiritu actiuè: & in spiritu operatiuè.

Respons. ad 2.

Ratio de calamo in arteriam immisso, per quem transit spiritus, non tamen pulsat infra ligaturam, vnde in tunicis facultatem communicari à corde opinatur Galenus; non conuincit: spiritus enim per vas non suum transiens cessat ab opere, quod per vas exequebatur rei nouitate, & dissidio perculsus.

Respons. ad 3.

At quidem & in fibris spiritum implantatum, & in toto cor-

pore putamus, sed vinculatum; sicut remiges in triremi: cum verò, qui perambulat arterias, neruósque, solutum; sicuti nautæ, & milites in eadem triremi: esse tamen consensum in omnibus.

Iterum probatur quòd pulsus ex capite oritur. 2. & 3.

Præterea à capite oriri vim motiuam pulmonis, & arteriarum ipsemet Galenus probat: dum animalia in sacrificiis mactata exempto corde vociferari testatur, & Telesius Romani viri in anatome visum esse cor incineratum; quod longè ante articulum mortis ita affectum fuisse oportet, viuente homine.

Item in epilepsia, apoplexia, cæterísque capitis morbis, statim pulsus minuitur, & immutatur.

Item in speculatione, cogitatione, mœrore, amore, cæterísque animalis spiritus cerebrum habitantis affectionibus statim immutari percipimus: vt dubium non sit à capite ortum ducere vim pulsatilem, sicuti & arterias.

Opinio Galen. de discrepantia motus cerebri, & arteriarum non probatur.

4 Cum ergo Galenus caput rariores edere pulsus credit atque cor, & dilatatione expellere, compressionéque attrahere: arterias è contra dilatatione attrahere, compressioneque expellere: non satis introspexisse etiam suis asseclis videtur; cum alij aliter opinentur, variumque Galenum in hoc inueniant.

Commoditas nostri dogmatis.

Nos autem vtrumque acceptamus absque positionis incommodo: spiritus enim natura mobilis semper seipsum mouet vbique, vti Sol: at in cerebro aliter motum hunc communicat, aliter in corde, aliter in pulmone, prout opus esse sentit, & instrumenta ferunt, & sanguinis admistio, aliarumque rerum.

Ratio varietatis pulsationum in vasis variis.

In cerebro rarior motus, quia agit in tenuem aërem, & sanguinem attenuatum in pulmone, prout est opus arbitrariè: in corde celerius, & fortius vrgente necessitate attractionis sanguinis, & aëris, & accendendi calorem, & reficiendi sese. In arteriis similiter, prout vsus influentis aëris & sanguinis postulat. Sed dilatatione in arteriis exprimere fuligines, nedum in capite, & nos ostendimus. Si enim per intermedias fibras eiiciendæ sunt, cum in cõpressione potius stringantur, non est ratio, qua eiici sic possunt; sed in dilatatione, quando aperiuntur. Sed quoniam tunc nimis solummodo impingũtur, quod cœpit dilatatio, perficit compressio; sic enim stercora aperiendo prius anum, deinde exprimendo per compressionem eiicimus: & omnis emissio fit dilatatione prius ad intra, & expressione postmodum ad extra.

De expressione fuliginum incipiente ex dilatatione, & perfecta in compressione.

A corde ergo habent occasionem arteriæ & materiam, in quam

sic

sic pulsent: vt autem pulsent simpliciter, habent à vi motiua spiritus cerebrum inhabitantis, & ad inferiores officinas sese effundentis, & sic operantis, prout opus est ad varios vitæ actus, & instrumentorum fabricatio fert, & ratio.

5 Illud autem restat reprobandum, quod Medicorum quidam aiũt, in pulsibus ex affectionibus animalis varietates euenire post consensum à corde, non per essentiam: at si cor non sentit Galeno *in lib. de placit.* quomodo consentit? ergo nec condolebit non dolens, nec congaudebit non gaudens, considerabit considerans, quæ assertio contradictionem implicat. *Dogma Medicorũ, quod in affectibus sensitiua pulsus variatur non per se, sed ex consensu, reprobatur.*

Præterea cum cor intentum suo labori assiduo, sicut ferrarius, aut molendinarius, aut aliquis operosus artifex, non poterit statim ac spiritus in capite aliquid timet, aut contemplatur, aut cogitat absque magna concussione facta in neruulis à capite in cor deductis, affici, & pulsum mutare in arteriis, quemadmodũ experimur. Intus enim maius prohibet extraneum minusque. Non enim coquus dũ herus contẽplatur aliquid in cubiculo, aut loquitur, eius affici sermone potest, & loquela præsertim mentali. Natura autem, vt Plato, eumque secutus Galenus ait, separauit collo à capite cor, & sequestrauit in pericardion, ne eius negotiatio capitis animæ incommodaret, sicuti cordi ne mens. Quamobrem fateantur vim motiuam à capite oportet.

Præterea hoc neminem non cogat, quod læso cerebro, aut spiritu, statim mutatur pulsus, non autem semper læso corde, vt infra testantur Medici: ergo spiritus per absentiam à corde pulsus est, & cordis ex consensu.

6 Vtrum autem motus hi sint propter quietes, disputant temere. Cum enim natura spiritus sit mobilis, illæ quietes, quæ in systole, & diastole fiunt modicæ, aut nullæ aliquando; non sunt spiritus gratia, sed instrumentorum, & nutritionis, & vt detur tempus expulsioni, & attractorum complexui. *Nec motus arter. est propter quietes, nec quietes gratia spiritus, sed instrumentorum.*

7 Quæritur etiam, an tẽpus idem sit dilatationis, & constrictionis. Puto responderi minime posse: sed pro vsu variari. Spiritui melior dilatatio, quæ est simul quædam fruitio: sed suæ refectioni æquè bona, sed fortè melior constrictio: si enim sanguis non comprimitur, vicissim non attenuatur. Sed hæc infra patebunt cum cæteris vsibus supra declaratis. *An idem sit tempus dilat. & constrictionis.*

8 Præsupponimus tandem eosdem spiritus esse animales, vitales, & naturales, vt in Phys. probauimus, sed in diuersis officinis *Idem est spiritus animalis, &*

vitalis, & naturalis.

diuersa officia sortiri, sicut eadem in domo mulier est textrix, & coqua, & cubicularia, & ianitrix: vel sicuti remiges, & milites, & nautæ in triremi, eiusdem sunt naturæ. Manifestum est enim quoniam sensu, & appetitu benè cognoscente fiunt concoctiones, sequestrationes, seminationes, pulsationes, motúsque alij, vt in suo loco probauimus, & in Apologia contra Galenistas, omnesque partes albas, & exangues à cerebro originem habere. Item solem esse ignis fontem, nec dari calorem cælestem ab elementari diuersum, nec ab animali natiuo, nec ab influente, vt Medici imperiti faciunt: sed omnes calores conuenire in essentia, differre subiectis, & subiectorum dispositionibus, vt in Phys. probatum est: & omnes calores etiam cœlestes destruere animal, si eius symmetriam excedunt: seruare, si commensurantur.

Calor ingens solaris, animalis, natiuus, & influens eiusdem essentia

Plures esse vtilitates dilatationis, & compressionis, quàm Medicis ponuntur: nec potiores esse, quæ ipsis videntur potiores, sed è contra.

ARTIC. III.

Tres vtilitates dilatationis pulsus apud Medicos.

1 QVoniam igitur pulsus pulsantis spiritus vim, & negotiationem annunciat, ac simul instrumentorum modum & qualitatem, differentiæ pulsuum considerandæ sunt, vt de vita præsagire possimus, & differentiarum causas, & significationes. Ex his enim etiam amplius elucescet, an fiant pulsus quemadmodum nobis, an quemadmodum Medicis fieri videntur.

Constrictionis vna, vel dua.

2 Posuerunt Medici tres esse vtilitates dilatationis: videlicet refrigerationem, quæ omnium maxima: ventilationem, quæ magna: & attractionem aëris ad generandos spiritus, quæ infima. Constrictionis verò vnicam, fuliginum expulsionem: addunt tamen alij sanguinis, & spiritus communicationem.

Sex dilatationis in nostro dogmate.

Nos autem diximus sex esse vtilitates dilatationis. Primò, spirituum conseruationem in suo esse. Secundò, eorum generationem ex sanguine & aëre. Tertiò, attractionem sanguinis, & aëris à corde, & ab ambiente aëre, & à venis adnatis. Quartò, apertionem fibrarum, vt excrementa expurgentur, & spirituosus sanguis communicetur. Quintò, calefactionem adnatarum partium ex calore, & motu pulsantis. Sextò, auxilium cordi vicarium, dum spiritus, aut respiratio illi deest, aut aliquid mali in eo continetur,

At quoniam ſpiritus conſtat ex calore, tenuitate, luciditate, & participio primalitatum, quæ ſunt ſenſus, poteſtas, appetitúſque, dilatatio his omnibus prodeſt. Calor enim dilatatione creſcit, & viuificatur: tenuitas rareſit, & perficitur, & exoneratur: lux purificatur, quoniam volitantes fuligines & ſordes ſeparantur, nec ſpiritum fœdant. Senſus, & motus, & appetitus, & vis meliorantur ex augmento, & purificatione, & dictis cauſis per accidens; melior enim ſenſus in tenui, quam in craſſo.

Tota ſpiritus natura, & prouincia, & vires quomodo pulſu perficiantur.

Quapropter diminuta eſt poſitio Medicorum de vſibus, & naturæ inſuper aduerſa. Non enim refrigerari appetit calidus ſpiritus, ſed calore augeri, & per dilatationem augetur copia caloris: robur tamen expanditur, ita vt non poſſit fibras vrere, & adnatas partes: nec ipſe extingui ſuffocatione: manifeſtum eſt enim quod reſpirant, & pulſant magis in aëre calido, & in balneis. Vnde frigus non captant. Similiter refrigerati ſpiritus plus pulſant, & ſpirant. Item arteriæ profundæ, ad quas aër frigidus non accedit: vt videas refrigerationis vſum, eſſe nullum, nedum non principalem, ſed per dilatationem copiam caloris augeri: per compreſſionem verò robur. Ne enim arteriæ vrantur, & cor, ſanguis, & humiditas ſunt in cauſa, & dilatatio opportuna.

Prima ratio contra refrigerationem.

Dilatatio copiam, conſtrictio robur caloris augent: humiditas ſuccurrit vſtioni, non frigus.

Compreſſionis verò vtilitates non vnam illam dicimus expulſionem excrementorum, cum potius ſit expulſionis perfectio, non expulſio à compreſſione: ſed addimus iure optimo: Secundò augmentum roboris in calore ſpiritus: & Tertiò, iuuamen cordis, in quod penſum aliquod ſoluit. Quartò, expreſſionem ſanguinis, & ſpiritus ad venas, & adnatas partes, quibus abſoluatur earum nutritio, & viuificatio. Quintò, addo attenuationem, quæ enim craſſiuſcula attenuare volumus, comprimimus, & diſſipamus, & confricamus. Hæc autem melius ex differentiis patebunt. Natura ſpiritus eſt circulo moueri, vt & ſolis vnde oritur: ſed in corpore terreno, prout ad vitam neceſſum eſt. In ſe autem non coactus dilatatione, & vnione promit, quod circulo non poteſt.

Quinque vtilitates compreſſionis.

Principia doctrinalia agnoſcendi pulſum in Medico, & ægrotos: & quomodo cognoſcantur partes pulſus, & quoties.

CAPVT III. PARS II. ARTIC. I.

1 PRincipia Medicorum ſunt in dignotione pulſuum: Primo extremæ pulpæ digitorum, quibus arteria in carpo, vel in oculorum

Qui fiat ſenſus pulſationis ex diffe-

rentiis dilatationis in pulpa digitorum.

oculorum angulis, vel vbicunque apparentes sunt: maximè autem si prominent extra carnem, vt mihi in dextro tempore; sentiunt non solum ictum arteriæ, sed etiam dilatationem in longum, & latum, & situ: quod & oculis cernere est, nedum attactu.

Qui constrictionis.

Secundò, contractio sentitur etiam ex recessu arteriæ intrantis in ventriculos digitorum, & tempore quousque reuertatur ad feriendum: nam & pulpæ molles insequuntur, & in reuersione obuiæ fiunt. Vnde in pulsu vehementi & tardo facilior sensatio.

Finis & exordium ratione sensata.

Tertiò, finis contractionis, & initium distentionis non sentitur, nisi ratione, quod palam est: cum enim recesserit non mouet, nec cum accedit, donec tangat.

Qui quietis. An quies inter accessum & recessum.

Quartò, internam quietem in fine contractionis tactus non sentit, quoniam abest tangens: externam sentit, quoniam post ictum non subitò reuertitur absque aliqua morula ad sui contractionem. Arbitror tamen non necessario quietem interponi oportere in fine reuersionis, vt putat Aristoteles; quoniam nec in circulo interponitur: neç circulus est, nisi angulorum sese consequentium ordinata continuitas, vt in Phys.

Applicatio digitorum triplex. Situs manus agri quis. Admonitio.

2 Item applicatio manus ad pulsantem arteriam est ex arte consideranda: alia enim comprimens vsque spatium totum, in quo arteria mouetur: alia suspensa, quæ solum adiacet arteriæ: alia media, quæ vsque ad medium profundatur spatij. Manus quoque, quam tangunt, eleuant, ne sit compressa, nec pensilis, treménsque, nec tensis digitis, & brachio, ne arteria indurescat: nec nimis incuruatis, ne pellis corrugata tollat emersionem: nec moueat se, vel digitos, quia tollit propriam motionem arterialis motionis. Item non sit prona, nec supina: prona enim longitudinem, & latitudinem auget: supina profundiorem, & tardiorem ostendit. Tu verò variabis, prout hoc, aut illud nosse cupis, & sedens, & quietus tange.

Qualitates manus Medici quæ.

3 Oportet Medici manum mollem esse, sensitiuam, gracilem potius quam carnosam, nec à temperamento recedere, alioquin calidum pro frigido, durum pro molli, magnum pro paruo, & è contra, percipiet. Melior autem est qui non robustis viribus, nec obtusa carne, mercurialis, venereúsque est. Caue à saturnino, & martiali: ex sua enim intemperie prauè iudicat. Item à lunari, & phlegmatico; quoniam stupido sensu vix percipit grauiores affectus. Melior est qui ad debilitatem vergit, quàm qui ad robur, ad percipiendum pulsuum differentias.

Differen

Differentias pulsuum non modò sex, quæ Medicis ponuntur, sed vsque nouem, & plures numerari, nec inutiliter: & quid indicent summatim singulæ in nostro dogmate.

ARTIC. II.

1 PVlsus differentiæ simplices sex sūt apud Galeni sectatores, videlicet magnus, celer, creber, vehemens, durus: quibus respondent oppositæ, paruus, tardus, rarus, debilis, mollis: & intermedij mediocres dicuntur: accipiuntque eas, primam à quantitate: secundam à qualitate motus, vt aiunt: tertiam à qualitate temporis quietis: quartam à qualitate virtutis mouentis: quintam ab instrumento: sed Auicenna, non immeritò, addit plenum, & vacuum, nam & Galenistæ turgentem, & strepentem agnoscunt; ergo & plenum, & vacuum. Et hoc necessarium Medicis pro humorum, & sanguinis copia inuestiganda. Et licet plerumque difficilè; cum potest, præsertim in gracilibus, non est spernendus, vt in mea arteria extante. *Sex differentia pulsus ex Galeno.* *Additur sexta prima Auicennæ.*

Addere oportet calidum, & frigidum; quæ licet differentiæ motus non sint, sunt tamen mouentis. Spiritus enim ardens in febribus plerumque biliosis pulsum quasi fili ferrei igniti, & adurentis cutem. Vnde lauari aliquando frigida coactus sum. Spiritus enim, qui per fibras efflat, se talem ostendit, & tales reddit arterias. In ephemeris vero, & phlegmaticis febribus non ardet pulsus: sed blandus, tepidúsque est humidusque, quasi fouens tangentem. Quapropter & humidum, & siccum addere oportet ad notiones. Et licet hoc in omni parte experiri possimus: tamen in pulsu magis cum spiritus exhalat in distentione, suámque passionem notificet, oportet. Et profectò magis ad pulsum pertinet hæc, quàm durities, & mollities, quæ est solius arteriæ; licet & hæ necessariæ. *Cur additur octaua.* *Cur nona.*

2 Profectò spiritus robur nos à vehementia cognoscimus; copiam à magnitudine; actiuitatem à celeritate, seu à tempore motus: sollicitudinem à crebritate, hoc est à numero motionum: affectionem à calore: humorum abundantiam à plenitudine: arteriæ dispositionem à duritie: qualitatem humorum passiuam ab humiditate, & siccitate, quæ in tactu relinquitur, non quæ ab arteria sentitur. Sic & ab oppositis, vt infra. Vtinam agnoscere possemus etiam, purus ne sit spiritus, an fuliginosus; lucidus, an *Quid qualibet differentia indicat.* *Quid desideratur in indiciis.*

obſcurus;craſſus, an tenuis,ex pulſu!Sed tamen diſcurſu ex pulſu etiam iſta cognoſci,vel inuitis Medicis oſtendemus.

De pulſuum mediocritatibus in ſanis, & in ægrotis ſimpliciter, & ſecundum vnumquemque hominem, & de ſpeciebus varietatis à diuerſis ſpeciebus, & cauſis partialibus: vnde notitia locupletatur omnis pulſationis.

ARTIC. III.

Mediocritates pulſuum Medicis innominatæ.

1 INter prædictas pulſuum differentias mediant mediocritates. Non enim dicimus magnum, & paruum abſolute ad omnia mediocria, ſed ad pulſum humanum, qui eſt idea aliorum, ad cuius acceſſum, & receſſum cæteri menſurantur. Mediocritas denominata eſt Medicis, ſed doctrinæ cauſa. Qui eſt inter vehementem, & debilem, vocetur fortis: inter magnum, & paruum, adæquatus: inter celerem, & tardum, tempeſtiuus; fit enim vt congruit tempori: inter crebrum, & rarum, numeroſus, vt congruit numero mutuato ex carminibus. Inter calidum, & frigidum, tepidus: inter durum, & mollem, lentus: inter madidum, & aridum, vaporoſus. Inter vacuum, & turgidum, coæquatus, ſeu plenus: quoniam cauitati arteriæ coæquantur ſpiritus, ſanguíſque interius.

Idea pulſus vnde percipienda.

2 Sed quoniam idea pulſus mediocris eſt ignota, ab eo conſideranda eſt, qui inter homines temperatiſſimus eſt, & ſaniſſimus. Is enim habebit has omnes mediocritates. Quapropter Galenus Platonicus non ineptè iubet Medicis exquirendum talem hominem aſſueſcendúmque in tactu pulſus illius; vt ex acceſſu, & receſſu ab eius metro, poſſint de aliorum temperatura, & pulſus differentiis dignoſcere:hócque præcipuè in ſanis.

Conſultatio ad pulſus diſcretionem.

3 Verum cum non omnibus ſit eadem pulſus regula, cum ægrotauerint non eſt de pulſu ægrotorum iudicandum ex menſura illius temperatiſſimi tantum, quo videamus quantum à ſanitate diſtent: ſed ab ea menſura, quam dum ſani ſunt, ipſi habent. Idcircò expedit eorum, quorum curam gerunt, pulſum ſanitatis tempore experiri. At quia hoc non ita poſſibile eſt, ex communibus iudicare licebit per experimenta antiquiſſima nobis: ſi quæ enim enormitates pulſuum communibus non comprehenſæ

prehensæ occurrunt, fallunt quidem Medicum, qui soli pulsui innititur, non autem alia signa prospicientem.

Appendix.

COmmunitatum variarum hos habemus à veteribus de pulsibus aphorismos, cum additionibus nostri dogmatis.

A Sexu.

1 VIri mulieribus habent vt plurimum pulsus multo maiores, multo vehementiores: paulo autem tardiores, & rariores. Potest addi duriores, calidiores, paulóque arentiores, vt postea ostendemus.

A Temperamento.

2 CAlido præditi temperamento pulsum habent multo maiorem, crebriorem, calidiorem, arentiorem; non autem vehementiorem. Sicci graciléſque addunt maiorem, multo rariorem, paulò vehementiorem, durum. Adde ardentem.

Ab Ætatibus.

3 PVerorum pulsus magnus, celerrimus, creberrimus: medius, idest fortis. Adde vaporosus, tepens, & plenus.

Iuuenum maximus, vehementissimus. Adde tempestiuus, numerosus, mordax, vaporosus, coadæquatus.

Senum minimus, tardissimus, rarissimus, debilissimus cum rhythmi inæqualitate. Adde arens, mordax, durus, vacuus.

Ab Anni temporibus.

4 VEre medio, in omnibus generibus pulsus sunt moderati, idest, æquati, tempestiui, numerosi.

Æstate parui, celeres, crebri, languidi. Adde arentes, calidi, vacui.

Autumno diuersi, inæquales, languidi. Adde vacui.

Hyeme parui, tardi, rari, languidi. Adde pleni, humidi, & verius magni.

In principiis, & mediis horum temporum mediant hi pulsus, extremorum naturam participando.

Item in regione frigida similes sunt hibernis: in calida æstiuis: in temperata vernalibus; in sicca autumnalibus.

A Quiete, & exercitio.

5 Somnus, dum incipit, minores, tardiores, rariores, debiliores facit pulsus. Adde frigidiores, inaniores, & constrictiores.

In processu confecto iam alimento, maiores, tardiores, rariores, vehementiores. Adde calidiores, pleniores, dilatatiores.

Quod si plus satis perseueret somnus, iterum in debilitatem, & paruitatem recidunt: retinent tamen tarditatem, & raritatem. Adde quoniam somnus ægritudinalis, & spiritus pugnat intus.

Qui ex somno expergiscuntur, subito pulsus habent magnos, celeres, crebros, vehementes cum quadam vibratione: sed mox ad mediocritatem redeunt.

Exercitia à principio si moderata sunt, faciunt pulsus magnos, celeres, crebros, vehementes. Adde madidos, calidos, plenos. Multa, quæ vires excedunt, faciunt paruos, celeres, creberrimos, debiles. Adde vacuos, aridos. Supra modum autem immodica, paruos valdè, tardos, raros, debiles. Adde vacuos, aridos.

Si autem ad resolutionem facultatis peruentum sit, fiunt illi, qui proprij sunt virtutis resolutæ, idest deficientes, vermiculantes, formicantes, de quibus infra.

A Balneorum vsu.

6 Balnea calida, moderata, pulsus faciunt magnos, celeres, crebros, vehementes. Adde tepentes, roscidos.

Immodica paruos, celeres, crebros, debiles.

Immodicissima, tardos, creberrimos, debiles.

Balnea frigida tardos, paruos, raros, debiliores: Aut magnos, moderatos, vehementes, idest: tempestiuos, numerosos, fortes. Hoc cum non penetrat nimis.

A Cibo, & inedia.

7 Cibus copiosus aggrauans facultatem, facit inæquales pulsus, & inordinatos.

Moderatus verò magnos, celeres, crebros, vehementes.

Parcus sicut moderatus, sed paulo minus, nec diu.

A Vino.

8 VInum, & ceruisia idem facit, quod cibus in pulsuum mutatione: sed citius, & minus durabiliter. Plus etiam celeritatem auget, & magnitudinem, quàm vehementiam, & crebritatem.

A Passionibus animi.

9 IRa facit altum, magnum, crebrum, celerem, vehementem. Adde; spes altum, non tamen vehementem: lætitia magnum, tardum, rarum, moderatum, idest, fortem.

Tristitia paruum, tardum, rarum, languidum.

Timor recens celerem, inordinatum, inæqualem.

Timor inueteratus, qualem tristitia.

Amor inæquales anonymos, & inordinatos.

Coitus moderatus magnos, tempestiuos, numerosos, vehementes.

Immodicus paruos, celeres, crebros, languidos.

Immodicissimus paruos, tardos, crebros, debiles.

10 Hæc habemus à Medicis ante, & post Galenum, de pulsuum obseruationibus; quibus & nonnulla addi oportuit, multaque addenda restant in sequent. At alias causas dant Medici: nos alias, quod docebimus, cum, quomodo cognoscendæ sunt hæ differentiæ simplices, & aliæ compositæ, patefactum fuerit.

Ratio cognoscendi sensualiter omnes pulsus differentias, & complendi per discursum quæ minus patent.

ARTIC. IV.

1 VEhemens pulsus cognoscitur ex hoc, quod pulpas digitorum tangentes euertit: debilis, quia euertitur: fortis, quia nec euertit, nec euertitur. Conuenit etiam magno, & tenso, & vibrato, & conuulsiuo, euertere tactum in suspensa manus applicatione, non autem in comprimente reniti, nisi vehementi admisceatur. *De sensatione vehementis, & debilis.*

2 Magnus verò ex hoc quod magnum pulsum in pulpas imprimit, totámque extendit, inflatque arteriam, quamuis paruam, quæ totum locum occupat, in quo mouetur & ipsa. Puerorum pulsus magnus est in arteria parua: senum paruus in magna, quoniam non bene extenditur. *De magno.*

Triplex magnitudo. Magnitudo tamen est triplex secundum longitudinem, & latitudinem arteriæ forinsecus, & latitudinem, ad res adnatas consideratam. Simpliciter enim in circularibus eadem est latitudo, & altitudo. Lõgitudo suspensa applicatione melius cognoscitur; & manu in prona. Altitudo & latitudo, media, & complimente. Sed illa in supina, ista in prona melius. Contingit autem non secundum omnes dimensiones semper magnam esse, sed cum acuminatam figuram se exerens arteria in digitos facit, & angulum pungens paucis partibus: ille pulsus altus, & angustus dicitur. Si autem circulum imprimit, multas partes tangens, latus est, & altus. Si verò depressum circulum, multas partes tangens, sed non ingrediens, latus est, & humilis.

Qui dignoscantur sensu.

Qui ratione. 2 At quoniam carnositas, & humores sæpè impediunt hanc notionem, discursu pernosces. Si enim longo tempore fiat motus arteriæ, præsertim celer; signum est spatium, per quod fertur, esse multum: ergo & pulsum altum, qui solum angustus offerebatur. Si breui tempore præsertim, tardus, paruum fuit spatium, ergo humilis pulsus. Dictum est enim paruum esse, qui non benè inflat arteriam; ergo nec per totum spatium, in quod apta est moueri, fertur. Dedit enim spatium adnatum, quæ vt moueatur etiam, dedit Natura.

De notione celeris, & tardi. 3 Celer pulsus subitò cognoscitur: quoniam dum intrat in pulpam digiti, statim latiorem superficiem in ea fingit, & loculos multos paruo tempore permutat.

Tardus vero, quoniam eosdem loculos pluri tempore peragrat. Facit enim circellos in manu, sicuti lapillus in concham aquæ iniectus.

Tempestiuus, qui medio respectiuè ad hominem temperatissimum, aut ad consuetum tacti motum.

De crebro, raro, & numeroso. 4 Creberrimus motus est, qui quietem nullam inter diastolem & systolem permittit: Celer, qui aliquam. Sentit enim digitus quietem externam sola leui manus applicatione: si enim comprimas, tardatur in digito regressus, & videtur esse quædam quies in vehementibus: in cæteris aboletur, aut impeditur aliqua pars motus.

Rarus autem est, vbi multa quies respectiuè interponitur. Internæ quietis tempus manu insequente contractionem depressa internosces. Si enim diu deseritur ab arteria, quies longa, & raritas contractionis iudicanda: si breuiùs, breuis, & crebritas. Hæc

qui

qui musicas nouit mensuras, & exercitatus est, statim percipit.

Item in multis pulsibus melius, si æquales fuerint: creber enim eodem tempore plures diastoles, quàm rarus, faciet.

Vtilius erit simul tangere manum ægri, & sani duabus manibus, quo facilius.

5 Durus pulsus ex eo quod premit arteria manum, nec cedit tangenti: hoc quod vehemens facit, sed duritiem vt lapis non imprimit, sed vt ventus euertit furens: etenim vehementia à spiritu, durities ab arteriæ corpore. *Duri, & mollis, & lenti.*

Vehemens adiungit sibi magnitudinem, non autem durus: obsistit enim, quominus spiritus spatietur, durities arteriæ: & ipsamet per spatium suum, nisi per vim exorbitet, vt in pulsibus inæqualibus. Gracilitas, & temperamentum, & natura ægritudinis, te discernere edocebit.

Mollis autem pulsus est, vbi arteria cedit tangenti, non quidem ex vacuitate, sed fibrarum mollitie, & flexibilitate. In arteria vocali hoc palam est, cum quis vocem plurimis modulis potest insequente mollitie variare, vt Galli cantores; & acuere, & mollire, & torquere: vbi variare nequit, & asperum edit sonum, duritiei est signum.

Has iam dictas differentias omnes in arteria aspera, & motu respirationis, analogo ad pulsum, nullo negotio experiri possumus, vt patebit, cum iudicium producemus. *Adnotatio.*

6 Aridus pulsus cognoscitur ex eo, quod sola illa digitorum pars, quæ arteriæ acumen tangit, post tactum sentit etiam in se quandam ariditatem, & sui constipationem, & humoris proprij consumptionem: & hoc non à duritie arteriæ, sed à tenuissima emissione, ex arteria elabente, quæ sæpissimè cum ardenti calore copulatur. Sed quoniam aliud est calidum esse, & aridum, separauimus. *Aridi, humidi, vaporosi.*

Madidus verò ex hoc, quod effluit quædam fumositas ex pulsu crassiuscula, quæ copulata digito fit quasi aquea, sicut vapores ex balneis in laquearia impacti: & hic est fœminarum pulsus; ille senum.

Vaporosus est medius: quoniã non madescit, nec arescit tactui, sed quodam blando fouetur spiritu; & talis est puerorum pulsus, si quis vt veritatis amator experiatur. Et quamuis in toto corpore ista differentia, vel ex parte probari possit: tamen in pulsu peculiaris est, & propriam habet indicationem, vt mox ostendemus.

7 Efflu-

Calidi, frigidi, tepidi notio.

7 Effluxiones eædem aliquando ita vrunt digitum, vt duret affectus perniciosus, & quidem pestilens, nisi quis caueat, ex corporibus deprauatis. Et licet in plantis manuum, & pe lum, & axillis Medici experiantur vim caloris: attamen in pulsu peculiaris est: non enim aliæ partes nisi pulsatiles eandem faciunt impressionem; quasi virgula ferri ignita: propterea hic pulsus ardens dici potest.

E contra frigidus, cum nullam caliditatem sentimus, quoniam tactu sano frigidior est, aut minus calens ille, quem tangimus.

Tepens blandè calidus est pulsus, quo delectamur, & fouemur, qualem in viuacibus mulieribus experimur; dátque nobile salutis indicium, & temperamenti.

Vacui, pleni, coæquati.

8 Vacuus pulsus cognoscitur non solum quia magnus, vt possit arteriam implere, & distensiones non complet: quod paruo pulsui datur, & vacuo: sed etiam quendam sonum prementi refert; nec nisi in duriuscula arteria patet, cum quo stat, quod etiam in molli cum flaccescit, reperiatur. Sed Galenistæ non discerni putant, quoniam mollitiei cessationem illam multam dant; nec rectè prorsus: potest enim mollis plena apparere, & vacua, vt patet in recenti vesica.

Plenum pulsum non esse possibilem, nisi & magnus sit secundum trinam dimensionem, dicimus. At vltra hoc habet humorum abundantiorem copiam, quam spirituum; quod tumor durus, non arteria dura pandit, ipsaque corpulentia. Et licet difficilè distinguatur: tamen cum alia signa plethorica contestantur, licebit de tumentia iudicare: neque enim pulsus noti semper certi sunt.

Coæquatus est ille, cuius contenta continenti arteriæ sunt commensurata, quod vix discernes à pulsu æquato, qui inter magnum, & paruum ponitur; nisi ratiocinio.

9 Tenuitas ad altitudinem pulsus pertinet: non enim est aliter seorsum agnoscibilis; licet sit alia res: grossities ad turgentiam; grauitas & leuitas ad vacuũ & turgidum: alia via non innotescit.

In mea arteria, prominenti vt coluber extra carnem temporis sinistri plusquam semicirculo, istæ differentiæ comprehenduntur.

De mistarum differentiarum sensu.

10 Prædictæ differentiæ simplices dicuntur, non quia seorsum esse queant, sed quia considerantur seorsum, & causas habent proprias. Componuntur autem in quolibet pulsu miris modis.

Nam vehemens copulatur cum magno, & calido, & celeri, & pleno, & crebro; non autem cum paruo, & vacuo, & frigido.

Nulla differentia copulatur cum sua contraria in pulsibus æqualibus; nec cum suæ contrariæ familiaribus extremis: non enim magnus cum paruo, & debilissimo. *Quæ non miscentur.*

Partiuntur omnes differentiæ iterum in tres, vt magnus, maior, maximus: debilis, debilior, debilissimus: & sic de cæteris, quæ clara sunt. Innotescunt autem compositi per compositas notiones simplicium, vt dictum est ad sensum. *Distinctio singularis ex quanto.*

11 Præterea fit collatio semper ad ideam contemperatissimi, & ad eundem sanum, & ad anni tempora, ætates, sexus, & passiones. Talis enim pulsus erit magnus in æstate, & in fœmina, qui paruus in vere, & masculo. *Documentum.*

De passionibus formalibus pulsus tribus, & primò de rhythmo, & eius cognoscendi ratione.

CAPVT III. PARS III. ARTIC. I.

1 AMplius in pulsibus tres tanquam relatiuas passiones agnouerunt docti Medici: videlicet, concentum, quem dicunt rhythmum. Secundò, ordinem, & deordinationem. Tertiò, æqualitatem, & inæqualitatem. *Tria accidunt pulsui.*

2 Rhythmus, à Musicis, & Poëtis mutuatum nomen, secundum vocem: sed secundum rem, vt in poëtica probauimus, à Medicis mutuatum Poëtis, Musicisque, cõsonantiam indicat inter diastolem, & systolem. Alij dicunt inter tempus dilatationis ad quietem externam, ad constrictionem, & quietem internam; & quidem cum æqualis est contractio dilatationi, dicitur rhythmus æqualis, & sanorum: cum excedit altera alteram tempore, dicitur inæqualis. Quæ æqualitas potest considerari simpliciter in temperatissimo; & secundum quid in quolibet, & respectu ætatis, temporis, sexus. Consideratur & excessus secundum proportiones Arithmeticas, idest, multiplicem superpartientem, superpartialem, &c. quæ sane comprehendi non possunt in pulsibus, quamuis peritissimo, omnes, sed quam plures. *Quid est rhythmus.* *Triplex opinio.*

3 Propterea Galenus non inter tempora dilatationis, & constrictionis considerat rhythmum, licet insit: sed in celeritate, & tarditate vtriusque; quæ facile cognosci possunt, vt ex dictis patet. Secatque rhythmos; alios constituens æquales, alios *Distinctio rhythmi ex Galeno.*

inæquales: primus enim triplex, videlicet cum dilatatio, & constrictio vtraque celer. Secundus cum vtraque tarda. Tertius cum vtraque tempestiua. Inæqualis autem sexupliciter; videlicet si dilatatio celer, & constrictio tarda. Secundo si tempestiua. Tertiò si dilatatio tarda, constrictio celer. Quartò si tempestiua. Quintò si coniungitur tempestiua dilatatio cum constrictione. Sextò & mox cum celeri.

Conclusio Gal. cum cæteris. 4 Meliores Medici etiam rhythmos priscorum cognosci posse docent, facta collatione temporis dilatationis, ac constrictionis eo modo, quo vtramque cognosci docuimus. Galenum verò hanc commentum, vt faciliorem, quod & verum est: vtraque tamen vtilior ad naturas temperamentorum, & infirmitatum noscendas videbimus: & Musici facillimè vtramque nosse potuerunt.

De ordine, & deordinatione: æqualitate, & inæqualitate: rationes, & diuisiones.

ARTIC. II.

1 ORdo reperitur in pulsu æquali, & inæquali, deordinatio solum in æquali.

Quid æqualis. 2 Dicitur æqualis ille, qui perseuerat in eadem, vel eisdem differentiis, non mutando fortitudinem, neque magnitudinem, neque celeritatem, neque ariditatem, neque, &c.

Inæqualis. 3 Inæqualis simpliciter, qui in his omnibus variat: secundum quid, qui in vna differentia tantum, idest, aut in magnitudine, aut in vehementia, aut &c.

Diuisio inæqualitatis.

EST autem inæqualitas, alia pluralis, alia singularis: illa fit in pluribus pulsationibus: hæc in vna.

De inæqualitate plurali diuisio, & definitio.

ARTIC. III.

1 INæqualitas pluralis alia fit æqualiter, alia inæqualiter.

De myuro seu lunari. 2. Æqualiter fit cum per gradus certos à sua magnitudine, vel celeritate, vel ab alia differentia, recedit: ita vt secundus minor primo, quantum tertius secundo, & quantum quartus tertio, & sic de sequentibus. Aut eodem ordine sit maior, & quidem

dem vnus lunaris decrescens, alter lunaris crescens vocari possunt. Medici vocant myuros, quoniam ad instar caudæ muris, sensim gradatimque imminuuntur & gracilescunt.

3 Lunarium decrescentium, alij deficientes, quando perditur gradus. Alij perseuerantes sunt in paruitate, ad quam deuenerunt: alij reuertuntur ad pristinam magnitudinem, vel celeritatem, siue maiorem, siue æqualem: siue minorem. Vocantur Medicis reciproci. Possunt etiam deficientium alij perseuerantes in abolitione esse; alij reuertentes. *Subdiuisio lunarium.*

4 Lunarium crescentium in conualescentibus notitia clarescit; & ij perseuerant in sua magnitudine: in irritatis verò, & bibentibus cum sedati fuerint fit reuersio; licet Galenistæ nolint agnosci posse; haud tamen natura transit ad extremum, nisi per media; & quidem notiores sunt crescentes decrescentibus. *Declaratio.*

5 Inæqualiter inæquales sunt, quando non gradatim crescunt, aut minuuntur in magnitudine, vel celeritate, vel numerositate, vel calore, sicuti priores; sed variis innumerabiliter modis: quorum Medici non nisi quinque nominibus propriis signarunt, videlicet, intermittentem, intercurrentem, deficientem simpliciter, & reciprocum. Possunt doctrinæ gratia vocari mercuriales. *De mercurialibus.*

6 Intermittens est in ratione inæqualis, quia deest pulsatio vna, vel duæ, vel tres: ergo pausant pulsus.

7 Intercurrens inæqualis crebritate, quoniam addit insperatam vnam pulsationem inter duas tempestiuas, quasi superfluam.

8 Deficiens est cum totaliter desinit pulsus, vel secundum se, & tunc est mortis principium; vel secundum apparentiam, & tunc reuertitur post moram. Et hic est melior intermittente, non autem ille.

Potest addi pulsus apocopatus, qui non perficit ictum.

9 Ad cognoscendas præfatas inæqualitates applicatio manus multiplex, & diutina, donec ad æqualitatis punctum vel puncta perueneris, opus est, &c. vt in simplicibus. *Admonitio.*

De inæquali singulari in vno digito.

ARTIC. V.

1 VNa sola pulsatio potest diuidi in plures sui partes sensiles, & sic inæqualitatem singularem in vno indiuiduo pulsu efficere, quæ vel sub vno digito tangentis repræsenta-

tur, vel ſub pluribus digitis ictis ab eadem pulſatione inæqualiter.

2 Quæ fit ab vno digito eſt triplex, alia interrupta, alia alterata, alia duplicata.

Inæqualis ſingularis ſub vno digito triplex.

3 Interrupta eſt, cum dilatatio antequam veniat ad quietem externam, patitur pauſam, ſeu morulam, & ſtatim proſequitur ſuam viam vſque ad quietem externam, & contractionem. Vocatur iſte pulſus intermittens in vno pulſu apud Medicos, ſed clarius interruptum dices; & poteſt prima pars ſecundæ eſſe æqualis in tempore, vel inæqualis, vt alia tarda, alia celer, &c.

4 Altera eſt cum non interponitur pauſa, ſed vna pars motus continui eſt tardior, alia celerior: & quidem ſi in duas paſſiones diuiditur, fiunt nouem: ſi in tres partes diuerſæ paſſionis, 27. Poſſe autem percipi tres alteritates in eodem ictu Medici exercitati fatentur, ſicuti in Muſica, & carmine vna longa diuiditur in plures. Vocatur impar citatus Medicis, ſed melius alteratus: quoniam prima pars poteſt eſſe celer: ſecunda tarda: tertia tempeſtiua, & è contra: atque alterari ad 27.

5 Duplicata eſt cum incipit dilatatio, & ſtatim reuertitur ad conſtrictionem pulſus modicam, nec perficit illam, ſed reuertitur ad finiendam dilatationem: propterea vocatur dicrotus Medicis, ideſt bis feriens; & differt ab interrupto, quoniam illæ pauſam: iſte conſtrictiunculam interponit, quam poteſt in principio diſtinctionis interponere, & in medio, & in fine, cum eſt in externa quiete.

6 Sed iſta varietas in magnis, & vehementibus cognoſcibilis eſt, in paruis, & debilibus ægrè quidem. Ea circa manus applicationem variat, & digitos modo vnum, modo plures, modo omnes, prout ferre pondus poteſt pulſus.

De inæquali ſingulari in pluribus partibus arteriæ ſub pluribus digitis.

ARTIC. [illegible] V.

Inæqualitas ſingularis ſub pluribus duplex.

1 INæqualitas ſingularis in pluribus digitis, alia eſt continua, alia intercisa.

2 Continua eſt cum plures digitos ferit arteria, ſed inæqualiter, nullum tamen non ferit.

3 Inæqualitas continua vel eſt gradatim, ſeu lunaris, ita quod primum

primum fortiter ferit: ſecundum minus fortiter: tertium minus: quartum minimè, æquali ſemper diminutione ab vno ad alterum facta; vel æquali augmento. Et iſti poſſunt eſſe deficientes, & reciproci.

4 Vel fit ſine gradu continuitatis, ita quod primum fortiter: ſecundum debiliter: tertium vehementer, qui variari poterunt in quatuor digitis vſque ad 88. Et hoc verum in omni differētia.

5 Poſſunt etiam fieri gradatim à medio in vtramque partem: vt in medio digito ſit pulſus altus, in extremis æquè debilis vel tardus, vel mollis, vel frigidus, &c.

6 Interciſa pulſatio eſt quando extremos ferit, non autem medios, & fit quadruplex. Aut enim ferit ſolum primum, & tertium: aut primum, & quartum: aut ſecundum, & quartum: aut primum, tertium, & quartum: aut ſolummodo primum, ſecundum, & quartum; non autem qui non nominantur, ex quibus plures combinationes exoriuntur.

7 Poteſt iſta interciſio fieri inæqualiter in omni differentia, ita v. g. vt ſit in omnibus celer, & inæqualis, ita vt in vno celer, in altero tarda, in altero tempeſtiua; & ſic de reliquis differentiis coniice. De vacuo, pleno, forti, debili, calido, &c.

8 Præterea, aut iſtæ partes arteriæ ſimul moueri incipiunt, aut non ſimul.

9 Si ſimul, tunc vel erunt in motu aliæ maiori tempore, aliæ minori; nam ſecundum diſtenſionem etiam ſimul incipiunt: ergo rhythmus, & crebritas in his mutatur.

Si verò ſimul incipiunt, ſed aliæ plus temporis conſumunt, aliæ minus: proptereaque aliæ prius, aliæ poſterius ſequentem diſtenſionem incipiunt: tunc rhythmus mutatur, non autem crebritas & raritas.

Vel ſi ſimul incipiunt primam diſtenſionem, ſed non ſimul terminant, nec ſimul incipiant ſequentem, neque æquale ſit tempus quietis in omnibus: tunc mutatur numerus ſeu crebritas, non autem rhythmus.

Vel ſi ſimul incipiunt, & æquali tempore mouentur, & in ſecunda diſtenſione non omnes ſimul incipiunt: tunc non rhythmus, neque numeroſitas æquales erunt.

10 Si verò non ſimul omnes incipiunt, è contra fiunt aliæ quatuor differentiæ, correſpondētes quatuor iam dictis ab oppoſito: quas Galenus verboſius quam fructuoſius excogitauit.

De inæquali, & situ arteriæ.
Appendix.

1 FIunt pulsus qui vocantur tensi, & contorti, ex inæqualitate situs arteriæ. Conspicitur enim extrahi sursum, & deorsum eleuari, & curuari, & ad dexteram, & sinistram quasi virgula, aut coluber contorqueri: cuius notio facilis vtilissimaque.

De complicatis inæqualibus.

ARTIC. VI.

Pulsus complicati differentiæ 11.

1 ACcidit etiam sanis, nedum ægris, sicuti testatur Galenus de Antipatro, & Strutius de Histrione, mistura pluralis, & singularis inæqualitatum, vel singularis vnius speciei: ita vt pulsus sint æquales duritie, calore, vacuitate, magnitudine. Sunt tamen innumeri, proptereaque innominati Verum Medici vndecim signarunt, nominatim vtiles ad pernoscendum morbos, euentusque; videlicet vndosum, vermiculantem, formicantem, serratum, caprizantem, spasmosum, vibrantem, palpitantem, trementem, hecticum, strepentem.

De vndoso, vermiculante, & cæt. speciebus.

De vndoso.

1 INæqualitas magnitudinis in diuersis arteriæ partibus: & plenitudinis & vehementiæ in diuersis arteriæ partibus, faciunt vndosum pulsum, quem & vaporositas, & mollities comitantur variæ: instar enim vndarum continuatarum alia pars attollitur magis, alia minus, aliaque deprimitur: & alia plenius icit, alia inanius: alia vehementius, alia debilius, & celerius, & tardius.

De vermiculante.

2 Cum autem fiunt eædem motiones sed minores, & debiliores, & partim crebriores, partim rariores; fit vermiculans pulsus: sicut enim vermes, seu lumbrici, inter suos annulos colliguntur, eleuantur, deprimuntur, & mouent se, vt palam est: propterea vndosus in vermiculantem debilitata virtute degenerat.

De formicante.

3 Eædem inæqualitates imminutæ efficiunt pulsum formicantẽ, Formica enim breuiores passus facit, & minus elatos, debilésque ita, vt videantur pulsu carere ægrotantes huiusmodi. Sunt tamen pulsus paruissimi, tardissimi, & creberrimi, vt formicæ gressus.

De caprizante.

4 Caprizans in vna arteriæ parte facta inæqualitate vehementiæ & celeritatis, oboritur. si videlicet incipit motum, feritque leniter, & antequam retrocedat, aut quiescat, sicut in interrupto. & dupli

duplicato fit maiori impetu, & celeritate perficit quasi nouum ictum; veluti capra solet, dum alterum adoritur.

5 Serratus componitur ex inæqualitate arteriæ in duritie, & mollitie: & ex inæqualitate in vacuo, & pleno, & ex motu tensionis arteriæ sursum, deorsumque decurrentis, & ex interciso pulsu sub pluribus digitis, paulo ante declarato; sic enim serræ imaginem prorsus gerit. Adde aridi, & humidi complexum. *De serrato.*

6 Spasmosus ex duobus inæqualibus in situ arteriæ oritur, videlicet ex decursu sursum, & deorsum, & ex arcuatione extrorsum in altum: interdum adde dextrorsum, & sinistrorsum: sicut cum neruus conuellitur, & coluber ictus. *De spasmoso.*

7 Vibratus vero ex eisdem fit differentiis, sed magis ex eleuatione, quam instar acuminati arcus facit. Spasmosus vero depressam magis: sed isti competit magis reuersus sursum, & deorsum. Complicatur tarditas & celeritas motus in diuersis partibus: durities, & mollities: vehementia, & debilitas, sicut dum vibratur funiculus. In expergefactis subito id etiam obseruatur. *De vibrato.*

8 Palpitat cor aliquando, aliquando arteriæ, aliquando vtrumque, & sic pulsus immutatur inæqualiter quoad magnitudinem, vehementiam, & crebritatem. Palpitatio subito transit: tremor durat, & pulsum eisdem immutat inæqualitatibus. *De palpitanti, & tementi.*

9 Hecticum pulsum dicunt (melius autem saturninum: quoniam non solis hecticis inest) quas sortitur inæqualitates nunquam mutat, sed fixas tenet. Præcipuas sortiri solet, paruitatem, celeritatem, crebritatem, & duritiem: est quandoque magnus, celer, vehemens, creber, durus: aliàs, &c. *De saturnino.*

10 Strepens componitur ex inæqualitate partium arteriæ in vacuo, & inæquali duritie, & vehementia, & debilitate: & sub digitis quasi sonitum, & strepitum repræsentat. *De strepente.*

De Causis primarijs pulsus.

CAPVT III. PARS IV.

Causas pulsus primarias tres Medicis videri tantùm: & quomodo combinentur.

ARTIC. I.

1 CAusas primarias naturalesque pulsus, Medici tres assignant; videlicet facultatem à corde irradiantem, cui duas tantum *Causæ variantes pulsum, facultas.*

dant

tas, in, Instrumentum & vsus secundum Medicos.

dant differentias, videlicet vehementem robustæ: debilem imbecillæ. Secundam instrumentum, videlicet arteriam: cui duram duræ: & mollem molli assignant. Tertiam, vsum quasi finalem: cui nullam dant propriam differentiam, vsum autem in quatuor diuidunt. Videlicet, refrigerationem caloris; ventilationem; spirituum generationem, & fuliginum expulsionem. Tres primas assignant dilatationi, quartam constrictioni, & prout variantur hi vsus, partes pulsus variari autumant.

Vsus dilatationis est triplex: constrictionis vnus.

Regula Gal. Ad refrigerandum primo fit magnus, deinde celer, deinde creber cum refriger. desinit deinde gradatim ab vlt. ad 1.

2 Dogma illius est quoad vsum caloris aucti supra motum æquatum: addit natura magnum: qui si non sufficit ad refrigerium optatum, addit celerem; quo nec sufficiente, addit crebrum. Et cum incipit calor minui, atque vsus, prius natura dimittit crebritatem, quam vltimo acquisiuit, & fit rarus: deinde celeritatem, & fit tardus. Tandem magnitudinem in benè refrigeratis. Hoc sæpè cantauit Galenus.

Confutatio regulæ secundum alios, qui magnitudini refrigerium, celeritati ventilationem: crebritati triplicem vsum dant.

3 Verùm cum stet in fœminis celeritas sine magnitudine, & crebritas, etiam in hecticis; alij diuiserunt vsum, vt magnitudo refrigerationi seruiat; qua non sufficiente accersit alias differentias. Celeritas ventilationi, quæ fuligines quasi separat. Crebritas tũ ad iuuandã vẽtilationem, & refrigerationem, tũ ad fuliginũ ex celeritate multiplicatarũ excretionẽ: & ideo in febribus ista tria inueniuntur: quoniam calor adauctus non potest nisi à tribus differentiis refrigerari: & simul fieri expulsio putredinalis fuliginis.

Facultas robusta cum vsu adaucto, & cum diminuto quas edit pulsationes.

4 Mox combinant causas, & effectus: & primò facultas robusta cum motu adaucto habet motus magnos, celeres, crebros, vehementes secundum magis, & minus: cum diminuto moderatos, tardiores, raros, vehementes. Imbecilla cum vsu adaucto æquatos, tempestiuos, crebros, languidos, vel minores. Cum diminuto paruos, tardos, crebros, debiles: sin minus minimos, intermittentes, deficientes.

Vsus cum arteria.

5 Secundo combinant vsum cum arteria: auctus enim cum arteria molli dat magnos, celeres, numerosos, molles: auctior etiam crebros, at cum dura, minores, celerrimos, creberrimos, duros; sed in minori duritie, æquatos, celeres, crebros. Vsus verò diminutus cum arteria dura, minores, tardiores, crebriores, duros; sed numerosos in excessu æquali: si vrget frigiditas, etiam raros. Cum molli æquatos, tardos, raros: si superat mollities, maiores: si diminutio, minores.

Facultas cum arteria.

6 Combinant iterum facultatem cum arteria: robusta enim

cum

cum dura arteria dat pulſum æquatum, tempeſtiuum, numeroſum, durum; ſed excedente duritie etiam celeriorem, & crebrum. In molli maiores, tardiores, & rariores.

Imbecilla facultas, & arteria dura dant paruum, tardum, crebrum; in molli cum paruo receſſu, æquatum, tempeſtiuum, numeroſum, mollem. In magno, paruum, tardum, crebrum.

Sex Cauſas differentiarum pulſus eſſe agnoſcendas, nec de tribus Medicos ſufficienter, nec rationabiliter loquutos eſſe.

ARTIC. II.

1 NOs autem arbitramur cauſam pulſationis actiuam eſſe ſpiritum animalem: cui, cum ſit natura mobilis, perenniter, facile motus iſte perennis tribui poteſt. *Ex proprio dogmate cauſa actiua pulſationis eſt ſpiritus.*

Materialem in qua eſſe ſanguinem, aëremque, quos ſpiritus agitando attenuat, ſuámque in ſubſtantiam vertit. *Quæ materialis.*

Cauſam formalem dilatationem, & compreſſionem circularem: hac forma enim editur iſte motus, & æqualitate inter vtramque. *Formalis.*

Exemplarem in Sole contemplari oporteret: ſed quoniam purus Sol ignis eſt, exemplum capiamus ab igne apud nos retento, & à ſpiratione, quæ analoga eſt pulſationi. *Exemplaris.*

Finalem dicimus eſſe non refrigerationem, ſed retentionem, & augmentum caloris, & ſpiritus, vt dum alius exhalat, alius ſuccedat in opificio hoc exercendo: eſt enim animal quaſi Dei molēdinum, commiſſum ſpiritui animali, cuius molaris lapis eſt cor: aqua, vel ventus mouens eſt aër attractus: aſſiſtens operi molendinarius eſt ſpiritus, qui nutritur ex eo, quod in corde molitur, & adnatis arteriis. His vſibus accedit fuliginum expulſio, tanquam per accidens: effluxio enim ſanguinis, & ſpiritus ex arteriis ad nutritionem venarum, & partium corporis abſoluendam, de quibus paulò ante loquuti ſumus, ad gubernatum ſpectat opificis, in opificio. *Finalis.* *Error Medicorum.*

Inſtrumentalis cauſa eſt arteria, ad cuius diſpoſitionem etiam variatur pulſatio. *Inſtrumentalis.*

2 Circa actiuam cauſam conſiderandum eſt: quod quoniam ſpiritus conſtat ex tenuitate, luce, calore: poteſtatiuo, cognoſcitiuo, & appetitiuo, pulſus ad cuiuſque iſtorum variationem variantur. Quapropter nō modo mouens cauſa variatur de robore *Non variatur mouentis cauſa vis tantum, ſed paſſio notio, & appetitio.*

Vnde pulsationum varietas multiplex. in imbecillitatem, & è conuerso, vt Medicis insufficienter loquentibus ponitur; sed etiam ex varietate appetituum, & notionum, & passionum aliarum. Siquidem ipsius potestatiui non sola imbecillitas, & robur est passio: sed etiam timor, spes, desperatio: præsumptio, ignauia, alacritas: ira, mititas, & cæteræ, de quibus in Ethicis, & hæc omnia variant pulsum. *Ex passione.*

Ex notione. Similiter notiones, contemplatio, cognitio, admiratio, inaduertentia, delirium, phrenitis, discursus, imaginatio, variant pulsum.

Ex appetit. Item appetitiones amor, odium, hilaritas, dolor, voluptas, zelus, auersio, desiderium.

Conclusio nona Medic. Quod cum fateantur Medici, imperitæ facultati vel robustæ, vel imbecillæ tribuunt pulsationum varietates, cum nec ipsa sit mobilis, nec cogitans, nec appetens: & per modum naturæ agat quantum potest: mouens autem spiritus non quantum potest, sed quantum opus est: vtque ipse variatur, vt in suis varietatibus videre licet.

3 Præterea ex hac causa nequaquam rationem reddent Medici veram differentiarum: constat enim fieri pulsum magnum, celerem, crebrum, & variari mille modis in hora iuxta animæ affectus benè cognoscentis. At quomodo incorporea facultas facit magnum, & paruum: celerem, & tardum, fingi non potest; robur enim, & imbecillitas, solam vehementiam, & debilitatem præstat: vsus autem non potest has facere de se: nisi prout vtens potest, & vult: facultas autem non scit, nec vult. Item non potest, nisi illas duas.

4 Mirum præterea, quomodo combinant vsum cum instrumento, cum neutrum agere possit, sed agi: quas enim differentias facit dura arteria, & vsus auctus, si agens non adest vtrique? In hecticis requiritur magnus pulsus, quoniam vsus auctus, & dura arteria: attamen non adest nisi paruus: ergo combinatio illa est friuola; & dogma eorum quoque ruit.

5 Quod autem de refrigeratione, falsum est: non enim natura caloris tantum indidit, ad cuius minutionem laboret continuo. Præterea etiam refrigerati, & in hyeme, grandes pulsationes, & respirationes facimus, vt palam sit alium esse vsum illarum.

In febribus etiam spiritus non auget pulsum vt refrigeret, sed vt calor augeatur, fiatque potens ad expellendas, & coquendas morbificas causas: vt delirio sit simile assertum de refrigeratione

ne, & sibi contrarium. Ipsi quoque Medici fatentur coqui materiam putri iam, aptarique ad expulsionem: & febricitantem ab aëre frigido sub pannis custodiunt: ergo pulsat natura vt coquat, & attenuet. Si enim attenuata prauitas facile expellitur: ergo auget calorem vt id faciat; quod non nisi stupidis negandum venit.

Præterea statim à vino sumpto pulsus augetur, quoniam spiritus augetur; sic à cibo, & somno, & non quia calorem minuere oporteat: præstitisset enim non bibisse. At vnde illæ nouæ vires, si potius intemperies facta est, minuenda flabello? Profectò doctior esset coquus, quam natura, qui ignem sufficientem coc̄turæ accendit in coquina, non autem tantum, qui continua minutione, sed fomentatione opus habet: ac præter voluntatem, & artem peccat semel in hoc. Demus hoc naturæ in aliquo accidente, non semper, & vtatur frigore ad retinendum calorem.

De pulsuum differentiis simplicibus, quatenus ab agente spiritu eduntur, sensatissimæ rationes in nostro dogmate panduntur.

ARTIC. III.

1 DVo sunt in his motionibus secundum nostrum dogma consideranda: actus videlicet, & actio: spiritus enim cum sit natura mobilis, motu seruatur. Et hunc actum dimittit nunquam nisi pereat: non enim ab alio, sed à se habet: neque est actio, neque passio, sed vitalis actus. Ab hoc vitali actu egreditur actio pulsifica in sanguinem, & arterias: neque enim poterat actio committi perennis laboranti, & agenti, sed operanti cum gaudio actum suum perennem: alioquin fatigatus periret. Ex operatione autem perenni pulchrè, & sine labore egredi potest perennis actio consimillima, & secundum naturam.

Naturalis motus est actus in spiritu perennis ab actu actio in sanguinem & arterias.

Perennis ille pulsus, non committendus nisi perenni causæ & libenti.

Philosophi autem veteres, & Medici, id non aduertentes, laborem continuum pro vita ponunt, qui mors potius videri poterat, maximè cum pugnetur contra natiuum calorem.

2 Igitur spiritus multus, & magnus edit actum magnum in se: & per consequens in sanguinem, & arterias facit actionem magnam: paruus vero paruam: & propterea viri actionem edunt magnam, mulieres paruam; quoniam plures spiritus in eis, in istis pauciores. Respiratio quoque in viris magna, in mulieribus vox

A quo spiritu pulsus magnus, & à quo paruus.

Vnde pulsationum varietas multiplex. in imbecillitatem, & è conuerso, vt Medicis insufficienter loquentibus ponitur; sed etiam ex varietate appetituum, & notionum, & passionum aliarum. Siquidem ipsius potestatiui non
Ex passione. sola imbecillitas,& robur est passio:sed etiam timor, spes,desperatio: præsumptio, ignauia, alacritas: ira, mititas, & cæteræ, de quibus in Ethicis, & hæc omnia variant pulsum.

Ex notione. Similiter notiones, contemplatio, cognitio, admiratio, inaduertentia, delirium, phrenitis, discursus, imaginatio, variant pulsum.

Ex appetit. Item appetitiones amor, odium, hilaritas, dolor, voluptas, zelus, auersio, desiderium.

Conclusio nova Medic. Quod cum fateantur Medici,imperitæ facultati vel robustæ, vel imbecillæ tribuunt pulsationum varietates, cum nec ipsa sit mobilis, nec cogitans, nec appetens: & per modum naturæ agat quantum potest:mouens autem spiritus non quantum potest,sed quantum opus est: vtque ipse variatur, vt in suis varietatibus videre licet.

3 Præterea ex hac causa nequaquam rationem reddent Medici veram differentiarum: constat enim fieri pulsum magnum, celerem, crebrum, & variari mille modis in hora iuxta animæ affectus benè cognoscentis. At quomodo incorporea facultas facit magnum, & paruum: celerem,& tardum,fingi non potest; robur enim,& imbecillitas,solam vehementiam, & debilitatem præstat: vsus autem non potest has facere de se: nisi prout vtens potest, & vult: facultas autem non scit, nec vult. Item non potest, nisi illas duas.

4 Mirum præterea, quomodo combinant vsum cum instrumento, cum neutrum agere possit, sed agi: quas enim differentias facit dura arteria, & vsus auctus, si agens non adest vtrique? In hecticis requiritur magnus pulsus, quoniam vsus auctus, & dura arteria:attamen non adest nisi paruus: ergo combinatio illa est friuola;& dogma eorum quoque ruit.

5 Quod autem de refrigeratione, falsum est: non enim natura caloris tantum indidit,ad cuius minutionem laboret continuo. Præterea etiam refrigerati, & in hyeme, grandes pulsationes, & respirationes facimus, vt palam sit alium esse vsum illarum.

In febribus etiam spiritus non auget pulsum vt refrigeret, sed vt calor augeatur, fiatque potens ad expellendas, & coquendas morbificas causas: vt delirio sit simile assertum de refrigeratione

ne, & sibi contrarium. Ipsi quoque Medici fatentur coqui materiam putridam, aptarique ad expulsionem: & febricitantem ab aëre frigido sub pannis custodiunt: ergo pulsat natura vt coquat, & attenuet. Si enim attenuata prauitas facile expellitur: ergo auget calorem vt id faciat; quod non nisi stupidis negandum venit.

Præterea statim à vino sumpto pulsus augetur, quoniam spiritus augetur; sic à cibo, & somno, & non quia calorem minuere oporteat: præstitisset enim non bibisse. At vnde illæ nouæ vires, si potius intemperies facta est, minuenda flabello? Profectò doctior esset coquus, quam natura, qui ignem sufficientem coctura accendit in coquina, non autem tantum, qui continua minutione, sed fomentatione opus habet: ac præter voluntatem, & artem peccat semel in hoc. Demus hoc naturæ in aliquo accidente, non semper, & vtatur frigore ad retinendum calorem.

De pulsuum differentiis simplicibus, quatenus ab agente spiritu eduntur, sensatissimæ rationes in nostro dogmate panduntur.

ARTIC. III.

1 DVo sunt in his motionibus secundum nostrum dogma consideranda: actus videlicet, & actio: spiritus enim cum sit natura mobilis, motu seruatur. Et hunc actum dimittit nunquam nisi pereat: non enim ab alio, sed à se habet: neque est actio, neque passio, sed vitalis actus. Ab hoc vitali actu egreditur actio pulsifica in sanguinem, & arterias: neque enim poterat actio committi perennis laboranti, & agenti, sed operanti cum gaudio actum suum perennem: alioquin fatigatus periret. Ex operatione autem perenni pulchrè, & sine labore egredi potest perennis actio consimillima, & secundum naturam.

Naturalis motus est actus in spiritu perennis ab actu actio in sanguinem & arterias.

Perennis ille pulsus, non committendus nisi perenni causæ & libenti.

Philosophi autem veteres, & Medici, id non aduertentes, laborem continuum pro vita ponunt, qui mors potius videri poterat, maximè cum pugnetur contra natiuum calorem.

2 Igitur spiritus multus, & magnus edit actum magnum in se: & per consequens in sanguinem, & arterias facit actionem magnam: paruus vero paruam: & propterea viri actionem edunt magnam, mulieres paruam; quoniam plures spiritus in eis, in istis pauciores. Respiratio quoque in viris magna, in mulieribus vox

A quo spiritu pulsus magnus, & à quo paruus.

parua,& vox tenuis,ſicut in viro ægrotante,ex quo ſpiritus multi exhalauerunt,vnde vox ex paucis reſultat exilis, & acuta. Falluntur qui in hyeme non magnos fieri pulſus,& reſpirationes volunt: hoc enim verum in ſolis mortificatis à frigore penetrante; non in ſeruatis ab vniente.

A quo vehementia,& debilitas pulſus.

At vehementia non fit à ſpiritu, quatenus copioſo:ſed quatenus robuſto, & non impedito, licet & robur plerumque copiæ adiungatur. Patet autem,quoniam mulieres,& qui paruo donati pulſu à natura ſunt, cum iraſcuntur vehementem faciunt pulſum: quoniam ſpiritus vnitur, vt impetum faciat in rem hoſtilem. Vndè incaleſcit & roboratur. Ergo vehementia potius eſt in actione,quam in actu: & ex accidenti aliquo fit plerumque, naturaliter tamen, à calore multo, & vnitis ſpiritibus: ſic in febri contra morboſas cauſas bellum iniens ſpiritus,vnitur,incaleſcitque, vt vehementiores edat ictus.

Vnde celeritas,& tarditas.

4 Celeritas autem ab actu, & actione cauſam habet: ſpiritus enim tenuis caliduſque,celer eſt:craſſus,tardior:mediocris tempeſtiuus,verum etiam craſſus, ſi quando ad opus aliquod irritatur, accelerat exigente vſu. Vnde & cum copioſo, & cum modico ſpiritu poteſt eſſe celeritas: non autem cum debili, & modico ſimul.

Ex quo crebritas.

5 Crebritas autem ex paucitate ſpiritus in viuacitate fit. Vnde formicæ & cimices creberrimis motibus ſe agitant, non autem magnis.

At etiam magnus ſpiritus crebritate vtitur vbi eſt opus. Attamen modicus, & debilis, creber eſſe nequit in actione,licet ſit in ſuo actu. Proptereaque in hyſtericis, vbi ſpiritus confluxit ad auxilium vteri, & modicus remanſit in arteria,debiliſque à dolore, pulſum edit paruum & tardum, & rarum, & tandem deficientem.

Actus conſeruationi, actio ſucceſſioni deſeruiunt. Igitur variatur pulſus ab vtriuſque vſu

6 Quoniam igitur ſpiritus per actum ſuæ conſeruationi conſulit,per actionem verò ſui multiplicationi & regenerationi, ſicuti nos indiuidui, & ſpeciei ſalutem curamus. Generat autem ſpiritus tenuis,mobilis,calidus,lucidus,ex ſanguine, & aëre, ſpiritum calidum, lucidum, mobilem ſuo motu, luce, tenuitate & calore; conſequens eſt,vt variet actionē,& prout actus fert in ſui conſeruatione, & prout vſus actionis requirit in ſua refectione.

Copia ſpiritus,qu.. & quales pulſus

7 Quicunque ergo copioſum habent ſpiritum, edunt pulſum magnum,tardum,rarum,fortem,calidum,plenum,vt maſculi, &

conua-

conualeſcentes validi. Quemadmodum enim ignem magnum flabellamus magnis flabellationibus, vt retineamus flammas in lignis, ne elabantur, paruis haud cedens, nec deſinat antequam comburat ligna, ſed tamen tardis, & raris: non enim timemus quod ſtatim euaneſcat cum ſit magnus, neque putamus extingui, ſed augeri magnitudine inſufflationis: ſic qui calorem habent multum, & copioſum ſpiritum, magnas reſpirationes & pulſus faciunt, vt calorem foueant, ſeruentque, non autem celeres, nec crebros: quoniam repugnat magnitudini crebritas, & celeritas aliquo pacto, nec opus ſunt: quoniam non eſt timendum, ne magnus ignis, & ſpiritus perdatur, antequam alius illi ſuccedat. Vndè nec vehementia eſt opus, cum ſpiritus ſit auctus, & ex propria amplitudine faciat motum amplum. Eſt tamen fortis, & plenus, quoniam omnes partes arteriæ complet: calidus quoque, ſed non vrens. Ergo non vt ſe refrigeret edit motum magnum, ſed vt ſe ſeruet. Ex ſuo autem motu oritur actio magna, tarda tamen, quoniam ſubita refectione non habet opus, iam auctus.

edit, & quas reſpirationes.

8 Quicunque prædicta copia ſpiritus donati ſunt, & inſuper opus habent refectione, aut expulſione noxiarum rerum: hi habent ſubito pulſum magnum, celerem, crebrum, vehementem, plenum, percalidum; quemadmodum pueri, & febricitantes. Iuuenes verò addunt maximum, & vehementiſſimum, quoniam plurimum alimenti abſumunt: oportétque calorem augeri ad ipſius cocturam, & ſeparationem excrementorum Nec ſufficit magnitudo: quoniam hæc eſt ex copia ſpiritus, & ex actu, ſed requiritur crebritas & celeritas ad actionem. Sic etiam iraſcentes augent pulſum celeritate, vehementia, crebritate, & magnitudine, quoniam vnitur ſpiritus contra res inimicas. Et febris quoque ira eſt ſpiritus contra noxios humores. Idcirco pulſus in omnibus differentiis auget: mœſtitia vero, & gaudium auget ſolam magnitudinem: quoniam ſpiritus amplificatur, & expanditur; eſt tamen raritas, & tarditas in pulſu, quoniam nihil hoſtile habet in quod agat, & foueat: neque ſatis coquinæ vacandum putat, ſed effundere ſe erga res lætificantes. At ſi accidat ira, ſtatim pulſus celeratur & increbeſcit.

Qui ex copia & indigentia ſiunt.

Vinum hilaritatem, & pulſus magnitudinem facit: cibus magnitudinem, & celeritatem, & crebritatem: quoniam vino ſubito fit ſpiritus, & pauca excrementa habet, cibus è contra: vt nulli dubitandum ſit amplius magnitudinem potius inſequi actum:

Magnitudo actum, celeritas & crebritas actionem pulſus qua ratione.

celeritatem, & crebritatem, actionem:& vehementiam ad vtrumque. Et hanc in Medica arte lucem inuentori non inuidendam putent.

F spiritu robusto aliquantulum non copioso qui.

Qui vero spiritus copiam non habent, sed non exilibus viribus præditum: hi pulsum habent paruum. Actus enim paruus actionem paruam communicat. Sed tamen celerem, crebrum, languidum tamen in primo gradu post fortem: hoc patet in fœminis,& in nobis post exercitium: tunc enim quoniam spiritus copiositas exhalauit, respiratio, & pulsus fit de magno paruus: non enim potest edere actum magnum spiritus paruus: ergo nec magnam actionem: additur tamen celeritas propter indigentiam, vt spiritus subito reficiatur, & calor iam incipiens abire retineatur flabello pulmonis, & intrudatur in sanguinem ad noui spiritus recreationem.

Magnitudo etiam obstaret, quia igniculos paruos extinguit: quapropter ignem paruum parua flabellatione retinemus, ne vehementi extrudatur: at celeri vt cibo reficiatur; & crebra ne per interpositam morulam detur tempus elabendi. Sic quando à vēto multo candela extinguitur, modica insufflatione solet re accēdi crebra celeríque, sed magna dissipatur modicus ignis, qui in elychnio remāsit. Ex hoc redditur ratio, cur in ęstate,& post exercitium pulsus,& respirationes maiores, crebriores, celeriorésque.

Ex inopia & imbecillitate spiritus pulsationes, ac spirationes.

10 Quibus spiritus inest modicus, exilisque viribus, dissipatúsque, præsertim si in amplis vasis: his respiratio,& pulsus paruus, tardus, rarus, languidus, vacuus, frigidus, & inæqualis, vt in senibus, & qui immodicis exercitiis, & immodica venere defatigati sunt, & post febres validissimas: tunc enim spiritus modicissimus,& debilis est factus, nec potest mouere, nisi sicut mouet se: & cum mouet se & non arteriam, fit pulsus deficiens in apparentia; cum verò neque se, inexistentia, & mors. In senibus ergo, quoniam arterias insuper habent magnas, & duras, non potest pulsu magno spiritus eas distendere, cum sit modicus copia, & robore: & propter rimas arteriarum, & corporis pateat iniuriis. Crebritatem ergo imminutus spiritus non demittit distractus, diuisusque, aut victus.

Appendix.

Non ex vsu,

EX modo dictis patet vsum non esse per se causam, sed vtentem. Variari ergo pulsus ex vsu, non quatenus est de se aliquid,

quid, sed quatenus vtentis, & idcirco nullas ab vsu proprias pulsationes accipimus, sed ab agente, & materiali, & instrumentali, & formali: forma enim variatur, prout agentis, & patientis vsus requirit, & commoditas: sæpè enim non quales vult, sed quales potest edit pulsationes. *sed ex causa vtente sumitur differentia pulsus, & ex materiali, formali, & instrumentali.*

Nec cum pulsus excedentes mediocritatem ob irritationem, & nouum vsum recuperant, sedati prius raritatem, deindè tarditatem, seu tempestiuitatem, vt aiunt; & tandem æquationem, nisi spiritus sit copiosus, & valens: vbi enim modicus prius, dum sanatur, quæritat recuperare magnitudinem, deinde tempestiuitatem, & numerositatem, vt patet ex dictis. Semper autem quod primo deponit, est vehementia; quæ pugnæ gratia cæpit. *Quis ordo perditionis, & quis recuperationis differentiarum pulsus.*

De eisdem ex instrumentali causa.

ARTIC. IV.

1 EX iam dictis quilibet in qualibet affectione naturali, & morbifica poterit causas rimari pulsuum, & prognosticari euentus, si addideris, quas ab arteria, & sãguine varietates habet.

2 Arteria dura repugnat constrictioni magis, & magnitudini dilatationis, sed si adest vehementia suscipit & magnitudinem. *Qui ex duritie instrumenti fit pulsus ex mollitie.*

3 Raræ texturæ, & rimosæ vehementiam perdit, & dilatationi nocet, plus studet constrictioni: plus caloris & humoris ostendit. Densa vtrumque abscondit: prodest dilatationi, & constrictioni, non autem expulsioni fuliginum, idcirco quando multæ sunt, & mordicant, contorquentur & arcuantur. *Ex densitate & raritate instrumenti.*

Arteria adnatas propius carnes & adipes habens, & minimum à lateribus motum edit, pulsum altum; etiamsi spiritus sit mediocris, & non indigeat magna motione. *Ex circumstantibus instrumentum rebus.*

Cooperta desuper multa crassitie spiritum repræsentat humilem, præsertim si lata est, etiam latum, & debilem.

Discooperta & duriuscula ex natura, vel accidenti, pulsum gracilem ostendit: vacuáque simul strepentem. Item longum.

Gibba, elataque in vna parte, in aliis oppressa, turgidum, & prominulum. *Ex figura.*

Magis autem si & pulsus sit maximus, vehementissimus, celerrimus.

Ampla arteria cum modico spiritu, paruos, & deficientes ostentat: stricta cum multo, vehementes, arcuatos, vt infra.

De

De eisdem ex formali causa, varietate, & vsu.

ARTIC. V.

Cur & quãdo dilatatio vel constrictio maior, & minor.

1 FOrma motus est dilatatio, & constrictio; cuius correspondentia vocatur rhythmus. Quando igitur spiritus indiget cibo, & quiete, reuocatur ad interiora, & fit dilatatio minor, & constrictio maior, vt patet in somni principio; & assumpto cibo.

Cùm vero spiritus amplus est, indiget dilatatione: creuit enim; tunc maior est dilatatio, quam constrictio, vt in fine digestionis, & somni.

2 Aliquando idem accidit ex causa morbifica in arterias intrante, vel interiora corporis petente: tunc enim spiritus intrò se recipit, & contractiones facit maiores, vt patet in febribus incipientibus: & in his, qui venenum, aut pharmacum assumpserunt, aut in visceribus afficiuntur. In fine autem febris dilatatio maior: quoniam spiritus fatigatus iam victor sese amplificat, iactátque, roborátque.

Ex affectionibus.

3 Omnis passio contristans cogit spiritum, & facit constrictiones maiores, vt timor, tristitia, pudor. Omnis passio exhilarans, dilatationes; quoniã spiritus sese amplificat, exitque foras, vultque videri beatus: sæpéque etiam corporis partes ad risum dilatat simul, vt in Phys. probauimus. Ideo oculi, & vultus nitent, & grandescunt spiritu pleni lucido. In tristitia eodem abeunte intrò, obscurantur.

4 Item contemplatio, admiratio cogit magis: incuria, paruipensio, dilatat.

Ex humoribus.

5 Melancholia cogit intrò, quoniam tetra fuligine reuocat spiritum ad pugnam, & terrificat. Sanguis floridus dilatat, exhilarat, forasque educit. Cholera roborat, vehementiamque dat pulsui. Pituita eneruat, debilitatem, & tarditatem conciliat.

Ex ætatibus.

Senioribus dilatationes maiores visuntur: non quidem vt refrigerentur; sed quoniam spiritus ocio indiget, & à cura consueta in cibi absolutione feriatur ob imbecillitatem.

In pueris constrictiones, quoniam semper cum cibo multo pugnant, & eius attenuationi, & concalefactioni vnio caloris, & spiritus, ergo & contractio conueniunt. Sunt etiam spiritus validi, & operosi in nutritione. Spiritus verò senum in rerum inspectatione, & prudentia. Has causas Medici non intellexere.

Non

7 Non valdè placet, quod rhythmus varietur ex quo plus temporis opus est in compressione ad expulsionem fuliginum, aliquando ad refrigerationem, vt aiunt: nam & in dilatatione fit expulsio, quæ in compressione perficitur, sicuti dictum est prius. *Correctio.*

8 Rhythmus degenerat ex vna ætate in alteram proximam, vel distantem, vel nullam, propter causas nouas spiritum, aut temperiem mutantes, de quibus in pulsibus morbosis erit sermo. *Documentum.*

9 Nihil autem obest, vtrum celeritas, an forma mutetur in rhythmis dum innotescit: & Gal. enim, & prisci rectè loquuti sunt Medici.

10 Sed quoniam causa formalis non mutatur de se, nisi quia agens, & materia, & organum mutatur, de quibus dictum est supra; ideò de materia restat sermo.

De eisdem ex causa materiali; quæ & inæquales miscet.

ARTIC. VI.

1 Materia, in quam editur actio pulsifica, est sanguis, & aër, in quem spiritus suum actum, & vim dilatat, vt spiritum generet: proptereaque ligata arteria in parte, in quam sanguis & aër à corde non influit, non fit actio. Actus verò paruus fit ob timorem amissi alimenti, & non sensilis Galeno. Vnde & errandi occasionem circa originem pulsantis vis, accepit. *Cur non pulsat arteria ligata pars ad caput spectans.*

2 Quando igitur aër purus est, & sanguis purus benè coctus, faciléque in spiritus vertibilis, fiunt pulsus magni, tardi, rari, fortes, & æquales in rhythmo. Immo dilatatio solet amplior tantillum fieri. At si aër impurus noxiúsque, dilatatio minuitur, & pulsus; crescitque contractio. Manifestum est enim, quod cum per loca fœtentia transimus, inspirationem auersamur; expiramus tamen libenter. Vbi verò prata benè olentia, & viridaria aurantiorum, & rosarum: tunc multum inspiramus, attrahimusque aërem: expiramus vero modicum: ergo & in pulsu dilatatio maior ad trahendum aërem, constrictio minor, quod quilibet potest in suo experiri. Similiter dicẽdum est de sanguine puro, & impuro. *Qui pulsus & spirationes ex sanguine & aëre puris, & qui ex impuris.*

3 Impuritas sanguinis vel est à mistura fuliginis, & sic facit pulsus interruptos, alteratos, duplicatos: quoniam dum mouetur spiritus terretur, reuertique vult ad pugnam contra fuliginem tetram: & ideo in Autumno, regnante bile atra, pulsus inæquales fiunt: & alij inæquales, de quibus postea. *Ex impuritate sanguinis.*

Aliquando ineſt in ſanguine bilis flaua amara, quæ pulſum ardentem facit, & celerem, & vbi mordicat arteriam, in fugam vertit, ſurſumque, deorſumque agit, & æqualitatem prorſus mutat: addit vehementiam, cupiente ſpiritu fibras laxari, vt egrediatur mordax humor. Quandoque ineſt pituita, quæ conſtrictiones maiores cupit, vt confringatur, diſſipetur, attenuetur, coquatur: & quamuis in corde benè coctus ſanguis tranſit in arterias, haud tamen ſemper æqualis. Vapor quoque noxius multas ciet pugnas, & pulſus inæqualitates. Quapropter non ſufficienter Medici de cauſis pulſuum primariis loquuti ſunt, cum materialem cauſam, & potiſſimam omiſerint: ad quam tamen vel inuiti ſæpè recurrere coguntur.

Ex prædictis cauſis inæqualitates oriri, præſertim materiali, in ſanis, & ægris, & qua ratione.

ARTIC. VII.

Differentia ſpirituum, & ingenia ex cauſa materiali, & proinde pulſationum.

Qui ſpiritus qua ex natura, à quo calore fiunt.

1 INæqualitatis ergo pulſuum cauſæ ſunt omnes prædictæ, cum à ſuo ingenio exorbitauerint, vel accidentaliter, vt in ægrotis; vel naturaliter, vt in ſanis: quales ſunt apud Strutium medicum Iacobus Braſauius, Thaus hiſtrio, & miles Turca, & alij; in quibus ſpiritus conſueſcit agere in ſanguinem: ſicuti ipſe ſua agitur vi. Vnde in Phyſiologia oſtendimus diuerſa hominum ingenia ex ſpiritus copia, & inopia: robore, & imbecillitate: puritate, & impuritate: craſſitie, & tenuitate.

Quæ differentiæ ex materia, vndè producuntur, & ex vi caloris varia enaſcuntur. Calor enim multus ex impura, craſſaque materia, ſeu ſanguine, multos, impuros, & diſſimilares facit ſpiritus: ex lenta puraque, copioſos, puroſque: blandus ex craſſa tenues, ſemipuros; ex molliori, & laxiori craſſiuſculos, ſed puriores.

Optimus eſt copioſus, robuſtus, purus: à quo recedentes variant rhythmum iuxta gradum.

Raro ergo inuenitur copioſus, robuſtus, purus. Igitur iſte ſolus æquat dilatationes conſtrictioni, & pares paribus eiuſdem dilatationis, niſi inſtrumentum obſit; cæteri inæqualiter mouent: quoniam & imbecillitas, & robur cum impuritate pugnant.

Craſſi etiam multam ventilationem cupiunt vt abſoluantur, tenues modicam, ne euolent: & quando miſcentur, diuerſos pariunt pulſus, & ſingulares.

Item imbecilli à copia ſanguinis obruuntur, & à vaporibus, exor

exorbitántque à solita expulsatione, vt patet in his, qui plurimo replentur cibo.

Quæ omnia non euenirent, si incorporea facultas, quæ à fuliginibus nil grauatur, moueret: multo autem minus illa, quæ in pluribus arteriæ fit partibus. *Pulsatilis vis in spiritu corporeo concluditur.*

Præterea nequeunt Medici reddere causas inæqualitatis naturalis, & cur qui pulsum habent naturaliter intermittentem, bene viuunt, cum in ægrotis sit mortale signum. *Medicorum defectus in causa exorbitantia naturalis.*

Medicos nec veras, nec sufficientes inæqualitatis pluralis pulsuum causas afferre.

Artic. VIII.

1 MEdici cum Galeno inæqualitatis pluralis causas nolunt ab vsu vllas trahi: impossibile enim aiunt subito vsum variari in vno pulsu, & immediatis in pulsationibus, sed ab instrumento inepto, & facultate imbecilli simul mistis. *Vnde Medici pluralem exorbitantiam pulsus deducunt.*

Instrumentum fit ineptum vel compressione orta ab humoribus circa locum arteriæ, & adnatis in partibus. Item ex tumoribus, scirrhis, &c. vel obstructione, à grossis, viscidisque orta: plenitudine nimia arteriarum, aut venarum coniunctarum. *Sex causa ineptitudinis arteria.*

Facultas vero vel redditur imbecillis, quia aggrauata est onere plenitudinis, obstructionis, compressionis: & sic facit pulsus inæquales anonymos: vel est infirma ob resolutionem temperamenti, & tunc facit pulsus tardos, paruos, crebros: vel quia distracta per cordis, aut aliorum membrorum diuersificatum temperamentum: ita quod aliæ partes cordis sint frigidæ, aliæ calidæ: istæque optant dilatari; illæ cogi: item istæ optant pulsus magnos, celeres, varios, vehementes: illæ paruos, tardos, crebros, languidos: & dum vtrisque vicissim facultas satisfacit, variat pulsationes, vnas post alias. Rursus imbecilla facultas, quæ faciebat paruos, tardos, languidos, crebros, facit myuros, reciprocos, & cum plus infirmatur, myuros non reciprocos: & tandem pessime, intermittentes, deficientes, abolitósque. Tandem intermittentem etiam dant robustæ facultati impeditæ: similiter intercurrentem, & ex mistura harum causarum oriri aiunt alias inæqualitates, superius dictas. *Causa imbecillitatis in facultate pulsifica, & variationis pulsus.*

2 Sed profectò licet rectè adhibeant plenitudinem, obstructionem, & compressionem, & copiam sanguinis in ægrotis; haud *Non sufficit ineptitudo arteria, &*

tem pulsuum, cum sine illa ex solo cogitatu in respiratione euidenter fiat, nec licet partire cor, & facultatem. Palam autem est, quod dum aggreditur spiritus dilatationem, vel impeditur à copia sanguinis, vel à fuligine, vel impuritate alia, vel instrumenti inobedientia, quæ ex pluribus dictis causis solet oriri. Vnde necesse habet vel motum interrumpere, vel se retrahere ab illo ab alia causa reuocatus, iterumque insequi: vel alterare eundem motum ipse nouo ab accidenti alteratus: quorum plurima enumerauimus. Hoc etiam palam, quòd si sequentem partem motus celerius, & maiusculè absoluit, indicium est plus posse spiritum, quàm causam interpellantem opus eius. Si verò languidius, & tardius, victoriam vrgere ad morbificam causam, vel impedientem quamcunque. At cordis intemperiem partialem id non esse patet, quoniam in sanis, & ex solo cogitatu id fit.

temperie, vt Medicis placet.

Ratio 1.

2 Inæqualitati in diuersis partibus vbi continua est, rectè traditur vis à corde defluens, quæ in suo decursu debilitatur, ægritudine id ferente; sed vbi fortior pulsus in longinquis à corde, non valet: sed oportet spiritum alibi copiosiorem, & minus impeditum: alibi minorem, & impeditum addere: Idque in intercisо clarius; vbi Medici assignant inæqualitatem arteriæ in duritie, & mollitie: aut humores detinentes, scindentes & dirimentes facultatis progressum. Sed hoc perperam: facultas enim incorporea per tunicam communicatur, non per foramen, sicut spiritus: ergo non ille, sed iste intercipitur, dirimitur, & alibi laborat, alibi liberior, pulsus edit inæquales in partibus.

Non sufficit ad inæqualitatem diuersarum partium facultatis passio varia, nisi spiritus, & materia, & arteria addatur variatio.

3 De myuris prominulis facilè redditur causa ab arteria: Item à diuersa eiusdem plenitudine, de quibus supra.

Ratio myurorum prominulorum.

4 Situm arteriæ mutant à tentione per scirrhos, inflammationes, apostemata, & per frigus. Verè quidem ex parte, sed mordicatio addenda erat, & horror spiritus à plenitudine humoris terrifici, quem fugere cupit, & nequit; ideóque contorquet vas, sicuti spiritus serpentis suum corpus, vbi sauciatur, in diuersis partibus. Ideóque non omnes inflammationes hunc ferunt pulsum. Sic æger totus ab assumpto pharmaco, vel veneno, se torquet, agitat, mutat..

Ratio extorsionis arteriæ.

...o puls... ...d inge... ...m indi-

Vnde pulsationum varietas multiplex. in imbecillitatem, & è conuerso, vt Medicis insufficienter loquentibus ponitur; sed etiam ex varietate appetituum, & notionum, & passionum aliarum. Siquidem ipsius potestatiui non sola imbecillitas, & robur est passio: sed etiam timor, spes, desperatio: præsumptio, ignauia, alacritas: ira, mititas, & cæteræ, de quibus in Ethicis, & hæc omnia variant pulsum. *Ex passione.*

Ex notione. Similiter notiones, contemplatio, cognitio, admiratio, inaduertentia, delirium, phrenitis, discursus, imaginatio, variant pulsum.

Ex appetit. Item appetitiones amor, odium, hilaritas, dolor, voluptas, zelus, auersio, desiderium.

Conclusio nona Medic. Quod cum fateantur Medici, imperitæ facultati vel robustæ, vel imbecillæ tribuunt pulsationum varietates, cum nec ipsa sit mobilis, nec cogitans, nec appetens: & per modum naturæ agat quantum potest: mouens autem spiritus non quantum potest, sed quantum opus est: vtque ipse variatur, vt in suis varietatibus videre licet.

3 Præterea ex hac causa nequaquam rationem reddent Medici veram differentiarum: constat enim fieri pulsum magnum, celerem, crebrum, & variari mille modis in hora iuxta animæ affectus benè cognoscentis. At quomodo incorporea facultas facit magnum, & paruum: celerem, & tardum, fingi non potest; robur enim, & imbecillitas, solam vehementiam, & debilitatem præstat: vsus autem non potest has facere de se: nisi prout vtens potest, & vult: facultas autem non scit, nec vult. Item non potest, nisi illas duas.

4 Mirum præterea, quomodo combinant vsum cum instrumento, cum neutrum agere possit, sed agi: quas enim differentias facit dura arteria, & vsus auctus, si agens non adest vtrique? In hecticis requiritur magnus pulsus, quoniam vsus auctus, & dura arteria: attamen non adest nisi paruus: ergo combinatio illa est friuola; & dogma eorum quoque ruit.

5 Quod autem de refrigeratione, falsum est: non enim natura caloris tantum indidit, ad cuius minutionem laboret continuo. Præterea etiam refrigerati, & in hyeme, grandes pulsationes, & respirationes facimus, vt palam sit alium esse vsum illarum.

In febribus etiam spiritus non auget pulsum vt refrigeret, sed vt calor augeatur, fiatque potens ad expellendas, & coquendas morbificas causas: vt delirio sit simile assertum de refrigeratio-

ne

ne, & sibi contrarium. Ipsi quoque Medici fatentur coqui materiam putridam, aptarique ad expulsionem: & febricitantem ab aëre frigido sub pannis custodiunt: ergo pulsat natura vt coquat, & attenuet. Si enim attenuata prauitas facile expellitur: ergo auget calorem vt id faciat; quod non nisi stupidis negandum venit.

Præterea statim à vino sumpto pulsus augetur, quoniam spiritus augetur; sic à cibo, & somno, & non quia calorem minuere oporteat: præstitisset enim non bibisse. At vnde illæ nouæ vires, si potius intemperies facta est, minuenda flabello? Profectò doctior esset coquus, quam natura, qui ignem sufficientem coctura accendit in coquina, non autem tantum, qui continua minutione, sed fomentatione opus habet: ac præter voluntatem, & artem peccat semel in hoc. Demus hoc naturæ in aliquo accidente, non semper, & vtatur frigore ad retinendum calorem.

De pulsuum differentiis simplicibus, quatenus ab agente spiritu eduntur, sensatissimæ rationes in nostro dogmate panduntur.

ARTIC. III.

1 DVo sunt in his motionibus secundum nostrum dogma consideranda: actus videlicet, & actio: spiritus enim cum sit natura mobilis, motu seruatur. Et hunc actum dimittit nunquam nisi pereat: non enim ab alio, sed à se habet: neque est actio, neque passio, sed vitalis actus. Ab hoc vitali actu egreditur actio pulsifica in sanguinem, & arterias: neque enim poterat actio committi perennis laboranti, & agenti, sed operanti cum gaudio actum suum perennem: alioquin fatigatus periret. Ex operatione autem perenni pulchrè, & sine labore egredi potest perennis actio consimillima, & secundum naturam.

Naturalis motus est actus in spiritu perennis ab actu actiuo in sanguinem & arterias. Perennis ille pulsus, non committendus nisi perenni causæ & libenti.

Philosophi autem veteres, & Medici, id non aduertentes, laborem continuum pro vita ponunt, qui mors potius videri poterat, maximè cum pugnetur contra natiuum calorem.

2 Igitur spiritus multus, & magnus edit actum magnum in se: & per consequens in sanguinem, & arterias facit actionem magnam: paruus vero paruam: & propterea viri actionem edunt magnam, mulieres paruam; quoniam plures spiritus in eis, in istis pauciores. Respiratio quoque in viris magna, in mulieribus vox

A quo spiritu pulsus magnus, & à quo paruus.

parua,& vox tenuis,ſicut in viro ægrotante,ex quo ſpiritus multi exhalauerunt,vnde vox ex paucis reſultat exilis, & acuta. Falluntur qui in hyeme non magnos fieri pulſus,& reſpirationes volunt: hoc enim verum in ſolis mortificatis à frigore penetrante; non in ſeruatis ab vniente.

A quo vehementia,& debilitas pulſus. At vehementia non fit à ſpiritu, quatenus copioſo:ſed quatenus robuſto, & non impedito, licet & robur plerumque copiæ adiungatur. Patet autem,quoniam mulieres,& qui paruo donati pulſu à natura ſunt, cum iraſcuntur vehementem faciunt pulſum: quoniam ſpiritus vnitur, vt impetum faciat in rem hoſtilem. Vndè incaleſcit & roboratur.Ergo vehementia potius eſt in actione,quam in actu: & ex accidenti aliquo fit plerumque, naturaliter tamen, à calore multo, & vnitis ſpiritibus: ſic in febri contra morboſas cauſas bellum iniens ſpiritus,vnitur,incaleſcitque, vt vehementiores edat ictus.

Vnde celeritas,& tarditas. 4 Celeritas autem ab actu, & actione cauſam habet: ſpiritus enim tenuis calidusque,celer eſt:craſſus,tardior:mediocris tempeſtiuus,verum etiam craſſus, ſi quando ad opus aliquod irritatur, accelerat exigente vſu. Vnde & cum copioſo, & cum modico ſpiritu poteſt eſſe celeritas: non autem cum debili, & modico ſimul.

Ex quo crebritas. 5 Crebritas autem ex paucitate ſpiritus in viuacitate fit. Vnde formicæ & cimices creberrimis motibus ſe agitant, non autem magnis.

At etiam magnus ſpiritus crebritate vtitur vbi eſt opus. Attamen modicus, & debilis, creber eſſe nequit in actione,licet ſit in ſuo actu.Proptereaque in hyſtericis, vbi ſpiritus confluxit ad auxilium vteri, & modicus remanſit in arteria,debiliſque à dolore, pulſum edit paruum& tardum, & rarum, & tandem deficientem.

Actus conſeruationi, actio ſucceſſioni deſeruiunt. Igitur variatur pulſus ab vtriuſque vſu 6 Quoniam igitur ſpiritus per actum ſuæ conſeruationi conſulit,per actionem verò ſui multiplicationi & regenerationi, ſicuti nos indiuidui, & ſpeciei ſalutem curamus. Generat autem ſpiritus tenuis,mobilis,calidus,lucidus,ex ſanguine, & aëre, ſpiritum calidum, lucidum, mobilem ſuo motu, luce, tenuitate & calore; conſequens eſt,vt variet actionẽ,& prout actus fert in ſui conſeruatione, & prout vſus actionis requirit in ſua refectione.

Copia ſpiritus,quos & quales pulſus 7 Quicunque ergo copioſum habent ſpiritum, edunt pulſum magnum,tardum,rarum,fortem,calidum,plenum,vt maſculi, &

conua-

conualescentes validi. Quemadmodum enim ignem magnum flabellamus magnis flabellationibus, vt retineamus flammas in lignis, ne elabantur, paruis haud cedens, nec desinat antequam comburat ligna, sed tamen tardis, & raris: non enim timemus quod statim euanescat cum sit magnus, neque putamus extingui, sed augeri magnitudine insufflationis: sic qui calorem habent multum, & copiosum spiritum, magnas respirationes & pulsus faciunt, vt calorem foueant, seruentque, non autem celeres, nec crebros: quoniam repugnat magnitudini crebritas, & celeritas aliquo pacto, nec opus sunt: quoniam non est timendum, ne magnus ignis, & spiritus perdatur, antequam alius illi succedat. Vndè nec vehementia est opus, cum spiritus sit auctus, & ex propria amplitudine faciat motum amplum. Est tamen fortis, & plenus, quoniam omnes partes arteriæ complet: calidus quoque, sed non vrens. Ergo non vt se refrigeret edit motum magnum, sed vt se seruet. Ex suo autem motu oritur actio magna, tarda tamen, quoniam subita refectione non habet opus, iam auctus.

edit, & quas respirationes.

8 Quicunque prædicta copia spiritus donati sunt, & insuper opus habent refectione, aut expulsione noxiarum rerum: hi habent subito pulsum magnum, celerem, crebrum, vehementem, plenum, percalidum; quemadmodum pueri, & febricitantes. Iuuenes verò addunt maximum, & vehementissimum, quoniam plurimum alimenti absumunt: oportétque calorem augeri ad ipsius cocturam, & separationem excrementorum Nec sufficit magnitudo: quoniam hæc est ex copia spiritus, & ex actu, sed requiritur crebritas & celeritas ad actionem. Sic etiam irascentes augent pulsum celeritate, vehementia, crebritate, & magnitudine, quoniam vnitur spiritus contra res inimicas. Et febris quoque ira est spiritus contra noxios humores. Idcirco pulsus in omnibus differentiis auget: mœstitia vero, & gaudium auget solam magnitudinem: quoniam spiritus amplificatur, & expanditur; est tamen raritas, & tarditas in pulsu, quoniam nihil hostile habet in quod agat, & foueat: neque satis coquinæ vacandum putat, sed effundere se erga res lætificantes. At si accidat ira, statim pulsus celeratur & increbescit.

Qui ex copia & indigentia sunt.

Vinum hilaritatem, & pulsus magnitudinem facit: cibus magnitudinem, & celeritatem, & crebritatem: quoniam vino subito fit spiritus, & pauca excrementa habet, cibus è contra: vt nulli dubitandum sit amplius magnitudinem potius insequi actum: cele

Magnitudo actum, celeritas & crebritas actionem pulsus qua ratione.

celeritatem, & crebritatem, actionem:& vehementiam ad vtrumque. Et hanc in Medica arte lucem inuentori non inuidendam putent.

E ſpiritu robuſto aliquantulum non copioſo qui.

Qui vero ſpiritus copiam non habent, ſed non exilibus viribus præditum: hi pulſum habent paruum. Actus enim paruus actionem paruam communicat. Sed tamen celerem, crebrum, languidum tamen in primo gradu poſt fortem:hoc patet in fœminis,& in nobis poſt exercitium: tunc enim quoniam ſpiritus copioſitas exhalauit, reſpiratio, & pulſus fit de magno paruus: non enim poteſt edere actum magnum ſpiritus paruus:ergo nec magnam actionem: additur tamen celeritas propter indigentiam, vt ſpiritus ſubito reficiatur, & calor iam incipiens abire retineatur flabello pulmonis, & intrudatur in ſanguinem ad noui ſpiritus recreationem.

Magnitudo etiam obſtatet, quia igniculos paruos extinguit: quapropter ignem paruum parua flabellatione retinemus,ne vehementi extrudatur: at celeri vt cibo reficiatur; & crebra ne per interpoſitam morulam detur tempus elabendi. Sic quando à vẽto multo candela extinguitur,modica inſufflatione ſolet re accẽdi crebra celeríque,ſed magna diſſipatur modicus ignis,qui in elychnio remãſit.Ex hoc redditur ratio,cur in ęſtate,& poſt exercitium pulſus,& reſpirationes maiores,crebriores,celerioréſque.

Ex inopia & imbecillitate ſpiritus pulſationes, ac ſpirationes.

10 Quibus ſpiritus ineſt modicus, exiliſque viribus, diſſipatúſque,præſertim ſi in amplis vaſis:his reſpiratio,& pulſus paruus, tardus,rarus,languidus,vacuus, frigidus, & inæqualis,vt in ſenibus,& qui immodicis exercitiis, & immodica venere defatigati ſunt, & poſt febres validiſſimas: tunc enim ſpiritus modiciſſimus,& debilis eſt factus, nec poteſt mouere, niſi ſicut mouet ſe: & cum mouet ſe & non arteriam,fit pulſus deficiens in apparentia; cum verò neque ſe, inexiſtentia, & mors. In ſenibus ergo, quoniam arterias inſuper habent magnas, & duras, non poteſt pulſu magno ſpiritus eas diſtendere, cum ſit modicus copia, & robore: & propter rimas arteriarum, & corporis pateat iniuriis. Crebritatem ergo imminutus ſpiritus non demittit diſtractus,diuiſuſque, aut victus.

Appendix.

Non ex vſu,

EX modo dictis patet vſum non eſſe per ſe cauſam, ſed vrentem. Variari ergo pulſus ex vſu, non quatenus eſt de ſe aliquid,

quid, ſed quatenus vtentis, & idcirco nullas ab vſu proprias pulſationes accipimus, ſed ab agente, & materiali, & inſtrumentali, & formali: forma enim variatur, prout agentis, & patientis vſus requirit, & commoditas: ſæpè enim non quales vult, ſed quales poteſt edit pulſationes.

ſed ex cauſa vtente ſumitur differentia pulſus, & ex materiali, formali, & inſtrumentali.

Nec cum pulſus excedentes mediocritatem ob irritationem, & nouum vſum recuperant, ſedati prius raritatem, deindè tarditatem, ſeu tempeſtiuitatem, vt aiunt; & tandem æquationem, niſi ſpiritus ſit copioſus, & valens: vbi enim modicus prius, dum ſanatur, quæritat recuperare magnitudinem, deinde tempeſtiuitatem, & numeroſitatem, vt patet ex dictis. Semper autem quod primo deponit, eſt vehementia; quæ pugnæ gratia cæpit.

Quis ordo perditionis, & quis recuperationis differentiarum pulſus.

De eiſdem ex inſtrumentali cauſa.

ARTIC. IV.

1 EX iam dictis quilibet in qualibet affectione naturali, & morbifica poterit cauſas rimari pulſuum, & prognoſticari euentus, ſi addideris, quas ab arteria, & ſãguine varietates habet.

2 Arteria dura repugnat conſtrictioni magis, & magnitudini dilatationis, ſed ſi adeſt vehementia ſuſcipit & magnitudinem.

Qui ex duritie inſtrumenti fit pulſus ex mollitie.

3 Raræ texturæ, & rimoſæ vehementiam perdit, & dilatationi nocet, plus ſtudet conſtrictioni: plus caloris & humoris oſtendit. Denſa vtrumque abſcondit: prodeſt dilatationi, & conſtrictioni, non autem expulſioni fuliginum, idcirco quando multæ ſunt, & mordicant, contorquentur & arcuantur.

Ex denſitate & raritate inſtrumenti.

Arteria adnatas propius carnes & adipes habens, & minimum à lateribus motum edit, pulſum altum; etiamſi ſpiritus ſit mediocris, & non indigeat magna motione.

Ex circumſtantibus inſtrumentum rebus.

Cooperta deſuper multa craſſitie ſpiritum repræſentat humilem, præſertim ſi lata eſt, etiam latum, & debilem.

Diſcooperta & duriuſcula ex natura, vel accidenti, pulſum gracilem oſtendit: vacuáque ſimul ſtrepentem. Item longum.

Gibba, elataque in vna parte, in aliis oppreſſa, turgidum, & prominulum.

Ex figura.

Magis autem ſi & pulſus ſit maximus, vehementiſſimus, celerrimus.

Ampla arteria cum modico ſpiritu, paruos, & deficientes oſtentat: ſtricta cum multo, vehementes, arcuatos, vt infra.

De

De eisdem ex formali causa, varietate, & vsu.

ARTIC. V.

Cur & quãdo dilatatio vel constrictio maior, & minor.

1 FOrma motus est dilatatio, & constrictio; cuius correspondentia vocatur rhythmus. Quando igitur spiritus indiget cibo, & quiete, reuocatur ad interiora, & fit dilatatio minor, & constrictio maior, vt patet in somni principio; & assumpto cibo. Cùm vero spiritus amplus est, indiget dilatatione: creuit enim; tunc maior est dilatatio, quam constrictio, vt in fine digestionis, & somni.

2 Aliquando idem accidit ex causa morbifica in arterias intrante, vel interiora corporis petente: tunc enim spiritus intrò se recipit, & contractiones facit maiores, vt patet in febribus incipientibus: & in his, qui venenum, aut pharmacum assumpserunt, aut in visceribus afficiuntur. In fine autem febris dilatatio maior: quoniam spiritus fatigatus iam victor sese amplificat, iactátque, roborátque.

Ex affectionibus.

3 Omnis passio contristans cogit spiritum, & facit constrictiones maiores, vt timor, tristitia, pudor. Omnis passio exhilarans, dilatationes; quoniã spiritus sese amplificat, exitque foras, vultque videri beatus: sæpéque etiam corporis partes ad risum dilatat simul, vt in Phys. probauimus. Ideo oculi, & vultus nitent, & grandescunt spiritu pleni lucido. In tristitia eodem abeunte intrò, obscurantur.

4 Item contemplatio, admiratio cogit magis: incuria, paruipensio, dilatat.

Ex humoribus.

5 Melancholia cogit intrò, quoniam tetra fuligine reuocat spiritum ad pugnam, & terrificat. Sanguis floridus dilatat, exhilarat, forasque educit. Cholera roborat, vehementiamque dat pulsui. Pituita eneruat, debilitatem, & tarditatem conciliat.

Ex ætatibus.

Senioribus dilatationes maiores visuntur: non quidem vt refrigerentur; sed quoniam spiritus ocio indiget, & à cura consueta in cibi absolutione feriatur ob imbecillitatem.

In pueris constrictiones, quoniam semper cum cibo multo pugnant, & eius attenuationi, & concalefactioni vnio caloris, & spiritus, ergo & contractio conueniunt. Sunt etiam spiritus validi, & operosi in nutritione. Spiritus verò senum in rerum inspectatione, & prudentia. Has causas Medici non intellexere.

Non

7 Non valdè placet, quod rhythmus varietur ex quo plus temporis opus est in compressione ad expulsionem fuliginum, aliquando ad refrigerationem, vt aiunt: nam & in dilatatione fit expulsio, quæ in compressione perficitur, sicuti dictum est prius. *Correctio.*

8 Rhythmus degenerat ex vna ætate in alteram proximam, vel distantem, vel nullam, propter causas nouas spiritum, aut temperiem mutantes, de quibus in pulsibus morbosis erit sermo. *Documentum.*

9 Nihil autem obest, vtrum celeritas, an forma mutetur in rhythmis dum innotescit: & Gal. enim, & prisci rectè loquuti sunt Medici.

10 Sed quoniam causa formalis non mutatur de se, nisi quia agens, & materia, & organum mutatur, de quibus dictum est supra; ideò de materia restat sermo.

De eisdem ex causa materiali; quæ & inæquales miscet.

ARTIC. VI.

1 Materia, in quam editur actio pulsifica, est sanguis, & aër, in quem spiritus suum actum, & vim dilatat, vt spiritum generet: propterea que ligata arteria in parte, in quam sanguis & aër à corde non influit, non fit actio. Actus verò paruus fit ob timorem amissi alimenti, & non sensilis Galeno. Vnde & errandi occasionem circa originem pulsantis vis, accepit. *Cur non pulsat arteria ligata pars ad caput spectans.*

2 Quando igitur aër purus est, & sanguis purus benè coctus, faciléque in spiritus vertibilis, fiunt pulsus magni, tardi, rari, fortes, & æquales in rhythmo. Immo dilatatio solet amplior tantillum fieri. At si aër impurus noxiúsque, dilatatio minuitur, & pulsus; crescitque contractio. Manifestum est enim, quod cum per loca fœtentia transimus, inspirationem auersamur; expiramus tamen libenter. Vbi verò prata benè olentia, & viridaria aurantiorum, & rosarum: tunc multum inspiramus, attrahimusque aërem: expiramus vero modicum: ergo & in pulsu dilatatio maior ad trahendum aërem, constrictio minor, quod quilibet potest in suo experiri. Similiter dicẽdum est de sanguine púro, & impuro. *Qui pulsus & spirationes ex sanguine & aëre puris, & qui ex impuris.*

3 Impuritas sanguinis vel est à mistura fuliginis, & sic facit pulsus interruptos, alteratos, duplicatos: quoniam dum mouetur spiritus terretur, reuertique vult ad pugnam contra fuliginem tetram: & ideo in Autumno, regnante bile atra, pulsus inæquales fiunt: & alij inæquales, de quibus postea. *Ex impuritate sanguinis.*

Aliquando ineſt in ſanguine bilis flaua amara, quæ pulſum ardentem facit, & celerem, & vbi mordicat arteriam, in fugam vertit, ſurſumque, deorſumque agit, & æqualitatem prorſus mutat: addit vehementiam, cupiente ſpiritu fibras laxari, vt egrediatur mordax humor. Quandoque ineſt pituita, quæ conſtrictiones maiores cupit, vt confringatur, diſſipetur, attenuetur, coquatur: & quamuis in corde benè coctus ſanguis tranſit in arterias, haud tamen ſemper æqualis. Vapor quoque noxius multas ciet pugnas, & pulſus inæqualitates. Quapropter non ſufficienter Medici de cauſis pulſuum primariis loquuti ſunt, cum materialem cauſam, & potiſſimam omiſerint: ad quam tamen vel inuiti ſæpè recurrere coguntur.

Ex prædictis cauſis inæqualitates oriri, præſertim materiali, in ſanis, & ægris, & qua ratione.

Artic. VII.

Differentia ſpirituum, & ingenia ex cauſa materiali, & proinde pulſationum.

Qui ſpiritus qua ex natura, à quo calore ſiunt.

1 INæqualitatis ergo pulſuum cauſæ ſunt omnes prædictæ, cum à ſuo ingenio exorbitauerint, vel accidentaliter, vt in ægrotis; vel naturaliter, vt in ſanis: quales ſunt apud Strutium medicum Iacobus Braſauius, Thaus hiſtrio, & miles Turca, & alij; in quibus ſpiritus conſueſcit agere in ſanguinem: ſicuti ipſe ſua agitur vi. Vnde in Phyſiologia oſtendimus diuerſa hominum ingenia ex ſpiritus copia, & inopia: robore, & imbecillitate: puritate, & impuritate: craſſitie, & tenuitate.

Quæ differentiæ ex materia, vndè producuntur, & ex vi caloris varia enaſcuntur. Calor enim multus ex impura, craſſaque materia, ſeu ſanguine, multos, impuros, & diſſimilares facit ſpiritus: ex lenta puraque, copioſos, puroſque: blandus ex craſſa tenues, ſemipuros; ex molliori, & laxiori craſſiuſculos, ſed puriores.

Optimus eſt copioſus, robuſtus, purus: à quo recedentes variant rhythmum iuxta gradum.

Raró ergo inuenitur copioſus, robuſtus, purus. Igitur iſte ſolus æquat dilatationes conſtrictioni, & pares paribus eiuſdem dilatationis, niſi inſtrumentum obſit; cæteri inæqualiter mouent: quoniam & imbecillitas, & robur cum impuritate pugnant.

Craſſi etiam multam ventilationem cupiunt vt abſoluantur, tenues modicam, ne euolent: & quando miſcentur, diuerſos pariunt pulſus, & ſingulares.

Item imbecilli à copia ſanguinis obruuntur, & à vaporibus, exor

exorbitántque à solita expulsatione, vt patet in his, qui plurimo replentur cibo.

Quæ omnia non euenirent, si incorporea facultas, quæ à fuliginibus nil grauatur, moueret: multo autem minus illa, quæ in pluribus arteriæ fit partibus. *Pulsatilis vis in spiritu corporeo concluditur.*

Præterea nequeunt Medici reddere causas inæqualitatis naturalis, & cur qui pulsum habent naturaliter intermittentem, bene viuunt, cum in ægrotis sit mortale signum. *Medicorum defectus in causa exorbitantia naturalis.*

Medicos nec veras, nec sufficientes inæqualitatis pluralis pulsuum causas afferre.

ARTIC. VIII.

1 MEdici cum Galeno inæqualitatis pluralis causas nolunt ab vsu vllas trahi: impossibile enim aiunt subito vsum variari in vno pulsu, & immediatis in pulsationibus, sed ab instrumento inepto, & facultate imbecilli simul mistis. *Vnde Medici pluralem exorbitantiam pulsus deducunt.*

Instrumentum fit ineptum vel compressione orta ab humoribus circa locum arteriæ, & adnatis in partibus. Item ex tumoribus, scirrhis, &c. vel obstructione, à grossis, viscidisque orta: plenitudine nimia arteriarum, aut venarum coniunctarum. *Sex causa ineptitudinis arteria.*

Facultas vero vel redditur imbecillis, quia aggrauata est onere plenitudinis, obstructionis, compressionis: & sic facit pulsus inæquales anonymos: vel est infirma ob resolutionem temperamenti, & tunc facit pulsus tardos, paruos, crebros: vel quia distracta per cordis, aut aliorum membrorum diuersificatum temperamentum: ita quod aliæ partes cordis sint frigidæ, aliæ calidæ: istæque optant dilatari; illæ cogi: item istæ optant pulsus magnos, celeres, varios, vehementes: illæ paruos, tardos, crebros, languidos: & dum vtrisque vicissim facultas satisfacit, variat pulsationes, vnas post alias. Rursus imbecilla facultas, quæ faciebat paruos, tardos, languidos, crebros, facit myuros, reciprocos, & cum plus infirmatur, myuros non reciprocos: & tandem pessime, intermittentes, deficientes, abolitósque. Tandem intermittentem etiam dant robustæ facultati impeditæ: similiter intercurrentem, & ex mistura harum causarum oriri aiunt alias inæqualitates, superius dictas. *Causæ imbecillitatis in facultate pulsifica, & variationis pulsus.*

2 Sed profectò licet rectè adhibeant plenitudinem, obstructionem, & compressionem, & copiam sanguinis in ægrotis; haud *Non sufficit ineptitudo arteria, &*

rem pulſuum, cum ſine illa ex ſolo cogitatu in reſpiratione euidenter fiat, nec licet partire cor, & facultatem. Palam autem eſt, quod dum aggreditur ſpiritus dilatationem, vel impeditur à copia ſanguinis, vel à fuligine, vel impuritate alia, vel inſtrumenti inobedientia, quæ ex pluribus dictis cauſis ſolet oriri. Vnde neceſſe habet vel motum interrumpere, vel ſe retrahere ab illo ab alia cauſa reuocatus, iterumque inſequi: vel alterare eundem motum ipſe nouo ab accidenti alteratus: quorum plurima enumerauimus. Hoc etiam palam, quòd ſi ſequentem partem motus celerius, & maiuſculè abſoluit, indicium eſt plus poſſe ſpiritum, quàm cauſam interpellantem opus eius. Si verò languidius, & tardius, victoriam vrgere ad morbificam cauſam, vel impedientem quamcunque. At cordis intemperiem partialem id non eſſe patet, quoniam in ſanis, & ex ſolo cogitatu id fit.

temperie, vt Medicis placet.

Ratio 1.

2 Inæqualitati in diuerſis partibus vbi continua eſt, rectè traditur vis à corde defluens, quæ in ſuo decurſu debilitatur, ægritudine id ferente; ſed vbi fortior pulſus in longinquis à corde, non valet: ſed oportet ſpiritum alibi copioſiorem, & minus impeditum: alibi minorem, & impeditum addere: Idque in interciſo clarius; vbi Medici aſſignant inæqualitatem arteriæ in duritie, & mollitie: aut humores detinentes, ſcindentes & dirimentes facultatis progreſſum. Sed hoc perperam: facultas enim incorporea per tunicam communicatur, non per foramen, ſicut ſpiritus: ergo non ille, ſed iſte intercipitur, dirimitur, & alibi laborat, alibi liberior, pulſus edit inæquales in partibus.

Non ſufficit ad inæqualitatem diuerſarum partium facultatis paſſio varia, niſi ſpiritus, & materia, & arteria addatur variatio.

[3] De myuris prominulis facilè redditur cauſa ab arteria: Item à diuerſa eiuſdem plenitudine, de quibus ſupra.

Ratio myurorum prominulorum.

[4] Situm arteriæ mutant à tentione per ſcirrhos, inflammationes, apoſtemata, & per frigus. Verè quidem ex parte, ſed mordi[c]atio addenda erat, & horror ſpiritus à plenitudine humoris ter[r]ifici, quem fugere cupit, & nequit; ideóque contorquet vas, ſicu[t] ſpiritus ſerpentis ſuum corpus, vbi ſauciatur, in diuerſis parti[b]us. Ideóque non omnes inflammationes hunc ferunt pulſum. [S]ic æger totus ab aſſumpto pharmaco, vel veneno, ſe torquet, agi[t]at, mutat.

Ratio extorſionis arteriæ.

Examen causarum pulsuum complicatarum Medicis, & quas nos tradimus.

ARTIC. X.

Vndosi causæ complicatæ. 1 Complicatorum ex plurali, & singulari inæqualitate pulsuum causæ, eædem sunt complicatæ & ipsæ in nostro dogmate. Vndosum enim ab influxu humorum in arterias molliores multorum, & non æqualiter latorum, fieri nos, & Medici asserimus, dum virtus est fortis. Ipsi vermiculantem ex præfata causa fieri, si accesserit imbecillitas facultatis: formicantem vero iterum ex imbecilliori, haud tamen declarant, quo ab humore isti fiunt, nec Auerroës; qui ex se succedere istos arbitratur gradatim: cuius contrarium Medici experiuntur. Sed profecto ex imminutione spiritus fieri hosce oportet, qui parum se, minusque arteriam attollit: vnde in superfluis euacuationibus vermiculans transit in intermittentem, & deficientem. In acutis, & malignis, reperitur formicans resoluto spiritu: & contra morbum vix pugnare reliqua particula potente.

Caprizantis. 2 Caprizantis eadem causa, quæ de interruptis, & dicrotis, & alteratis: spiritus enim impeditur in motu: à quo impedimento si benè se expedit, fortiorem facit vltimam motus partem: si ægrè, languidiorem, nec propriè caprizantem.

Serrati. 3 Serrati causæ spiritus oneratus, instrumentum durum varie in suis annulis: & necessitas effugiendi id, à quo premitur, vel mordetur; non autem refrigerationis, vt Medici quidam docent. Cogitur ergo arteria attolli, & deprimi.

Conuulsiui. 4 Conuulsio arteriis communicari à neruis putatur Medicis, quia coëunt in suis ramificationibus: melius autem dixissent etiam, quoniam ab eadem alba, exanguíque cerebri substantia etiam deducuntur.

Vibrati. 5 In vibrato spiritus validus, & irritatus duritia arterię inæqualis, & necessitas mouendi cum resistentia, sunt causæ: maximè enim spiritus cupit materias inflammationis coquere, & expellere. Ideoque fortius arterias inobedientes commouet, præsertim morsus, & stimulatus à vicino malo; in quo Medici deficiunt.

Palpitantiũ & tremensu. 6 Palpitant cor, aut arteriæ seorsum, vbi flatu nimio replentur eiicere cupientes: tremunt ex imbecilli potestate, & membri grauitate: quod facultas attollere vult, & nequit. Qua in re dupliciter errant quidam. Si enim potest, vt aiunt, arteria illæso corde,

Error Medicorum.

& cor,

& cor immutata arteria, palpitare, & tremere; ergo facultas motiua eadem vtrisque non est; sed spiritus corporeus, cuius alia pars ibi, alia hic. Vnde quidquid dixerunt de pulsibus à corde duplici temperie mutatis, friuolum fuit. Item cum tremor sit proprius neruorum, & motus arbitrarij apud Galenum; non possunt arteriis tribui, nisi à spiritu mouerentur: ergo spiritus adstrictus palpitat, & diminutus, aut diuisus tremit, vt nostrum dogma fuit: quod in paralysi, & inedia, inque senio palàm.

7 De hectico pulsu rectè concludunt, quòd sua inæqualitas non immutatur, quoniam pars solida affecta est: sed non rectè spiritum eximunt: spiritus enim semper eosdem edit pulsus: quoniam eadem malitia perseuerat, nec varietatem permittit, cum sit in solido; & ipse non potest meliorari, nisi paululum ab assumpto cibo, vt patet in phthisi, marasmo & hectica. *De saturnini causis.*

Item antequam suppurentur fiunt pulsus hectici, qui exeunte pure cessant. Ergo non à solidi parte semper hecticus: sed ab vsu eodem permanente; quo dempto, cessat.

De Prognostico ex pulsibus.

CAPVT III. PARS V.

Diuinationem ex pulsu, & voce, & respiratione, fieri posse de ingenio, viribus, & ægritudine, & affectibus moralibus, & ægritudinalibus, & quomodo.

ARTIC. I.

1 CVm igitur ex dictis regulis causas cuiuslibet pulsus intellexerimus: facile erit prognosticari in sanis de ipsorum ingenio, viribus, & affectionibus; in ægrotis vero de euentis, & fine morborum, & cur hæc ægritudo hos addat pulsus, illa illos: passiones enim naturales, & sensuales etiam rationali communicantur per accidens.

2 Præualent enim ingenio non viribus, licet sanis, quibus spiritus inest sufficiens, tenuis, purus, blandus, & gracile corpus, & temperata viscera, id est, cor, iecur, ventriculus: & horum pulsus paululum deficit à forti, & magno; est enim æquatus, tempestiuus, numerosus, altus, blandusque. *Qui pulsus quod ingenium indicant, quas vires, & temperies.*

Quibus

&humilem,&omnes paſſiones ex pulſu percipiet,vt Galenus,& Eraſiſtratus & alij multi fecere , per regulas iam datas : licet ipſi non niſi affectus rimati ſint. Cùm enim ſuſpirantem videris abſque cauſa iuuenem, & pulſum immutari plus ſolito in præſentia pulchræ mulieris,præ deſiderio exeuntes, & dilatantes ſe : at præ deſperatione, & timore ſimul ſe contrahentes, & variantes: palam fit quod ipſam depereat.Hoc etiam ex faciei immutatione in rubeam,dum exit ſpiritus cupiens videre , ſecumque ſanguinem rubentem rapit , ac ſtatim reuertitur intro,quaſi timens deprehendi:aut amatæ fulgorem non ſuſtinens, vel ſeipſum puniens, vt dicebamus in moralibus:palam eſt amor.Timor ex pallore, facto abſceſſu ſanguinis, & ſpiritus. Porrò ira ex rubore, & turbatione,& obſcuratione oculorum , & tumore muſculorum. Triſtitia ex depreſſione muſculorum : & oculorum exiguitate. De quibus omnibus in Ethicis dictum eſt. Qui autem pulſus fiant in his paſſionibus, recenſitum eſt prius.

ci affectiones ex pulſu: & quibus ex pulſibus cognoſcunt.

Nil mirum ſi dum reus interrogatur,pulſus variatur:vult enim ſpiritus exire, vt ſe defendat, & inſontem declaret:ac ſimul aufugit ne deprendatur:vnde interrupti pulſus,& alterati,& duplicati , & anonymi pro variis affectibus , mutuo ſeſe præpedientibus.

Deprenſio rei qualiter ex pulſu, non tamen faciendum indicium.

Vidimus hominem ingenti timore perculſum falſo , ſtatim ægrotaſſe, pulſibus minimæ dilatationis,debiliſſimis , & in canitiem pilos omnes conuerſos: calor enim timidi ſpiritus introrſum actus ſuffocatúſque, pilos reddit albos , vt in Phyſ. oſtendimus. Præ nimio gaudio muliebrem ſpiritum confluentem ad lætificantem rem,ſeſéque ſua compreſſione ſuffocantem, & quaſi in aquam,dum totus ſimul ad oculos confluit,conuerſum,extinctum fuiſſe narrant hiſtoriæ certæ.

Pulſus ad mortem acti, & quæ mutatio.

5 Itidem ex voce, & reſpiratione mores, & affectus deprehenduntur : variantur enim magnitudine, celeritate, crebritate, vehementia, oppoſitiſque , non ſecus ac pulſus. Sunt etiam intermittentes, alteratæ , duplicatæ : Et quando non impedimento inſtrumenti ſic fiunt , indicium de moribus dant , & de affectibus : quando cum inſtrumento , ſimul de morbis & affectionibus.

Vox & reſpiratio analogiam cum pulſu, & conſignificationem habens.

Confirmatio causarum pulsuum, & prognosis ex dolore, & morbis analogis, & pharmacis.

ARTIC. II.

Pulsus dolentis. 1 AT & nostræ præsagitionis veritatem circa causas omnes dolor contestatur: quippe qui ex Medicorum testimonio pulsum facit solito maiorem, celeriorem, crebriorem, vehementiorem.

Cur. Quoniam spiritus colligitur, & armat se contra dolorificas & morbificas causas; non autem, vt aiunt, irritata facultas: quomodo enim irritatur quæ illis non sentit? & quomodo potest vniri, & augeri incorporea existens? & quomodo potest implere pulsum, nisi copiosa facta, vnita, corporeaque?

Item ait Aphorismus eorum. In processu facit minorem, celerem, crebrum, languidiorem: postremo paruum, tardum, creberrimum, languidum, vltimò formicantem.

Hæc autem accidunt: quoniam spiritus incalescens, & mouens valdè se, organáque, vt malum amoliatur, minuitur exhalans ex parte; ergo non potest implere arterias, vt edat magnum: facultas autem incorporea quomodo possit resolui, vt volunt, fingi non potest: immo perficitur, & augetur sua operatione, quod etiam spiritui accideret, si in proprio esset loco, sicuti sol. Deinde minutus spiritus omittit celeritatem, quoniam & robur, & tenuitas multa elapsa est: non tamen crebritatem: quoniam minor potest faciliùs repetere motum, non autem accelerare, vt diximus de formica. Et propterea tandem in formicantem degenerat. Sed cur non rarus, & deficiens, sicuti in vteri strangulatione? Hoc Medicis incompertum est, nobis planum: raritas enim fit cum dissipatur spiritus, & disiungitur à seipso in aliud membrum ex parte migrans, vt istinc in vterum. At vbi spiritus permanet, licet imminutus semper in sanguinem actum suum magis repetit, vt reficiatur, nisi tam modicus fiat, & impeditus, vt euanescat, vel nequeat, vt patet in deficientibus, & phthisicis, & cunctis grauioribus morbis: vbi spiritus pugnare non potest, nec febris adest. Quod licet alij pro bono signo accipiant, mihi, & Hippocrati, interdũ pessimũ videtur. Igitur cessante crebritate lethale est omne malũ post suum augmentũ citra victoriã naturæ. Et quod in dolore docuimus, in omnibus morbis est idẽ.

Item

Item in pharmacia, quoniam cauſa contraria eſt pugnans medicina ſpiritui, trahens humores ſibi conſimiles, ſpiritui inimicos; & donec exeant fiunt ſymptomata, qualia in diris morbis:& ſi non exiret pharmacum, nec digereretur, occideret procul dubio, ſicut & peſſimi multi occidunt humores.

Quid ſignificent ſingulæ differentiæ, & rhythmus in noſtro dogmate prognoſticantibus.

ARTIC. III.

1 QVapropter, vt à principio dicebamus, magnitudo pulſus in ſanis indicat copiam ſpiritus: in ægris irritationem, & vnionem ſpiritus contra morbum: paruitas in ſanis modicum ſpirituin: in ægris reſolutionem eiuſdem.

Quid paruitas & quid magnitudo pulſus indicat in ægris, & quid in ſanis.

2 Vehementia in ſanis, robur, & copiam ſpiritus vniti propter actionem, non propter actum naturalem: propterea à cibo, & exercitio, & ira ex tempore, & tempore ſolet addi. In ægrotis indicat prælium contra cauſam morbificam; & victoriam niſi degeneret, & vnionem ad pugnam.

Quid vehementia, & debilitas.

Debilitas poſt vehementiam indicat reſolutionem, & virium deiectionem in principio, vel impedimentum ſpiritus, vel inſidias morbi. Cum enim non pungit ſpiritum, nec vaſa eius noxia cauſa non irritatur, & ſæpè imparatum occidit: ſignificat aliquando inconfidentiam ad pugnandum, ex quo certa mors, ſi lethalis eſt cauſa. Vnde recte Hippocrates dixit, quod ceſſante febre ſine victoriæ ſigno, mortale eſt indicium; ſpiritus enim diffidit. Vnde non parum mirari licet Medicos, qui ex eo, quod cor frigidis contentis vexatur, & arteria calidis, vel è contra, pulſus temperari, & ſic non fieri febres docent: cum potius maior pugna pronuncianda foret, & pulſuum inæqualitas, ſi ſtant in his, quas reddunt de inæqualitate rationibus: & naturæ laudibus prouidentis ad omnia.

Correctio.

In ſanis autem debilitas indicat ſpiritus tenuitatem, & vaſa frigida, vel mollia, aut raræ texturæ, vt in ſenibus: & ſpiritum haud vnitum.

3 Celeritas in ſanis tenuitatem ſpiritus indicat, & calorem viuidum: ſi eſt cum magnitudine, etiam copiam. Adde opus regenerationis, amorémque. Sed cum paruitate, modicum ſpiritum ſui copiam operantem ſatagentémque, molléque inſtru-

Quid celeritas, & tarditas.

mentum aliquando. Item opus sequestrandi impuritates, vt in fœminis: ventilatio enim est ad spiritus absolutionem ordinata, ac simul ad extrusionem, nec facit nouum vsum: sed accelerat eundem. In ægrotis verò ad mali attenuationem, & expulsionem superuenit: indicátque impuritatem.

In mediis verò, vt quibus ab exercitio, vel venere, vel alia passione, fiunt celeres è tardis, indicat spiritus resoluti refectionem fieri: vel spiritum attenuatum, si resolutus non est, ex parte celerius ferri, vt solet, vel eleuato aliquo fumo pungi ad celeritatem: quæ omnia Medicus ex præcedentibus, & adsistentibus cognoscet. Et quidem celeritas citra resolutionem, habet magnitudinem comitem; cum resolutione paruitatem, & debilitatem: si autem additur celeritati crebritas absque magnitudine, peius est: significat enim anxietatem imminuti valdè spiritus, quærentis refectionem, nisi magnitudinem instrumenti durities impediat, vt dicunt Medici. At si impediat, ostendetur vehementia. Ergo.

Tardus pulsus in sanis cum magnitudine, copiam spiritus fruentis seipso, indicat; & expertem indigentiæ, & pugnæ: ergo etiam puritatem. In mediis affectibus hilaritatem. In ægrotis si aduenit post celeritatem, nec melius se habent, indicat spiritum imminutum, nec potentem, nec confidentem cum morbo præliari: vel distractum ad alterius membri opem, quod ex aliis signis discernes. Si autem est in principio morbi, indicat inualidum spiritum, vel instrumenta motui inepta, vel inconfidentiam, vt dictum est. In sanis etiam sine magnitudine, indicat spiritus modicitatem, & sui incuriam ex debilitate, & diffidentia, vt in senibus. Item vasa deprauata laxatáque, & pituitosam substantiam, ex qua reficitur.

4 Crebritas in sanis magnam refectionis spirituum curam, quales in pueris, & iuuenibus, & tempus augmenti, & calidas temperaturas: si tamen iuncta est magnitudini, & celeritati, alioquin sani non sunt.

Porrò si sola magnitudo deest, non calidum indicat temperamentum, nec studium nutritionis, sed spiritus paucos, & impuros humores, quorum purgationi, & refectioni accersitur crebritas, vt patet in fœminis, & in æstate, & in resolutis à dolore, vel exercitio. Et si contingat tarditatem adesse, vel morbum indicat, vel multam resolutionem, vt post immodicissima exer-

citia, & in æſtate, & in euacuationibus maximis: vnde & formicans ſequitur pulſus, qui ſemper ſpiritus pauciratem, & anxietatem exilem indicat: quæ in ſanis (cum poſſit ſtatim emendari quiete, vini potu, & odore, qui ſubitò ſpiritum reficiunt) nequaquam formidabilis eſt. Nunquam tamen poteſt crebritas in non ſanis, quantumuis diminutus ſit ſpiritus, deeſſe; quoniam ſui curam nunquam dimittit: at vbi incipit raritas, deliquium indicat, & ſpirituum diſiectionem, & abſentiam.

Raritas verò in ſanis cum magnitudine ſanitatem, & ſecuritatem ſpiritus à malis, & carentiam indigentiæ: at cum paruitate mollem arteriam, cedentem motui, & quietem permittentem multam; vel frigidos humores, paucóſque ſpiritus, & collapſam naturam ad ſenſum. Neque enim poteſt abſque tarditate etiam reperiri.

Crebritas verò in ægrotis, quæ non inerat eiſdem ſanis, ſi coniungitur magnitudini, & celeritati, pugnam validam robuſtorum, copioſorúmque ſpirituum contra morbos indicat, præter neceſſitatem refectionis, & expulſionis, quæ in ſanis contingit: cum paruo pulſu etiam reſolutionem ex pugna, & ſpiritus modicitatem non deſperantis, præſertim ſi velocitas adeſt. Qua deficiente impedimentum à morbo, & diminutionem ſpiritus, & aliquando arteriam duram indicant. Verùm demptis iſtis inopiam ſpiritus, & anxietatem reſtaurationis: & ſi pluſculum præualet morbus, in formicantem degenerat, & raritatem.

At raritas ex morbo peior eſt crebritate. Indicat enim ſpiritum non modò diminutum, ſed de ſua ſalute deſperantem, niſi tamen hoc accidat ex diſgregatione, & abſentia: quando enim aufugit ad interiora ob timorem, vel laturus opem, tunc raritas pulſus tantum eſt periculoſa, quantum cui ſuccurrit natura morbi. Patet in epilepſia, ſtrangulatione vteri, ſtomachi grauamine.

At ſi raritas non ex diſtractione hac, ſed ex ſpiritus diminutione, & exilitate fiat, victoriam morbi indicat, cui victus dat manus. Sæpè loquendo, aliàs moriuntur dormiendo, non ex cordis, & contentorum frigore, vt quidam opinantur: ſed quoniam ſpiritus permittit quibuſcunque prauis humoribus inuaſionem ſuæ domus, & caloris natiui extinctionem: ſiue fiat per prauorum humorum exuberantiam, ſiue ex intemperie, ſiue ſolutione continui in corde, & proximis arteriis: ſiue ex vlcere

pulmonis, qui reficiendo calori amplius non est aptus: siue quia sanguinem iecur non largitur: siue apostemate principalia viscera rumpente; quæ omnia ex aliis venabere symptomatibus, & causis. In apoplexia, & suffocatione à carbonum vapore ista omnia patent.

Quid mollities, & durities. 5 Mollities pulsus indicat arteriam mollem in sanis, copiam humoris aquei, & ætatem puerilem, & sanguinem multum, & pituitam, & calorem blandum. In mediis passionibus, vsum balneorum, natationem, potus abundantiam: aliquando in prouectis raram texturam humoribus præuiam.

In ægrotis verò hydropem, lethargum, peripneumoniam, coma, vel humorum copiosorum abundantiam, & caloris diminutionem: quæ ex aliis causis patent.

Durities verò in sanis, siccam, & gracilem temperaturam: & caloris adurentis copiam, & dispositionem ad marasmum.

In ægrotis verò præcessisse febrem ardentissimam, aut marasmum hecticámque; aut diuturnam quartanam; quæ solet in hecticam transire. Aliquando significat constrictionem ex balneis frigidis, ex niuis, & stypticarum rerum vsu insalubri. Indicat & tensionem, & spasmo, apostemate, tumore, inflammatione solidorum, &c.

De turgentis & vacui indicatione. 6 Turgidus copiam humorum in ægrotis, & plethoram. In sanis copiam sanguinis, spiritúsque, & arteriæ in latera amplitudinem, & subter loci inopiam. Vacuitas, spiritus, & humorum paruitatem, & aërem multum, vt in strepente.

Quid ardens, frigidus, & tepens. 7 Ardens biliosum sanguinem, spiritus vnitos, & arterias incapaces in sanis. In ægris excrementosum humorem exhalantem, & feruorem spiritus contra ipsum. Frigiditas in sanis, pituitam, & imbecillitatem spiritus. In ægris contenta frigida, & caloris inopiam in corde. Blandus vtrisque bonum: sed melius sanis. Indiget enim æger calore multo ad pugnam. De cæteris dictum est priùs.

De extremarum differentiarum significatione. 8 Extremi pulsus periculosi: sed meliores vehementissimi, celerrimi, maximi, creberrimi, calidissimi, plenissimi: quàm debilissimi, tardissimi, minimi, creberrimi, frigidissimi, durissimi, vacuissimi, aridissimi. Horum pessimus est debilissimus: post hunc minimus: mox tardissimus, durissimus, rarissimus. Durissimus æquè malus, ac mollissimus. Ille in inflammationibus, & apostematibus, iste in aqua inter cutem: comate. Frigidissimus vbi

exten

extensionem annunciat, superat omnes malitia. Vacuissimus si posset agnosci, abiisse animam, & humores vult.

9 Rhythmorum inæqualitas iam patuit quid significet. Contractio enim celerior, & dilatatio tardior in sanis, nutritionis celebritatem, & purgationis nunciat, & spiritus negotium in sua culina. Quod in somno, & post cibum, manifestum est. E contra dilatatio maior, refectum esse, & spiritus copiam, & victoriam, & caloris augmentum. In ægris contractio pugnam spiritus contra morbum; sed in principio fugam, dum tremit: mox aggresionem. Dilatatio victoriam, & ocium. De quibus supra. Æqualitas in vtrisque si naturalis, bona. Cætera superius prædicta sunt. *Quid rhythmorum inæqualitas, & varietas.*

Quid significent inæqualitates plurales, singulares, ordinatæ, deordinatæ; simplices, & mistæ in prognosticis.

Artic. IV.

1 PVlsus pluraliter inæquales in sanis impuritatem, & intemperiem indicare ex dictis scimus: ingeniorúmque detrimentum, & appetitiones præter naturam, & stultitiam. In ægrotis plenitudinem, obstructionem, compresionem: spirituum pugnas cum huiusmodi malis, & quibus ex humoribus aliæ indicant causæ, vt diximus ante. Similiter de fuliginibus, & contristantibus, & impedientibus, distrahentibus, dirimentibúsque causis. Crassus valdè est Medicus, qui plura dictis desiderat. Lunares gradata diminutione, & augmentatione quisque discernet quid annuncient. *Quid significent pulsus pluraliter inæquales in sanis, & quid in ægrotis.*

2 Intermittens signum lethale, si duas pulsationes omittit: magis autem si tres, aiunt Medici: nec quartam expectent. Et in iuuenibus omnino. Pueros autem, & senes aliquando ex hoc malo euadere. Quod verum puto, quando distractio, & non imbecillitas præstat intermisionem. *Quid intermittens.*

Immo & deficientem omnium pessimum, si distractione fit, & ad sensum, non addico internecioni.

Intercurrens securus, quoniam addit vt viuat, & vincat spiritus derepente ictum. *Quid intercurrens.*

De inæqualitate pulsus singulariter in vna parte arteriæ diximus causas, & prognosim. Sed nota quod Medici interruptum vocant nunciū mortis certum; quod veru est si ex debilitate fit, &

sequens

sequens attestetur minutio. Similiter in variato si in deterius secunda pars desinat.

Duplicatus non ita malus, aliquando melior, vt patet in respiratione: pessimum puto eum, qui nec finire potest motum, nedum duplicare. Et hoc semper considera, an distractio efficiat, vel diminutio. Vocatur pulsus iste apocopatus ex figura grammaticali.

Quid ordinati. 4 Ordinati pulsus in sanis boni, in ægris pessimi, quoniam stabilem morbi causam indicant. dico de inæqualibus ordine certo factis. Melior est in eis variatio: quoniam firmam causam non habent, & facile mutantur: quod Galenus non considerat.

Quid vndosus. 5 De complicatis vndosus ferè securus: quoniam expers inflammationis est, validíque spiritus: sed prauus in hydrope. Deterior si desciscit in vermiculantem; qui molles etiam arterias requirit; sed diminutas vires ex multis vacuationibus indicat. Maláque aliquando pulmonis pandit.

Quid formicans. 6 Formicans, nisi à causis fiat subitis, sed post mala, prostratos spiritus dicit; & mala, vt supra docuimus, extrema.

Quid caprizans. 7 Caprizans bonum spondet si verus, & crisim; quia &c.

Quid serratus. 8 Serratus malus, inflammationum, & apostematum index, & diuisi spiritus.

Quid conuulsiuus. 9 Conuulsiuus in principio ægritudinis mitis, in fine insanabilis.

Quid vibratus. 10 Vibratus in sanis non malus, nam ex terrefacto spiritu in mordicata arteria accidit, & cum expergiscuntur. In ægris malus, quia ex inflammatione, &c.

Quid palpitans. 11 Palpitatio flatum facilè euanescentem indicat: sed tremor in sanis resolutionem spiritus, aut distractionem: in ægris morbum capitis dirum, & in fine accensionum mortis nuncium: at in accensionibus dum timet spiritus præliari, & sese accingit, indicat recessum, & collectionem, vt in febribus.

Quid saturninus. 12 Hecticus saturninus malitiæ fixæ signum abominabile.

De pulsibus omnium febrium generatim, & qua fiant ratione.

CAPVT III. PARS VI. ARTIC. I.

Vid. li. 2. vbi de febribus. 1 FEbrem esse spiritus irritati feruorem contra morbificas causas pugnantis, ideóque calorem, & motum augentis, quo possit

possit eas attenuare, dissoluere, & expellere præsupponimus. Nec rectè Medicis videri calorem putridæ rei hostilis, ad quem extinguendum augeatur pulsus ad refrigerantis aëris introductionem; sed è contrà. Item non fieri ex affectu cordis, sed cuiusvis visceris, & solius spiritus. Idcirco tria genera febrium; ephemeram in spiritu: hecticam in solido: putridam in humido, statuimus.

2 Pulsus ephemeræ est à principio etiam æqualis, & subito fit magnus, celer, & creber, & tepens, veheménsque, respectu, inquam, naturalis in patiēte, & absque rhythmi varietate: nisi ventriculi, aut alia affectio tristitiæ, &c. simul accidat: fit enim solius spiritus purgatione, & ventilatione. *De pulsu ephemeræ.*

3 Hecticæ pulsus paruus, celer, creber, languidus, saturninus; cuius nec accessum, nec augmentum, nec recessum agnoscas. Vnde mihi videtur non esse febris, sed intemperies solidi, ad quam sequitur talis affectus in arteria, & spiritu. Vnde in marasmo simplici pulsus languidus, paruus. In calido paruus, celer, languidus, prominulus, exurens, arens. In frigido per exsiccationem, & caloris abscessum facto, vt in senibus, paruus, tardus, rarus, languidus: & in omnibus saturninus hecticus. *De pulsu hectica.*

4 Febris putridæ pulsus in principio velocior in contractione, in augmento acceleratur, etiam dilatatio: in vigore adæquatur. In declinatione simul minuuntur. Adest etiam varietas pulsus in principio, & medio: omnes autem sunt magni, celeres, crebri: sed superlatiue in biliosis. In quartanariis, & melancholicis, minores, tardi, & rarissimi præ aliis. In phlegmaticis æquè tardi, rari, molles. *De pulsu putrida.*

5 Solent admistiones aliarum causarum variare hos pulsus: nam si morbificæ causæ in corde exuberent, præualeantque, & in principibus sedibus, spiritus tunc affectus tardos, & raros pulsus edit: quod si & languidos, signum victoriæ ipsius morbi suffocantis vitalia, & spiritus. Si languor non apparet, spes est pugnandi. Cum enim pugnam non capessit, cedit, moritur: si capessit, tunc pulsus magnificatur, acceleratur. *Commistio causarū variat præfatos pulsus, primò in corde, & sedibus primis.*

Idem faciunt humores ad os ventriculi ipsum à pugna distrahentes: vbi si vellicatio, aut anxietas, aut singultus, aut vomitus, aut nausea, aut dolor, aut fastidium, oportet fieri pulsus paruos, celeres, crebros, languidos, & tandem vermiculantes. si adest aggrauatio, paruos, tardos, raros, languidos, inæquales. Vt videas plus à ventriculo ferè, quam à corde variari, sed vbique: quoniam *Secundo in ore ventriculi.*

totum regit ſpiritus ſyſtema animatum.

Item variat pulſus fuga ſpiritus ad interiora, vt ſæpè diximus.

Item importuna cibatio.

Humor paruus & vapor non dans tempus febriendi ſungendi lethalis. Sed ſuper omnia inſidiatio humoris, qui non ad loca ſpiritus fertur, ſed paruam exhalationem ad cerebrum, & cor emittit, nulla facta mordicatione: tunc imparatum ſpiritum lædit prælio ineptum: non enim in ſanguine, neque in extimis ſedibus, ſed in ipſo ſpiritu & ſuis penetralibus aggrauatur vapore, terretur fuligine, intemperatur calore: ergo non febris, id eſt bellum, ſed ceſſio, & mors. Vnde non rectè Medici dicunt latere febrem: quomodo enim non pulſent arteriæ in tanta neceſſitate? Concedant ergo febrem eſſe pugnam. Si enim eſſet refrigeratio ad extranei caloris imminutionem, facilè ſemper fieret, ſpiritu in pugna non occupato.

Cur moriuntur rectè pulſantes interdum. 6 Item quoniam febres peſtilentes fiunt in ſpiritu, in ſolido, & in humido, ſæpè ſeorſum à venenoſa qualitate fit, vt pulſibus rectè ſe habentibus moriantur patientes: non quia cor calet, & arteriæ frigent, & contemperant pulſum, vt ruditer quidam aiunt: *Non datur febris hectica peſtilens.* tunc enim cor contra frigus pugnaret calore, & motu. Sed quoniam venenum exile, ac vehemens eſt, & antequam ſpiritus prælio, id eſt febri, accingatur, occiditur. Ergo non datur hectica peſtilens, ſed dicitur hectica, quoniam non ſentitur pulſus immutatus. Sunt quidem pulſus languidi, parui, celeres, crebri, in aliis peſtilentibus; quoniam à ſpiritu incipit omnis peſtis, vt ſuo in loco declarabimus. Fit autem humoralis aliquando: quoniam ſpiritus in ſanguine actu ſuo actionem edens, inficit illum: & ſtatim deprauatus bubones, & carbunculos emittere ſolet. Sed propriè cor, epar, & cerebrum in furiam vertit, & exagitat. Quod de cerebro verè dicitur, & prius.

Quæ paſſiones morbificæ quos edant pulſus generatim.

ARTIC. II.

Regulariter quos pulſus quæ cauſa morbifica facit. 1 EX cauſis morborum generalibus, quas lib. 3. enumerauimus, deſtillatio facit pulſum mollem, & vndoſum. Inflatio tenſum, & palpitantem, inæqualem, & paruum. Euacuatio crebrum, formicantem, & vacuum Repletio inæqualem, paruum, intermittentem, languidum. Ariditas durum, crebrum, languidum.

dum. Frigefactio etiam paruum. Calefactio celerem. Tumor tensum, & vibratum.
2 Verum quoniam effectus non respondet causæ agenti tantum, sed etiam patienti contemperatur: propterea nosse oportet, quod partes siccæ affectæ prædictis causis, duros edunt pulsus: humidæ molles; compressæ, repletæ, obstructæ inæquales: tumoribus, & apostematibus affectæ tensos, sed secundum magis, & minus; non enim æquales omnes siccitates, & calores, &c. *Animaduersio.*
3 Item causæ mollificantes in duris partibus non efficiunt molles pulsus, sed medios; nec calefacientes in frigidis, vrentes, sed tepidos: propterea libet de singulis aliquid enunciare seorsum.

De pulsibus inflammatione varia affectis.

ARTIC. III.

1 GEneraliter inflammationis, id est, calidi tumoris, pulsus serratus & vibratus est. *Pulsus generatim inflammatorum.*
2 In pleuritide vero, quæ inflammat membranam succingentem costas, fit celer, creber, durus, vehemens apparenter, serratus. *In pleuritide.*
3 In suppurationis principio, quoniam est inflammatio, pulsus similiter inæqualis, inordinatus, hecticus: tensus, durus: serratus, præcipuè in suppuratione thoracis. Confecto pure fit paulo æqualior. Rupto, cessat labor spiritus in coquendo, & expellendo pure, assumptus: propterea fit pulsus latior, tardior, languidior, vt Medici testantur.
4 In peripneumonia, quæ est pulmonis inflammatio, fit celer, magnus, creber, mollis, languidus, vndosus, rarò vibratus, intermittens sæpè, & intercurrens, vbi serratus, & tensus non datur: quoniam à pituita fit repletio causans inflammationem, & pulmo molle instrumentum est, vndè vndosum producit. *In peripneumon.*

Alios tamen edit pulsus pulmo refrigeratus: alios calefactus; alios obstructus, vt patebit.
5 Inflammatio stomachi, quales omnis generaliter.
6 Inflammatio hepatis duros: similiter ex scirrho hepatis, & lienis.
7 Inflammatio diaphragmatis duros, tensos, paruos, crebros.
8 Vesicæ & vteri pulsus duri, sed vesicæ duriores, & dolorifici magis.

In cerebri calida intẽperie. 9 Cerebri eiusque arteriarum, & musculorum calida intemperies delirium adducit: & pulsus celeres, magnos, crebros. Verum inflammatio membranæ tenuioris, vulgò piæ matris, adducit phrenitin, & pulsus paruos, celeres, crebros, duros, mediocris vehementiæ; nonnunquam vndosos, sæpè trementes. Amputatus ob conuulsionem, tensos, vibratos, inæquales: horum ratio ex dictis patet.

Frigida. Frigida intemperies adducit fatuitatem; pulsusque contrarios, paruos, tardos, raros. Catalepsis autem ex frigido, siccóque humore, posticam cerebri partem irrigante; quo fit vt nec loquantur, nec audiant, nec videant; facit pulsum tardum, paruum, rarum, inæqualem.

At lethargus ex inflammata cerebri substantia non per se, sed propter eos, quibus irrigatur humores crassos, impuros, & superfluos, pituitosos; facit pulsum magnum, crebrum, languidum, celerem, vt in peripneumonia: sed tardiorem, & rariorem, minusque inæqualem, intermittentem magis, quàm intercurrentem: vndosum semper si sopor accesserit.

Calida, & humida intemperies adducit lethargicam phrenitim, cuius pulsus celer, creber, minus vehemens, latus, breuis.

De pulsibus morborum à destillatione, & obstructione.

ARTIC. IV.

Pulsus paralysis. 1 Morbi à destillationibus comites habent obstructiones, & cum fiunt in partibus exterioribus, in neruosa substantia, efficiunt paralysim obstructis neruis; cuius pulsus paruus, tardus, rarus, languidus, mollis: in quibusdam etiam creber & inæqualis, & parumper inordinatè intermittens.

Pulsus epilepf. & apoplex. Si obstructio est in capite, & in spina, fiunt epilepsiæ & apoplexiæ, non sine conuulsione: & fiunt pulsus minores, tardi, rari, languidi, inæquales. In maxima passione parui, crebri, languidi. Haud tamen rationabile est, quod de crebritate dicunt, nisi in magna passione.

Pulsus conuulsionis. 2 Si autem in musculos influat, & obstruat, fiunt conuulsiones cum pulsu tenso, non quia contrahitur, vt in principio febris arteria; nec quia dura, vt in tumoribus, & exsiccata morbis chronicis; sed tenditur in vtramque partem, sicuti corpus cauum, inane, quale intestinum dum tenditur vtrinque. Igitur sursum deorsumque

ſumque tenditur, nec diaſtolæ & ſyſtolæ apparent, niſi vibrationi ſimiles: exilit enim ad cutim arteria non æqualiter, ſed diſcriminatim, alia parte ſeſe attollente, alia deprimente, & alia celeriter, alia tarde. Apparet pulſus maior, & vehemens, cum ſit magnus, & fortis ob vibrationem; & ſtrepit in ictibus.

3 Pulſus podagræ, chiragrę, ſciaticę, ſeu iſchiadis; &c. quoniam ſine febre ſunt, fiunt quales in doloribus pro magnitudine doloris: ſi accedit febris; qualis in conuulſis, & inflammatis, & obſtructis. *Pulſus podagra, chiragra, &c.*

4 Angina pertinet ad obſtructionem gutturis, & inflammationem ſimul: idcirco eius pulſus qualis inflammatorum. Sed ſi ad pulmonem prolabitur obſtruens humor, fit vndoſus: ſi ad membranoſas colli partes paſſio migrat, conuulſiuus: ſi ad mortem, creber, & inæqualis. *In angina.*

5 Difficultas ſpirandi ab obſtructione, plenitudine, & compreſſione laryngis, arteriæ, pulmonis; ſi acuta fuerit pulſum habet inæqualem, inordinatum, intermittentem, deficientem; & cum magis ſæuit, languidum, & tardum; ad extremum verò crebrum, & languidum. *In difficultate reſpirandi.*

6 Suffocatio vteri ex detento ſemine, vel menſtruo, putreſcentéque, edit paruum, tardum, rarum, inæqualem, & inordinatum, aliquando tenſum, deficientem, & cum abolitione. *In hyſtericis.*

7 Icteritia ex veſicæ fellis obſtructione pulſum habet minorem, non celerem, non languidum, duriorem; & cum febre etiam celerem. *In ictericis.*

Ex pharmaco pulſus confirmantes dogma.

ARTIC. V.

1 QVi pharmacum purgatiuum ſumunt, ante vomitum, vel fluxum alui, habent pulſum latum, rarum, tardiorem, languidiorem: dum euacuant, & vellicantur, inæqualem, inordinatum: dum melius habere cœperint, ordinatum, ſed inæqualem, minus tamen, quam antea. Vbi verò propè ad rationalem ſtatum venerint, æqualem, maiorem, vehementiorem, quàm antea. *Affectiones pharmacia & ſtomachi quos pulſus ferunt.*

Quod ſi ſyncope corripiuntur, ſingultus adſit, vel anxietas, paruus iis, languidus, inordinatus, celer, & valdè creber eſt.

Qui autem opprimuntur ſtomacho, ſeu grauantur, paruus iis, languidus, inæqualis, inordinatus; non tamen celer, nec creber,

immo tardus est pulsus: apparet autem aliquatenus vndosus, & latus,& aliquando modicè tensus.

Conclusio pro nostro dogmate.

2 Ex quibus verbis Medicorum, ante Galenum, clare patet spiritum corporeum è capite non modò vitales operationes, sed etiam quas vocant naturales, obire in omnibus officinis, vt in corde,ita in ventriculo:& pugnare cum cibis,& cum pharmaco, & cum prauis humoribus, eodem ferè modo,eisdem pulsationibus,pro maiori, & minori necessitate;& viribus vtrinque æqualibus,& inæqualibus.

Probatur ex prægnantium pulsu.

3 Item prægnantium pulsus cum semper fiant maiores, & celeriores, & crebriores, manifestè indicant pugnam spiritus ad conuertendum alimentum, in sui,& fœtus substantiam; & contra retentum menstruum sanguinem. In fine tamen debilitata mater hac pugna, & onere, languidos edit pulsus, iuxta regulas superiori sermone traditas.

4 Pulsus ab ariditate in morbis,sunt quales hecticorum,& marasmi, de quibus paulò ante.

De pulsibus à putredine.

ARTIC. VI.

1 A Putredine morbi pulsus habent, quales humorales in communi.

2 In particulari, quales ab apostemate, qui topicam facit putredinem.

Cur venerea lue affecti quidam non febricitant.

3 Sed si in toto solido, & humido est similis qui in lue venerea, cuius pulsus sunt parui, tardiores, rariores, languidi, præsertim inueteratæ. Plerumque carent febre,quoniam non est cum quo pugnet spiritus, si tota substantia iam morbo occupata est, ipséque ligatus, & diminutus, vt vix actu suo actionem conficiat. Si autem febris aderit ex irritatione, vt solet in robustioribus, crebriores erunt pulsus, & celeriores.

De pulsibus ab inflatione.

ARTIC. VII.

1 PVlsus morborum ab inflatione, palpitantes, & tremuli aliquando,& deficientes in colica.

2 In hydrope aquoso, quem dicunt ascitem, paruus, crebrior, subdurus cum tensione.

3 In

3 In flatuoſo, quem tympanitem; celerior, longior, creber, non imbecillus, ſubdurus cum tenſione.

4 In phlegmatico albo, quem anaſarcam; latior, mollis, & vndoſus.

5 De pulſu tenſo, & duro verum eſt vbi abdomen tenditur valdè.

6 Minus periculoſa eſt, quæ minus malos habet pulſus in his ſpeciebus.

In affectibus cordis qui pulſus. Et correctio Medicorum.

ARTIC. VIII.

1 Cordis immutationes immutant pulſum, ſed non æquè repente atque cerebri, & ſpiritus cogitationes, & appetitiones.

2 Cor calidiſsimum in ſubſtantia, niſi excedat temperiem natiuam, magnos pulſus, & reſpirationes optat: non tamen celeres, niſi adſit extranea prauitas. Si excedit, minores optat pulſus, non maiores, vt Medici putant. Tunc enim refrigeratur, cum minus mouetur. Frigidum naturâ minores, ſed ex accidenti celeriores, vt incaleſcat: ſpiritus enim prouidet vt opus eſt, non cor. In hoc ergo etiam errant Medici.

Si inſpiratio eſt follis inſtar, non flabelli, nimio calore præter naturam, minores vult pulſus, & reſpirationes: è contra ſi flabelli.

3 Si contenta in corde calido ſunt frigida: pulſus maiores fiunt vt incaleſcant; non autem moderati, vt ipſi putant.

4 Quæ addunt de cordis, & contentorum varietatibus, nil ad rem. Semper enim putandum, quod ſi contenta officiunt, pulſus augentur, præſertim contractione, vt attenuentur, & pellantur: ſiue frigore, ſiue impuritate officiant, dum tamen ſpiritus valens eſt: alioquin aut cedit, aut fit mors; aut languidos, inæquales, & inordinatos pariet pulſus.

5 Verum hoc eſt, quòd durities cordis duros præſtat pulſus: humiditas molles: quæ autem pertinent ad vehementiam, & magnitudinem, & alias differentias, ſunt à ſpiritus copia, inopia, affectu, anxietate, ocio, negocio, vt ex dictis patet. Quam inania dicant Medici de duplici intemperie, & de arteriis ex corde diuerſis, ex dictis iam deprehenduntur. Tædet immorari.

De

De præsagio crisis ex pulsibus.

Capvt III. Pars VII. Artic. I.

1 QVemadmodum ex vrinis, ita etiam ex pulsibus præsagium futuræ crisis desumitur in acutis morbis: chronici enim tempore superantur.

2 Pulsus inæquales, & inordinati ob pugnam spiritus in coquenda, & sequestranda morbifica causa à locis nobilioribus: & quales in pharmacia.

Signa 25. futura crisis. 3 Indicia futurę crisis sunt molestæ noctes, deliria, comata, vertigines, difficiles respirationes, sonitus aurium, perturbatio sensuum, stomachi anxietates, capitis, colli, aliarúmque partium dolores: inuitæ lacrymæ, vanus ante oculos splendor: vrinæ suppressio, labri inferioris tremor, obliuio, ingens rigor, accessio paroxysmi præueniens: æstuatio multa, sitis inextinguibilis, nausea, clamores queruli: decubitus varij: prosilitiones è lecto.

Qui pulsus bonam crisim annunciant in qualitate & quantitate, & ordine partium eorum. 4 Bonam crisim prædicunt pulsus inæquales, inordinati, tam in actione plurali, quam singulari, & in rhythmo, si plures præcedunt, aut plures partes eiusdem motionis, maiores, celeriores, vehementiores, calidiores, & pleniores; quam minores, tardiores, imbecilliores, frigidiores, inaniores: & rhythmi paritas, aut velocior distensio. Et hoc certum, & verum, si partes motus, aut ipsi motus sequentes sunt meliores præcedentibus, idest vehementiores, grandiores, celeriores, vt in caprizante, &c. Certissima autem erit, si & coctionis signa contestantur.

Qui malam. 5 Malam crisim prædicunt pulsus inæquales, & inordicati, in quibus pauci meliores; & præcedentes meliores subsequentibus motibus, aut partibus; & constrictio maior, aut celerior dilatatione: cum enim vincit vigoratur, & amplificatur spiritus; & cum victoriam in suo actu præuidet, sicuti diximus in febribus, in quarum principio constrictiones maiores, & pulsus imbecilliores. In fine è contra si vicit. Sic & in cibis, & in pharmacia: vt vbique nostra sententia sit constantissima. Si enim dilatatio propter refrigerationem fieret, malum potiùs indicaret, & augmentum caloris præter naturam.

Si cruditas in vrina, & præfati pulsus mali, mortem sine crisi.

6 Si perfecta est crisis, pòst subsequuntur pulsus ordinati, & æquales, aut secundum naturam ægri, cum erat sanus: si imperfecta, & insalubris, non cessat inæqualitas, & inordinatio; & tunc

& tunc cauendum à syncope, & malis infælicioribus; & auxiliandum.

7 Pulsus altus, & vehemens ante crisim semper multas excretiones prænunciat: si tamen adsit inordinatio, & inæqualitas; alioquin modicas dabit.

Pulsus cum his magnus pollicetur crisim per sanguinis è naribus profluuium. Vndosus, si altus est, vel mollis altus, per sudorem: durus, per vomitum: humilis, per alui fluxionem; quorum ratio ex prædictis patet.

Nunquam desperandum dum robur & magnitudo in pulsu, quamuis inæqualissimo, & deficiente, & intermittente; si vehemens perseuerat, aut reuertitur. *Nota.*

De Respiratione.

Capvt IV. Artic. I.

1 Analoga est respiratio pulsui. Causa agens respirationis est spiritus animalis, mouens pulmonem, arteriam vocalem, & cor, & thoracem per musculos, neruos, & fibras. *Causa efficiens respirationis.*

Causa materialis est aër inspiratus, & expiratus. Instrumenta sunt pulmo, arteria spinosa, & thorax. Formalis est dilatatio simul tempore facta in thorace per musculos intercostales, & in arteria per annulatam molliorem partem. Vnde sequitur, ne vacua remaneat ab ore, & naribus, aër inflans arteriam, & pulmonem circa cor: tunc subsequitur compressio simul thoracis & arteriæ artificiosè facta, educens aërem, & cum eo fuligines. *Materialis, instrumentalis, formalis.*

Causa finalis est caloris in corde, atque spirituum retentio, & generatio, partim ex aëre, partim ex sanguine, in quem inflat: ac simul totius corporis irrigatio spiritalis, qualis manifesta est inter arterias, & hypochondria. Vnde sequitur vis in solidis, ad transpirationem: & fuliginum, & excrementorum eductionem: quo cessante tabescunt, calore solidorum non transpirante cum excrementis: sed laxante subiectum. *Finalis.*

Expirationis verò finis est eductio excrementorum cordis, & pulmonis, fortè & arteriarum: ac excreandi humores: & tandem formandi vocem ad significandum.

Idealis causa nobis non innotescit, nisi in follibus, quibus ignem in carbones intrudimus, ne exhalet, & accendimus, & generamus: quo cessante extinguuntur. *Idealis.*

Correctio. Ridiculi ſunt, qui putant refrigerationem ab aëre, & à cerebro, cordi opus fuiſſe, vt ſæpè oſtendimus, & qui marcorem faciunt ab augmento caloris exhalantis, & non potius colliquantis, vt dictum eſt prius.

Septena differentia reſpirationis. 2 Differentiæ reſpirationum ſunt magna, parua, iuſta. Item velox, tarda, tempeſtiua. Item crebra, rara, numeroſa. Item calida, frigida, tepens. Item difficilis, facilis, faſtidioſa. Item clara, ſtertoroſa, ſibilans: grauis, acuta, ſonora.

Differentia ex rhythmo in reſpiratione, aliter ac in pulſu. 3 Præterea datur rhythmica, & arhythmica. Sed cum ſemper quies facta poſt dilatationem ſit minor iuuante grauedine thoracis, & pulmonis, ad compreſſionem: poſt compreſſionem verò maior quies, dum alium expellit aërem, & quando mox attrahit. Rhythmus erit quando hæc ita ſe habent, non vt in pulſu.

Alia differentia reſpirationis ſumpta è differentiis pulſationis. 4 Præterea dantur reſpirationes æquales, & inæquales inter plures. Item in vna. Manifeſtè enim aliqua eſt interrupta, ſicut pulſus dicrotus, vt patet dum pueri lugent. Aliqua eſt caprizans, vt cum expirare incipimus, & facta pauſula plus expiramus. Datur etiam intercidens, & intermittens in multis, vt patet in ſuſpirio.

Extant etiam reſpirationes ordinatæ, & inordinatæ, & lunares: repetitæ & deficientes, ſicuti in pulſibus declarauimus, nec diuerſæ ſunt ab illis ſignificationis.

Ceſſatio à reſpiratione, & nimia reſpiratio aliam faciunt differentiam.

Conſideratio. 5 Præfatæ differentiæ aliter in ægris atque in ſani ſignificant, quando non ex voluntate variantur: facile eſt enim volenti quamcunque reſpirationem ſimulare, non autem pulſum.

Canon bonæ reſpirationis. 6 Optimè temperati hominis, atque ſimul organorum benè formatorum, reſpiratio eſt iuſta, tempeſtiua, numeroſa: tepens, facilis, ſonora, clara.

Reſpiratio quæ calidum copioſum, & robuſtum indicat pulſū. Qui autem temperamēto calidiori, & copioſiori ſpiritu abundant, magnam edunt reſpirationem, vel maximam, celerem, percalidam obſtreperam vocem: quoniam ſpiritus multus & inſtrumenta ampla, & dura, facilem quoque, & grauem; quæ differentia potius in ſono dignoſcitur.

Reſpiratio debilium & puerorum. Effœminati & pueri ſpirationem habent magnam infimi gradus, vel paruam, velocem, crebram, acutam: ſpiritus enim per arteriam ſtrictam, & molliorem tranſiens acutam edit vocem in fœminis, & pueris, ac ſimul flatum tepidum: frigidus enim eſt

proprius

proprius moribundorum; in quibus calor extinguitur.

Vox ſtertoroſa in ſanis ab anguſtia, & immunditia loci, per *Quid vox* quem tranſit. Vndè dormientes ſtertere dicuntur, quorum re- *ſtertoroſa.* *Quid clara.* boant nares, & fauces feruent: clara eſt ab amplitudine & munditia.

Sed acuta, & clara ab anguſta, & munda arteria. Vnde catar- *Quid ſimul* rho affecti obſcuram, ſtertoroſam, & raucam expirationem red- *acuta.* dunt, ac vocem: medio temperamento vtrinque differentias participant

7 In ſanis largior eſt dilatatio, & tardior: compreſſio vero bre- *Nota.* uior, & velox: ſed tamen vbi incaluerit extrinſecus, expiratio longior; & duplicata fit, vt calorem additum inſtrumentis efflet, & craſſos vapores: quod fieri è contra oportebat, ſi inſpiratio eſt refrigerandi gratia, vt in Peripato loquuntur.

8 In ſanis inæqualitas eſt à cogitatione, deſiderio, ſpe, aliiſque *Quid inæ-* affectibus primalitatum: vel ab inſtrumentis quid affectis. *qualitas.*

In ægrotis à paſſionibus morbificis vexantibus, vel ſpiritum, vel inſtrumenta; vel alium vſum requirentibus.

9 De caprizante, dicrota, & intermittentibus, reſpirationibus, *Ab iiſdem* clara eſt ratio in ſanis à cogitatione, & affectibus primalitatum: *eadem.* in ægrotis à morbificis ſpiritus & organorum.

10 In ægris quando ſpirationes fiunt ſimiles ſanis, ſalutares *Regula 1.* ſunt: indicant enim ſpiritum validum, & thoracem, & cerebrum: & pulmonem, & arteriam, & diaphragma, & fauces rectè valere, morbumque ſalutarem.

11 Quando verò ceſſat reſpiratio ſecundum rem, mors ipſa *Reg. 2.* eſt: ſi ad ſenſum, indicat morbi vehementiam: ad quam tollendam ſpiritus etiam relicta reſpiratione accurrit, vt in vteri ſtrangulatione, & apoplexia. Cognoſcitur autem inſenſilis, ſi flocci, & *Nota.* pili naribus admoti agitantur; & quidem ſi alia ſigna exitialia à pulſu, vel ab vrinis, vel ſymptomatibus comitantur, mors certa eſt.

Huic opponitur nimia reſpiratio ſecundum apparentiam, quando pectus maximè diſtenditur, & clauiculæ, & ſcapulæ, & alæ naſi mouentur; & tamen modicum aërem excipiunt, expirántque; quod ſignum eſt pereuntis ſpiritus, aut organorum reſpirationi ſeruientium, profligationis, & ſuffocationis naturalis virtutis: aut exitus animæ.

12 Prætereа lethalis eſt frigida ſpiratio omnis in ægrotis, & ſter-

torosa, quando non fit ab impedimento solo viarum, vt in simplici catarrho; sed à spiritu debili non potente expirare, neque impedimenta amouere: vt proprium est agonizantium; nec transit vt illa, sed perseuerat.

5. Item nimis calida, & fuliginosa, incen dium indicat intus, & quidem lethale, si alia correspondent lethalia signa.

6. Item respiratio intermittens difficilem indicat conflictationem, & sine victoria, si reuertitur, minor: magis autem quæ deficit.

7. Præterea interrupta, & caprizans, si in secunda parte dilatationis est fortior, dat spem: sin minus, è contra.

8. *Optima.* 13 Magna, & facilis, & clara, & grauis respiratio semper est bona: indicat enim facultatis, & instrumentorum salutem in ægris.

9. *Notabilis.* Magna, & velox indicat incaluisse, & opus esse retentione ignis in corde. Si autem & crebra, auctum indicat calorem magis, vt patet in his, qui incipiunt currere: primò enim magnum spiritum habent, mox etiam velocem; & addito exercitio calorem augente, crebrum habent, ne elabendi tempus detur: At immodicè exercitatis parua fit respiratio, sed tamen velox, & crebra. Idcirco in ægris paruitas resolutionem indicat, vnde & vocem acuunt, quoniam spiritus nequit replere arteriam; & per strictam exit modicus.

Grauis autem, & rauca, impedimentum indicat, sed spiritum multum, nisi raucedo gracilescat.

Regula. Tandem si fiat resolutio maior, cessat velocitas, & crebritas: vnde moribundi omnes respirationem habent paruam, tardam, raram, stertorosam: tandem & frigidam.

Præterea parua, & crebra, inflammationem, aut dolorem Medicis denotat in principali aliquo membro. Sed non necessariò ita est, nisi forte in spiratoriis: quæ, ne lædantur magis, spiritus rara, & tarda motione pandit. Sed consule pulsum, ne malè iudices.

Nota. Visum est Hippocrati magnam, & paruam indicare delirium: licet non omnes delirantes similiter spirent, quod verum est si delirium ex incendio, nec spiritum sinit proprium opus frequentare.

Suspiria etiam luctuosa si non à primalitatibus affectus incipit, sed à corporeis, qui intercipit actionem, deficientem animam,

aut

aut afflicta instrumenta monstrant. Cætera plana sunt ex dictis in cap. de pulsibus.

14 Difficilis respiratio semper mala, facilis semper bona, fastidiosa participat vtrinque: etenim semper aut instrumentorum, aut spiritus affectum bonum, vel malum, aut mistum indicat. *Regula vniuer, alis.*

15 Quibus respirationis organa conuelluntur, vel vitiantur, & vox vitiatur: at si manente r. spiratione non loquuntur: ij aut melancholico delirio tenentur, & nolunt loqui: aut linguam conuulsam habent, aut in cerebro crudelem affectum, cui amouendo spiritus detinetur: aut in alia parte corporis distractus dolore, cui succurrat, vocalib is non vacat functionibus. Sunt & quibus ita imminutus, & afflictus est spiritus, vt vociferari nequeant. Quapropter semper mala vocis priuatio, nisi ex critica causa, mox cessatura, fiat. Idem dic de voce clangosa, tremula, acuta, querula, interrupta, plorabunda, difficulter efformata. Quarum causæ ex affectibus spiritus, & vasorum, & organorum vocalium petendæ sunt; quæ si incendiosis morbis per exsiccationem conuelluntur, exitium indicant: sin aliter, pro natura morbi. *Regul's particularis.*

De præsagio ex somno, & vigilia.

CAPVT V. ARTIC. I

1 POst respirationem proximè necessaria ad vitam sunt somnus, & vigilia; ergo & proximam habent præsignificationem.

2 Igitur quando in ægrotis similes sunt atque in sanis, morbum salutarem denunciant, & è contra. Cum ergo ad interiora spiritus, & calor se confert post actiones exteras imminutus, vt se reficiat, & nutrimentum digerat, distribuátque: aut contra fumos cibi salubris agens, eos in se conuertat, vtilis est somnus: quod ex eo patet, quod suo tempore regreditur ad sensificandum, & mouendum corpus, ad opera arbitraria robustior, & passiones morbificæ cessant. *Regula 1. Qui somnus, & quæ vigilia salubris, & quomodo. si somnus, & vigilia naturalis.*

Quando verò non suæ refectionis causa, neque vtilium vaporum ad conuersionem fit necessario introrsum: se . morbifica causa viscera lædit, ad quam expugnandam vocatur: tunc somnus malus, quà somnus ex non somniferis causis; sed bonus *Qui somnus morbisus bonus.*

si vincat: quod ostendit melioratio sequens, & bonus pulsus, & bona respiratio.

Et qui malus. At si non regreditur ad opera exteriora, malus: significat enim non posse vincere, & grandem esse causam morbi, & in cerebro.

At si pulsus languidus, & mala symptomata, notant morbum inuincibilem, præsertim in acutis, & calidis febribus; quæ excoquere causas non potuerunt, sed potius spiritum resoluerunt.

Hinc veternum à phrenitide exitiosum dixere, & comatosi omnes à principio difficile sanantur; sed in augmento facti morti sunt proximi.

Qui somnus saluberrimus. 3 Somnus post vigiliam, & victoriam saluberrimus, & qui critice fit ex causa mox excernenda.

Qui pessimus. Sed à somno obmutescere, & conuelli, mortem proximam intellige, ex victoria morbi, vt ebriis aliquando contingit, nisi euomuerint, aut febri correpti fuerint.

Regula 2. 4 Vigilia in egentibus somno, in ægrotis mala: in sanis cogitatio superflua, vel calor superfluus, vel cibus multus, vel siccitas, vel aliud ad morbum disponens.

Regula 3. 5 Vigilia perpetua lethalis: spiritus. n. resoluit, crudos humores facit internos, corpus emaciat, præsertim in febribus ardentibus: ac si conuulsio sequitur, nil deterius. Solet & delirium exsiccato cerebro, & nimis attenuato spiritu fieri.

4. 6 Indicat vigilia dolores intrinsecos à causa calida, & inflammationes diras, quibus si somnus accedit grauis, & refrigeratio cum pulsu languido inordinato, mors superueniet: indicat enim calorem, & spiritum euanuisse ab incendio irreparabili.

5 7 Vigilia critica est bona, vt supra.

De præsagio ex motibus arbitrariis.

CAPVT VI. ARTIC. I.

Gradus simplex gradus necessitatis functionum ad vitam. 1 SEquitur motus arbitrarius, & quies arbitraria, quæ non sunt necessaria, vt pulsus in primo gradu ad vitam: neque in secundo, vt respiratio: neque in tertio, vt somnus, & vigilia: sed in quarto possumus ad arbitrium eis vti, & mutare.

Quid indicat inquietatio. 2 Inquietatio quando opus est quiete post laborem, mala: indicat enim dolores, aut in cerebro, aut in ventriculo, aut aliquo in membro nobili, aut accensiones crudeles.

Et quando totaliter aboletur quies, spiritus furit, & delirat nimio

nimio æſtu, & attenuatione: & ſic ad quietem non redit. Ergo cauſa perſeuerat, ſiue ex primalitatibus, vt amor, & cogitatio furioſa, & ſpes, & timor, & huiuſmodi: ſiue à corporeis affectionibus, vt vapor continuè infeſtans venenoſus, aut inflammatio, aut mordicatio viſcerum; aut dolor, quæ ex aliis ſymptomatibus innoteſcunt, & adeò præualent, vt ſeipſos occidant ægri, ne tantum inceſſanter dolorem patiantur. Rarò enim eſt quod non ſimul delirent.

Aliquando accidit à cauſa critica, & bene cedit; ſed à ſymptomatica praue: & cum præter rationem quieuerint, cauſa inquietudinis perſeuerante, lethale eſt ſignum. Videlicet cedere victam naturam, aut non ſentire.

3 Quando quies non tollitur, ſed minuitur, adſunt eædem cauſæ in ſpiritu, vel in corpore, vel in humoribus: ſed mitiores. *Quid motus minutio, quid abolitio, quid vitiatio, & à quibus.*

Quando variatur, & non minuitur, inſtrumenta ſunt in cauſa.

4 Similiter vbi motus aboletur, quando oportet moueri, malum; ſed non exitiale, ſi pulſus, & reſpiratio non læduntur: cito enim motu abolito fit mors in mobili ſpiritu: ſed arbitrarius motus ſi aboletur, indicat ſpiritum detineri grauiori cura, vt cum cogitamus quieſcentes; aut pugnam contra cauſas morbificas, vt hyſtericis accidit.

Si minuitur, indicat ſpiritus imbecillitatem, & imminutionem, vel inſtrumenti grauitatem, & læſionem.

Si vitiatur, in inſtrumentis, & cauſis morbificis eſt culpa.

5 Imminuitur motus laſſitudine: tollitur conuulſione: vitiatur tremore, horrore, rigore, torpore, palpitatione, ruptura.

De minutione motus.

ARTIC. II.

1 Laſſantur vel voluntariè, vt qui currunt, pugnant, laborant exercitio magno, ſtudio, inedia: & his ſpiritus minuitur, ergo, & difficile mouet pondus corporis; quod enim mouent tres, duo poſſunt vix. *Diminutio motus ex cauſa voluntaria.*

Vel inuoluntariè, vt à febre, vulnere, dolore, fœtore, quæ ſpiritum reſoluunt, aut grauant. *Ex inuoluntaria.*

Vel ſponte, vt ab humorum copia, vel craſſorum multitudine vaporum muſculos replentium, & ad motum minus aptos reddentium, & ſpiritum aggrauantium, ipſorum craſſitie eius *Ex ſpontanea.*

tenui

tenuitatem amplectente insensibiliter: & istæ spontaneæ lassitudines morbos prænunciant Hippocrati. In ægrotis verò nisi criticum abscessum denotent, malæ sunt, morbi causam augeri docentes.

De priuatione motus.

Artic. III.

Conuulsio totalis. 1 Conuulsio totalis omnem aufert motum, quando cerebrum, & spinalem medullam replet humor crassus, spirituíque transitum ad exteriora occludit: & hæc in sanis, & ægris perimit die quarto, vel prius: quarto transacto spes est, præsertim si febris, aut vacuatio accesserit.

Et partialis. 2 Conuulsio partialis, vt manus, oris, linguæ, cruris, medij corporis, tollit motum ex capite, qui est necessarius. Quando durat, occidit: sin minus, spes est.

Causa conuulsionis. 3 Etenim fit conuulsio vel repletione musculorum, & neruorum, vel arefactione ab ingenti calore, vel vacuatione neruos exsiccante, & viam spiritui adimente, ac spiritum resoluente: vel à frigore nimio calorem occidente, humidum gelante, & solidum proinde contrahente, vt accidit his, qui in niue, & glacie itinerando conuelluntur.

Conuulsio à frigore. 4 Conuulsio à frigore non est sanabilis, vbi perfecta fuerit, quoniam temperies, & collocatio particularum dissoluta est, & forma membri, & quando est totalis, occidit.

A calore. Conuulsio à calore deterior, quoniam resoluit humorem natiuum, & spiritum, & corpus suum immobile reddit: vt patet in quos fulmen offendit.

Regula. Propterea omnes conuulsiones post febres acutas ardentes, & post euacuationes multas à pharmaco, vel sponte, & ab assumpto veneno, præsertim circa membra nobilia, sunt exitiales.

A repletione. 5 Quæ autem fiunt à repletione, nisi sint vniuersales, vel circa collum, & os, viam cibo, & pharmacis negantes, sanantur, febre accedente, & calidis medelis, & cibis tenuissimis; maximè autem cum in principio morbi apparuerint, & in pueris. In quibus etiam quæ à calore, & euacuatione fiunt, curari possunt, cum sint humidi natura, & molles neruos obtineant, facilè ad mollitiem redeuntes. In his timeo magis ab epilepsia ex humidis causis obstruentibus, quæ sunt imperfectæ conuulsiones.

6 Conuulſiones tunc modo proſunt, cum ſunt ex critico exceſſu. *Singultus vnde.*

7 Podagra, chiragra,gonagra,iſchias repletione fiunt:ſuntque quædam conuulſiones, de quibus ſuo loco.

8 Singultum Medici motum conuulſiuum eſſe in ventriculo conante noxia excernere, vnde cum fit à repletione, ſtatim vomentibus ſedatur:cum ex inanitione,malus : præſertim poſt vomitum.

Puto etiam ſola mordicatione,& infeſtatione ſingultum fieri: vnde pueri nimis bibentes,& edentes,ſingultiunt: quoniam ſtomachus aggrauatur, aut mordicatur: propterea ab ileo, hepate, & liene,ardorem communicantibus ventriculo,fiunt:& ideo malum in febribus, non in ſanis. Quibus penſatis cauſis inuenies præſagia.

De vitiato motu.

ARTIC. IV.

1 Tremor eſt vitiatus motus totius, vel partis corporis, indicans ſpiritus non ſolum eam diminutionem, qua debiliter mouet,ſed maiorem;qua non niſi ex parte mouet. *Tremor quid*

Sequitur autem ad labores,coitus,febres,& cæteras dictas cauſas diminutionis.

Aliquando etiam læſionem muſculorum, & neruorum ſpiritui non obtemperantium ad motum. Læſio autem eſt à dolore, contuſione,vel medioeri conuulſione.

Aliquando timorem aggrediendi, & dum ſpiritus ex parte refugit,ex parte inuadit,diuiſus tremit.

Frigus tremorem facit cogendo, vel extinguendo ſpiritum mouentem; calor, reſoluendo; propterea in fine morbi, & febris, malus: in principio paroxyſmi ſolius timoris index eſt, niſi aliæ ſimul cauſæ adſint. Adde, onus etiam cauſa eſt tremoris.

2 Rigor eſt motus vitiatus accidens toti corpori ex eo, quod ſpiritus conatur noxios humores è venis ad cutem adducere:qui mordicant ſpiritum in fibris,& timorem ingerunt expellendi, vt manifeſtum eſt in febribus. *Rigor.*

Et ſalubres ſunt, poſt quos ſequitur calor in corpore, effundente ſe ſpiritu ad victoriam;& ſimul euacuatio aliqua per ſudores,

res, aut transpirationem, aut &c. & propterea apparent in principio pugnæ, & sedantur cum alleuatione.

Morbiferi verò, ad quos calor non sequitur, nec euacuatio, sed potius frigus, & stridor dentium, & perseuerantia rigoris: indicant enim naturam succubuisse, & expellere non valere: quod & pulsus contestabitur, & mutatio in peius, & conuulsio sæpè.

Horror. 3 Horror est ipsemet rigor factus in sola cuti, vbi humores acres eius sensum egrediendo stimulauerint. Frigida etiam aqua exterius horrorem facit spiritui cutis intro percutiens.

Sunt horrores boni, quos sequitur mali eductio, calor, & febris intermissio.

Qui febrem sequuntur mali, vt rigores.

In pulmonia & pleuritide, & apostematibus, puris egressus nunciant, vbi difficultas anhelitus, & dolor. Et iuxta rosionis materiam mali sunt: etenim & puncti horrescimus, & stridorem incisi suberis audientes; & quidquid spiritum lacerat, aut cutim.

Torpor. Torpor est quædam obtusitas, & obscuratio ad motum in compressorum neruorum poris angustiatis, & spiritu grauato, sicuti à nebulis aër. Et quando est in spiritu post febrem, & in acutis quædam ignauia, talis perniciosa est: indicat enim caloris extincti carentiam; sed ante grauedinem à vapore factam in dispositione, non in calore, nisi ex consequenti, & potest excuti odoribus; sed in neruis, & musculis applicatione calidorum.

Fit transmissione humorum à venis, & via est ad apoplexiam, epilepsiam, & paralysim, pro loci structura, & magnitudine: incipit in membro ignobili interdum, & augetur vsque ad nobile: tuncque torpor deterior.

Argumenta prognostici ex decubitu.

ARTIC. V.

Regula. 1 EX decubitu non voluntario, sed spontaneo ægroti, cognoscitur vis sustentatiua: etenim si positionem seruant similem sanis, facilè conuertuntur, alacriter assurgunt, discumbunt, stant, membra sustinent; optimum est signum salutis, è contra prorsus, mortale.

De positione ægri examen. 2 Positio non debet esse extremarum figurarum: neque enim debet corpus extendi ad pedes, & manus omnino, vt faciunt lassi,

si, & moribundi: neque contrahi, vt qui timore, aut frigore corripiuntur; genua ad os, & os ad genua curuant.

Sed neque supinus decubitus laudatur, cum sit proprius lassorum, & morientium, præsertim se se extendentium ad pedes, & caput retrò, vel ad pectus inclinantium.

Verum in latus, vitæ & roboris signum est decubitus.

3 Non modo cadauerum instar decubitus spontaneus (secus enim dicimus de voluntario ex quadam mollitie:) sed etiam casus è lecto cadauerosus, indicat matrem Tellurem ad se filium accersere: quando nimirum non ex somno, & ebrietate se se nudant, & ad lecti margines excurrunt, & cadunt: quod nos probauimus, & alij memoriæ mandauerunt. *De casu ex lecto, &c.*

4 Item cum residere, & assurgere in morbi vigore volunt, præsertim pulmonis, signum est naturæ volentis conflictum declinare, cui se imparem præsentit: & hoc præsertim in mansuetis, & fœminis, dum cum alienatione, & præter pudorem.

5 Qui in ventrem haud soliti decumbunt: iis venter, aut occiput dolet.

Prognosis ex toto, & partibus secundum prædicamenta.

CAPVT VII. ARTIC. I.

1 CVm vita res potestatiui sit, & ex pugna eius cum morbo: deinde ex motiua vi in triplici operatione prognosticati sumus, ante quam ad cognoscitiui rem, vbi de vita, & morte sit prognosis ex consequenti, quæcunque potestatiuum notificant, prosequamur. Hæc autem sunt qualitates passiuæ, & actiuæ: & color, & forma, & horum accidentia in toto corpore, & in partibus, quæ idealiter maximè innotescunt.

2 Igitur quando in ægroto hæc omnia sunt similia sanis, præcipuè autem eidem sano, morbi leuitatem, & salutem certam annunciant: quãdo dissimilia prorsus, grauitatem, & mortem: quando medio se habent modo, consule fortiora testimonia, & ea iterum, quæ à pugna, & motu scripsimus, & ab appetitoriis, & sensoriis scribemus: & verum proferes iudicium. *Canon generalis.*

Argumenta à calore.

ARTIC. II.

Calor sani. 1 CAlor in sano pro rata temperamenti est tepidus, blandus, copiosus,& æqualis in toto corpore:& cum biberint, & laborauerint similiter augetur calor: sed cum mollitie æquali, sed minori.

Calor ægri. 2 Calor ægrotantis est siccus, vrens,mordax,inæqualis:etenim & hecticis inest modicus, sed cum asperitate,neque in omni parte corporis idem:sed prope viscera inflammata ardor,& durities, & in vola,& plantis aridior.

3 Vehemens calor totius, vel viscerum periculosus: liquat enim corpora,& resoluit spiritum, & siccatis neruis efficit spasmum lethalem,& in capite phrenitim:circa ventriculum itidem lethalem phlegmonem indicat.

4 Calor in principio bonus,si declinante paroxysmo cessat: sin verò augetur,& perseuerat, lethalis: præcipuè autem à sudore, vomitu, & euacuatione.Permanens, aut succedens, perniciosissimus;indicat enim plus morbi intus latere, quàm exierit, & ad siccum spasmum,& phrenitidem, & hydropem trahit.

Argumenta à frigiditate.

ARTIC. III.

Sani frigiditas. 1 VEra frigiditas mors est:respectiua, id est, moderatus calor post euacuationes, sudores, vomitus, sanitas est: febris enim,idest,pugna,cessauit.

In ægris. 2 In acutis frigiditas intensior, lethalis:non enim sufficit calor viuificationi & pugnæ:& si perseuerat, deterius: non enim foras pellit malum, sed intus ab eo vincitur. Vnde febres salubres, quæ in augmento totum corpus æquè calefaciunt. Frigus positiuum à sudoribus,& euacuationibus, vel sola caloris exacta priuatio,mors est.

3 Frigus etiam extremarum partium in acutis, præterquam aliquando in hyeme,& senibus;mortiferum: indicat enim calorem intus vinci,aut solui,aut suffocari,aut extingui: quod mala signa sequentia,& præcedentia docent Si enim solum detinetur ad prælium,mox victor amplificans se exibit:si autem non recalescunt,peribunt.

4 Mutari ad frigus malum, præsertim si sitis vrget; ad calorem bonum: sed vicissim ad vtrumque mutari, morbi longitudinem prænunciat, & instabilem pugnam, incertam, & aliquando mortem: non quia natiuus calor abest, & additus ista facit; sed ipse natiuus auctus, & pluribus consulens malis, nunc intrò, nunc foras rapitur, & nunc accenditur: nunc debilitatur. *Regula generalis.* *Ratio.*

Argumenta ab humiditate, & siccitate.

Artic. IV.

1 NImia humiditas post febres, & in acutis hydropem; nimia ariditas cinerem, hecticam, & marasmum designat.

2 Mollities salubris: durities, & tensio cum dolore inflammationem, & apostema, & conuulsionem.

Argumenta prognosticorum à colore.

Artic. V.

1 COlor salutaris in ægro est similis sano sui: vnde aliter iudicabis de ægroto Æthiope, & Polono, & Italo. Similiter in atrabilioso, & sanguineo, & pituitoso, & cholerico, vt dictum est in Phys. & Mauri etiam in cute liuida rubescunt, & pallescunt; & cholerici pallescunt, cum sint natura pallidi, croceíque: sed distingues pallorem natiuum à morbifico in his ex notione: in sanis enim nitet quadam transpicuitatis participatione; in ægrotis opacior est. Consule ergo in cunctis nitorem, & obscuritatem simul, vt &c. *Quis color bonus.*

2 Cum rubescit æger, calorem cum sanguine egredi foras indicat; & quidem bonum, si interiora non mœrent: mens enim tristis, & vultus floridus accensionem, & dolorem in capite, dirum nunciant. Aliquando rubescunt criticè, cum ad nares properat sanguinis exitus, quod prius ex suis symptomatibus docuimus. *De rubore.*

Aliquando cum dolore pectoris; & tunc malus rubor in genis.

Quando ex febris accessione, bonus ex successu, signísque aliis scietur; sed rarò malus. Cum enim palluerint, calore intrò se vniente, rubescunt extra pellente.

Commendat etiam Hippocrates ruborem in faucibus, & pectore, & collo, in anginosis: quoniam malitia egreditur: vnde rubens

bens eryſipelas in acutis egrediens, morbifica repurgat, & carbunculi,& morbilli idem faciunt,ſi bene ſuppurantur.

De pallore. 3 Pallidus color, & albidus fugam caloris intrò, & defectum nunciat; & naturalis eſt omnibus à morbis vexatis. Et cum deſinit in liuiditatem, extinctionem caloris, & mortem indicat: magis autem ſi in liuorem. cadauera enim omnia prius liueſcunt, deinde nigreſcunt abſque nitore Maurorum, ſed abeunte ſpiritu lucido, albóque colore; vt carbo, flamma, & calore deſtitutus, ſicut in Phyſ. docuimus.

Quando criticè fit in regio morbo, bonus eſt pallor: non autem ſymptomaticè.

Viror. Viriditas incendio bilis naſcitur. Eſt enim tranſitus de pallore in virorem, ſi deficit lux, aut miſceatur opacitas,& craſſities, vt dictum eſt in Phyſ. Color iſte prauus, proprius venenatorum, liuor peſtilentiarum eſt inſignis putredinis: quibus enim papulæ,& maculæ liuidæ, & nigræ innaſcuntur, niſi benè ſuppurentur,& totum efferant malum, pereunt: non item ſi rubeæ.

Liuor. Quibus liueſcunt vngues, & extrema, ac frigeſcunt, prope interitum ſunt: niſi in ſanis id à frigore extremo paſſis.

Argumenta ab hypochondriis.

Artic. VI.

Hypochondria quæ ſana. 1 Hypochondria mollia, æquè calida, ſine dolore, ſine tumore, & tenſione, omnia viſcera benè valere indicant,& potentatum contentiuum ſaluum.

Quæ mala. 2 Si autem tenſio in his adſit abſque dolore, cum cæteris ſignis nuper dictis, criſim ſanguinis eruptione monſtrant.

3 Si tumor mollis,& ſine dolore in eis, morbus erit longus, ſed ſaluber.

4 Dolorem hypochondrij ſine inflammatione febris ſoluit, & cum inflammatione, perniciem auget.

5 Tumor durus dolens in hypochondriis, peſſimus: viſcerum enim nobilium apoſtemata,& inflammationes accuſat: ſi autem in muſculis hypochondrij, haud lethalis erit: neque in viſcere, niſi magnus, & non ſuppurabilis. Quod paruis accidit plerumque à trigeſimo die. Tenditur enim ſui, & diaphragmatis, & neruorum ſeptimi paris inflammatione, & iuxta horum affectus eſto iudicium alterum.

Exitiales ſunt tumores, & inflammationes perſeuerantes, & ſubſequentes euacuationem, præſertim paruorum; quoniam peiora remanent. Similiter ſi à ſuppuratione non ceſſauerint dolores, & ſymptomata.

Argumenta prognoſis à facie, & aſpectu.

ARTIC. VII.

1 SI facies ægroti ſimilis ſit ſanis, præſertim ſibi, nil timendum. Si diſſimilis ex morbo, & non ex inedia, vigilia, euacuatione, animi cura præualidis, mortem annunciat procul dubio: qualem Hippocrates deſcribit, videlicet. Si naſus acutus, caui oculi, tempora adſtricta, aures frigidæ contractæque, & fibræ eorum verſæ: cutis item circa frontem dura, intenta, arida, color totius viridis, liuiduſque, & niger: hæc enim cadauerum propria, ad quorum tendit naturam. *Facies Hippocratica.*

2 In oculis qui præcipuam habent indicationem, cauitas inſufficientiam naturæ, ad nutritionem extremarum, & delicatarum partium notat; vel marceſcentiam ex caloris, & ſpiritus abſentia. Item priuatio lucis innatæ, quando ſola exteriori replentur, ſicut vitrum ſine ſpiritu, peſſimum eſt ſignum: præſertim ſi immoti redduntur. Spiritus enim afflictus intus, non poteſt feneſtris ſe oſtentare. Item ſi lucem aufugiunt, & non ex oculorum defectu, ſpiritum melancholia afflictum, & imparem luci indicant. Item in acutis non videre, perniciosum. Similiter obſcurationes, & peruerſiones, niſi criticè fiant: quales ſunt poſt omnem euacuationem, & in fine acceſſionum: quoniam ſpiritus abit: multóque magis ſi febre arefacti cœcantur: & non ab humore craſſo perfuſi. *Ex oculis prognoſt.*

Item oculi feroces, horridi, audaces, torui, delirium pernicioſum ſignificant.

Item conuulſio oculorum lethalis in ardentibus: ſicut, & naſi, & palpebræ, vna cum liuiditate.

Item ſemiclauſis dormire oculis, & albumen demiſſum oſtentare, vt mortuis accidit: & non ſurſum, vt venereo in actu.

Item

Item si dolore in aliquo membro etiam ignobili exoriente statim oculis peruersio, aut caligo accidat. Indicat enim malum in cerebrum nobilissimum migrare. Hoc, & clausos semper tenere oculos, in acutis, cum aliis prauis signis; vtrumque lethale.

Rubedo in oculi albumine lethalis est phreniticis, & cerebro inflammatis, nisi crisim designet.

Venulas oculorum liuidas, aut nigras spectari, mortis est indicium verum.

Item lacrymæ inuoluntariæ in acutis.

Item exsiccatissimæ ariditates, & cum nictant, nec quiescere valent, fatigari diro morbo annuunt.

Ex auribus. 3 De auribus analogum est iudicium: liuidæ enim, frigidæ in acutis, mortales: & tinnitus, & acutus dolor in acutis non cessans, delirij signum; aut mortis, nisi suppurentur.

Ex naso, ex labris. 4 Peruersio, liuor palpebræ, aut nasi, aut labri, absque crisi, mortalis: spiritus enim vltimo ab his abscedit: si tamen alia signa consentiunt.

Ex dentibus. 5 Dentium liuor, & stridor in acutis, lethalis iis, quibus non est naturale. Cerebri, & neruorum exsiccationem, & conuulsionem indicant.

Argumenta ex linguæ passionibus.

ARTIC. VIII.

1 Lingua spongiosa cum immutatur non à cibo potúque, neque à cerebri destillatione, sed ab humoribus & vaporibus venarum, in quibus est morbifica causa, mirificè ad prognosim facit.

Quæ passio linguæ quas morbi causas indicet. 2 Lingua crassa, alba, cœnosa, pituitosorum humorum crudorum est index; & aliis symptomatibus eget ad iudicium vitæ, & mortis.

Flaua similiter, bilis multitudinem, præsertim si & amara.

Nigra periculosior adustionem sanguinis, & bilis, & resolutionem spirituum: patet autem cum & flaua liuescit, aut nigrescit.

Rubra solum in angina, & peripneumonia est mala. Indicat inflammationẽ nisi abscedat, quod fit vbi etiam magna fit. Magna tamen, & nigra lethalis, facta coloris albi resolutione ab incendio.

3 Arida lingua, aſpera, diminutaque, ingentis incendij index eſt: atque ſi ſimul induretur, diſrumpatur, vlceretur, lethalis incendij eſt, ſi etiam nigreſcat.

4 Puſtulæ nigræ in lingua mortem in ianuis annunciant in acutis.

5 Lingua aduſta abſque ſiti, mortem; niſi à cerebro irrigetur.

6 Frigida ſimiliter, mortem in acutis.

7 Tremens, & conuulſa mortem, præſertim in phrenitide, & vbi non à repletione.

Argumenta vitæ & mortis, & mutationum à cognoſcitiui accidentibus morboſis.

CAPVT VIII. ARTIC. I.

NVnc à cognoſcitiuo prole poteſtatiui vitam fundantis prognoſtica de morbis: & ſalute, ac exitio, aſſumere decet.

Ab omnibus ſenſibus.

1 OMnes ſenſus bene valere, beneque ſuo fungi officio, cerebri, & ſpirituum, & ſenſoriorum indicat ſanitatem in morbis; ſpondetque morborum, qui aliis in membris ſunt ſalutem: non enim poſſibile eſt fieri morbum magnum in aliquo membro, quin communicetur cerebro, ac ſpirituum vniuerſitati; nec mori hominem illæſis vſque ad finem ſenſibus; quamuis hecticis id magis eueniat; tactus tamen illis eſt vitiatus, aliíque ſenſus debilitati. *Regula generalis prognoſt. ex ſenſibus.*

2 Extinctio ſenſuum, vitæ extinctio eſt: niſi organa modò ſint vitiata. ſi enim optici, & auditorij nerui ſunt obſtructi, nequaquam ſentit animal; ſicuti ſi feneſtras habitanti domum claudas.

3 At quidem fieri nequit, vt omnes ſenſus ceſſent, niſi per mortem, aut per ſpirituũ ad interiora recurſum, vt patet in hyſtericis & dormientibus, & cordis grauibus paſſionibus. In ſomno enim principium ſenſuum ſpiritus ſentientes repetunt. In paſſionibus ad pugnam intro feruntur.

4 Cognoſcimus autem ſentientem animam viuere obſtructo vno ſenſorio, quia ſentit in aliis: obſtructis verò omnibus, quia pulſat, & reſpirat.

5 Eſt quidem ſenſus tactus in dormientibus, & inalienatis per

ecſtaſim, ſed non communicatur vniuerſitati ſpirituum, niſi excitētur. Ecſtatici verò puncti vſque ad ſanguinis emiſsionem non excitantur, quoniam mens copulata Deo, rapit ad ſe ſpiritum animalem propter ſymbolum primalitatum, ſicut ſpiritus animalis rapit ad ſe mentem in actu venereo, & in deliriis, ob ſocietatem.

Caput non eſt principiũ, ſed ſedes ſentientium virium.

6 Affectio cerebri non tollit ideò omnes ſenſus, ſicut putat Galenus: quoniam eſt ipſorum principium, ſed ſedes: Idem enim eſt dicere cerebrum ſentire, atque ratiocinari, vt domum ſcribere.

A Tactu.

7 STupor & torpor in ſenſu tactus, indicat, vel compreſſionem muſculorum, & neruorum, vti quibus crus ſubgrauatum obdormiſcit: vel vapores, & humores implentes: & propterea conuulſionum, aut apoplexiæ ſunt principia: vel extinctionem vitæ, quando ſequitur febres diras, & euacuationes immoderatas, ſpiritum reſoluentes, & neruos exſiccantes.

Ab Olfactu.

8 SI omnia ægrotanti oblata fœtent, putredinem multam in venis, & fœtidam exinde exhalationem habeat oportet, & lethalem cum aliis ſignis exitialibus.

A Guſtu.

9 GVſtu carere malum omnino. At ſi omnes cibi, & potus videntur amari, aut acres, aut ſalſi; talibus humoribus linguæ poros oppletos eſſe intellige; ergo vitiatum, non ſublatum guſtum.

Ab Auditu.

Correctio ex experimento.

10 SVrditas à delirio, & ardentibus febribus, mala, vt ſupra. Rumor & ſibilus aurium in ſanis humiditatem in auditoriis, & in tympano implantati aeris: ibique calorem ebullientem indicat: quod mihi ab humido cubiculo accidit: & iam poſt decem annos perſeuerat, abſque vlla ſenſus læſione; licet Medicis apoplexiam, & epilepſiam accerſat: credo tamen hæc ſymptomata dira eſſe poſt febres.

11 Qui autem Argiuus credebat ſe miris audire Tragœdos,

apud

apud Horatium poëtam; sonos credo multiplices, sed non voces recitantium in auribus habebat, nisi fingerentur à diabolis: nec ipsa imaginatio deprauata potest id efficere perpetuò, vt quidam Medici imperitè autumant.

12 Surditas critica bona ab oppletione: indicat cerebri humiditatem; à febribus, & euacuationibus, spiritus extinctionem, & neruorum arefactionem.

13 Idem iudicium est de visu. Adde & quæ paulò antè diximus.

14 Præterea qui vident in parietibus serpentes, monstra, & formas varias, his exiguus est spiritus à modica similitudine, quasi à re mobili; vel intus humores consimiles visis, & vapores insurgunt. Et cum affirmant sic esse quod videntur sibi videre, victi sunt à morbo, & delirant: cum minus, victores adhuc sunt. *Item ex visis.*

A passionibus memoriæ, rationis, imaginatiuæ.

ARTIC. II.

1 Obliuio frigiditatem cerebri, fatuitas in discursu humiditatem Galeno indicant: non quidem rectè; cum potius austrini venti calidi, humidíque vtrumque præstent; aquilonares verò sicci frigidique memoriam firment, ac discursum clarificent. Præterea calidissimi temperamento sunt obliuiosi, & in discursu perplexi, sensu tamen sagaces: quapropter, vt dicebamus in Phys. obliuio indicat tenuitatem, & vehementem spiritus calorem; qui statim atque genitus est exhalat, antequam communicet aduenienti spiritui suas passiones, & notiones: & hoc in sanis, & ægris. *Gal. 2. de causis sympt. cap. 1. Reprobatio.* *Propria sententia, vnde fit obliuio.*

Præterea indicat vehementem passionem, quæ delet alias passiones, notionésque statim; ideò non meminere, nisi eius, quod patiuntur; & hæc est ægrorum propria. Contingit quoque sanis cura graui detentis, vnde amatores omnia statim obliuiscuntur, & amasiæ solius incessanter meminere.

In ægrotis hanc passionem, in cerebro, & spiritibus: vnde sit inuestigabis ex causis & symptomatis.

Quando verò obliuio subsequitur post morbum, vt nihil præcedentium, neque sui nominis, neque doctrinarum, quas profitebantur, iam meminerint, simul ingens passio fuit; vt & resolutio spirituum nil aduenientibus communicantium præter

illam passionem, ergo & calidissimam oportuit esse: quam post si sequatur frigus, erit mors: si refrigeratio, obliuio, non quidem à frigore causata, sed ab exhalatione totali præcedentium spirituum à summo incendio, quo paucissimi seruantur, facta.

2 Si autem nihil in memoria accipitur, passio viget intus magna, non sinens alias imprimi minores: si verò non retinetur, tenuitas hoc facit, & calor nimius cum passione: frigoris enim potiùs est retinere.

Non in cerebro, sed in spiritu fit memoria & obliuio.

Imperite Galenus dixit *in arte medica*, optimam memoriam, firmam cerebri substantiam: & obliuionem, fluidam indicare: non enim in cerebro, nisi vt habitaculo; sed in spiritu, sicut in subiecto fit memoria, & obliuio: & siccissimi cerebro plerumque obliuiosi sunt.

Vnde fatuitas.

3 Fatuitas, id est, in discursu tarditas, & inertia, non indicat humiditatem, sed crassitiem spiritus, & copiam vaporis ipsum grauantis, & à discursiuis motibus impedientis. Et quando est sine sagacitate, sensus crassitiem notat, & vapores grossos ab humoribus. Quando cum sagacitate, calorem multum, educentem vapores fuliginosos, qui intercipiunt peruolitando discursum. Et hi timidi: illi socordes.

Delirium nō fit duplex i duplici cella cerebri, vt etiam putat Auerroës.

4 Perperam delirium imaginatiuæ à delirio discursus, Peripatetici quidam, & Galenus, distinguunt ex cerebri partibus: ita vt quando hæc læditur, discursus lædatur: quando illa, imaginatio: Cerebrum enim potest esse causa, non autem subiectum deliriorum, cum sæpissimè homines sani nihil oblæso cerebro, ex passionibus amoris, & iræ & aliis delirent.

Non læditur imaginatiua, non læsa discursiua.

Præterea, vt probatum est in Phys. eadem substantia spiritus imaginatur, & discurrit, & sentit, & reminiscitur. Et quidem reminiscentia est discursus ex præsentibus ad præterita. Discursus est sensus ignotorum, in cognitis: & motus ex his, ad illa: imaginatio ex notis fingit ignota, & nota, sicut pictor; & nihil horum sine ratiocinio; nec potest lædi alterum sine altero. Cum ergo quis videns lanceam in pariete, imaginatur se videre serpentem, peccat magis in iudicio discursus, quam in imaginatione: reuerà enim videt aliquid, siue foris, siue intra se; quod statim serpentem repræsentat, cui si credit; peccat in discursu, quoniam nescit discurrere,

& inuenire quod hoc apparet, & non est: si non credit, peccat sola imaginatio, sed ex parte: nam imaginari non potest, nisi moueatur. Et sicut in somnis videmus spectra, & reuerà repræsentantur, & sola ratio peccat, quoniam assentit, ex quo non potest discurrere ad hoc, quod apparent imagines, & non sunt res imaginatæ: sic accidit delirantibus ex praua imaginatione: quoniam morbo affecti, sicuti somno, nequeunt imagines à somno distinguere: somniant ergo vigilando, & vigilant somniando, & non dormiunt reuerà.

5 Sunt quidem alia deliria transeuntia cum accessione febrili. Et hæc sunt à vaporibus per feruorem febris factis in putridis, contra quos pugnat, humoribus delatis in cerebrum; à quibus spiritus imagines varias, & passiones suscipit: ita vt videatur videre, quæ non videt; & non videre, quæ videt, à passione interna detentus. Et si transeunt cum paroxysmo, indicant victoriam. Pro humorum autem qualitate erit delirij qualitas. *De deliriis paroxysmorum, & transeuntibus.*

6 Alia deliria permanent, quæ in sanis sunt desipientiæ, amentiæ, fixa in aliqua imaginatione praua: ex qua ad omnia, & ad quam ex omnibus discurrunt, de quibus in Phys. *De aliis modis deliriorum.*

Aliquando sunt discursus praui interrupti à fuligine, & transeuntes de vno themate in alterum, mox aliunde ex quavis leui causa exortum.

Aliquando sunt stupidi, vt nec discurrant ob crassitiem, vt supra diximus.

In ægrotis vero fiunt à calidis quandoque humoribus bile, & sanguine, spiritum agitantibus, mordentibus, & neruos, & cerebrum vellicantibus, & calefacientibus, & spiritus actus turbantibus.

Et cum bilis assatur, & spiritus mordicatur, fit ferinum delirium; vnde quoscunque vident, reputant hostes, vociferantur, toruè aspiciunt, súntque lethales plerumque, si in palpitationes, conuulsiones siccas, & tremores desinunt. *Delirium ferinum.*

Item à diris febribus, & euacuationibus exorti.

Item si refrixerint, & liuescant. Sanatos tamen duos vidi ex longo delirio, in quibus vires perseuerabant, & horum vnus occidit Iesuitam, ipsum admonentem.

7 Deliria hæc criticè bona sunt, vt cum bona respiratione, & pulsu, & sine ciborum fastidio; quorum contrarium lethale.

8 Aliud delirium est quietum. Vbi enim dirè diúque vociferati

De quiete delirij falsa. sunt,& effrænati,transeunt in affectum alterum, parum loquuntur, & videntur dormire, & non dormiunt, mouent se semper, sed leuiter; colligunt festucas, floccos euellunt, muscas venantur. Et his debilitatus est spiritus, & prauitas humoris cerebro imbibita,factáque quasi naturalis,nec pugnat cum ea spiritus: at in res aliàs futiles se exercet,quasi sui experimentum faciens alibi, vbi non oportet, necessaria omittens ex impotentia. Et hæc mortalia sunt post magna deliria, & febres. Et cum mutantur in plures affectus,plures causas indicant morbificas.

Delirium mite. 9 Sunt insaniæ somniferæ, quando pituita putrescit, & acrimoniâ vexat, & copiâ obruit spiritum. Atra bilis timidos reddit, & acutos propter causas in Phys.

Delirium lunare. 10 Sunt insaniæ lunares,quæ in Lunæ synodis,& diametris cum Sole,& iterum magis si saturninæ, & mercuriales stellæ configurabuntur. Vnde vexantur, & expuunt, transactóque aspectu sedantur,vt nulli dubium sit Medicum Physiognomiæ,& Astrologiæ expertem esse cæcum.

Signa delirij. 11 Signa delirij sunt,vbi quis dixerit,voluerit,& operatus fuerit,quæ non solet;absque ratione. Sunt signa, & in humoribus,& incendio ipsorum. Item in constellatione Lunæ, & Mercurij læsorum à Saturno,& Marte in angulo. Et pro domorum natura insaniæ naturam indicabunt,vt in Astrologia diximus.

12 Sicut spectra delirantibus, ita & somnia significant, alia choleram,alia sanguinem, alia bilem atram, alia pituitam. Sunt somnia ferocia,& læta,& mediocria, vt deliria: & ex eis regnantes,& futuri effectus morborum noscuntur.

13 Omnis passio vehemens in sanis, & ægris præter rationem agere cogens,est delirium:vt libido,auaritia,ira, quibus morbificæ analogantur,vt in primo libro dictum est.

14 Malefici deliria per virtutes naturalium faciunt, edocti à diabolo,& per contraria sanantur, & per religionem, vt dictum est contra Paracelsum,

Prognosis mutationum,& vitæ,& mortis ex appetitiui accidentibus in ægrotis.

CAPVT IX. ARTIC. I.

APpetitiuum cum sit cognoscitiui, & potestatiui proles vitalis,certa indicia nobis dabit.

Ex

Ex fame, & siti.

2 IGitur esuries, & sitis in ægrotis, qualis in eis sanis, & similiter nutritio, & separatio excrementorum quod ad odium pertinet, partem appetitiui, procul dubio sanitatem promittunt: præsertim si venereus appetitus, & delectatio comitetur. Omnia autem ista è contrario se habentia indicant mortem; si non omnia, morbum: si perseuerant, ruinam: si redeunt ad naturam, salutem. *Regula prima ex similitudine, & dissimilitudine, & mediocritate.*

3 Si nullus adest cibi appetitus in acutis, & longis, malum. Si æger etiam fastidit, & abhorret omnes, deterius: si alia contestantur signa lethalia, præsertim alui mollities. Significat enim naturam profligatam, & corpus non nutriri à cibo, sed nutrire cibum sui colliquatione, & excerni. *Regula secunda de nullitate.*

4 Appetitus diminutus, minus malum: vitiatus pro natura vitiantis. Appetunt enim carbones, & testas mulieres: & ægri res morbifici humoris nutritiuas, quando victi sunt ex parte. *Regula tertia de diminutione, & vitiositate.*

Item appetentia insatiabilis, mala putatur: quoniam totum corpus resolutum optat refici, aut acido, & frigido humore os ventriculi cogente fit: vt quando petunt cibos, manducántque vt sani, neque ex sensu suctus, & bona euacuatione præcedente fit. Mihi tamen insanabilis per tres menses affuit, & in loco frigido, humidóque lacte epotus: & cibis humidis nutritus euasi fortior quam ante morbum. *Historia.*

Nec moribundi edunt, sicut Medici putant, ex frigido humore inuitati, sed natura cedens morbo ad refectionem desperatam se conuertit, vt vel sic &c. *Correctio.*

5 Non sitire in acutis morbis, & arida lingua, si delirium abest, pessimum signum extinctæ facultatis, & spiritus resoluti, non quærentis amplius quæ corporis vitæ necessaria sunt. *Regula quarta de sitis defectu, excessu, vitio.*

Intensissimè vero sitire etiam malum, nisi cesset, quoniam irremediabile dicit incendium.

Sublata causa sitis, sitire, & non sublata, non sitire, vtrumque malum.

Ex nutritione, & innutritione.

ARTIC. II.

1 COrpus non nutriri, etiam sublatis causis, exitiale: at à principio indicat plethoram, vel cacochymiam, & purgationis indigentiam in his, qui non roborantur à cibo.

2 Qui

Incidunt quoniã pharmacum causas non extirpauit. Qui morbo correpti acuto non extenuantur, ſicuti ſolet: ij viſcoſis, craſsiſque abundant humoribus, & morbum prolongant,& ab aſſumpto pharmaco,niſi rationabiliter macreſcant, in recidiuam incident.

Regula valet in virtutis defectu, quo ſublato valet exceptio. 3 Qui vero à principio ſubito extenuantur cum facie Hippocratica,mortem non euadent; niſi externis cauſis ita afficiantur, aut ex vigilia, quod palpebræ indicabunt; aut propter inediam, vel euacuationem,vel curas.

In hecticis, phthiſicis, & poſt febres diras, maraſmo affectis, cauſa macici clara eſt.

Extenuatio ab incendio & in nutritione. 4 In hyeme,& corpore craſſo, frigido, & forti, & iuueni, macies eiuſmodi à principio certius malum:quoniam non niſi morbus eſt in cauſa.

Cauſa tumeſcendi morboſa quinque. 5 Intumeſcere corpora non ex nutritione, malum: aut enim propter ſanguinem rarefactum in venis, aut propter vapores multos in faciem delatos, aut propter excretiones in humorem tranſeuntes, aut propter inflammationem, aut propter iecoris deprauationem, conuertentis chylum in aquam,& vaporem in hydropem,quod vltimum eſt peſſimum:porrò tabidis, & ſuppuratis accidit tumor ex colliquatione in vaporem acta. *Sexta ex colliquatione.*

6 Quibus autem fit abſceſſus,& ex cauſa ſanabili tument,facile detumeſcunt meliorati:ſicuti etiam qui contra ventos auſtrales occurrendo inflati ad ignem ſubito curantur per ſudores, & tranſpirationes.

A voluptate, & dolore.

ARTIC. III.

1 AMor,& odium in appetitorio ſunt boni, atque mali quocunque modo, ſiue præſentis, ſiue abſentis affectum ſequentes eorundem paſſibilitatem, & notitiam, & de his dictum eſt: voluptas autem, & dolor ſequuntur ad receptionem, & notitiam ſequentis boni,& mali,vel ſimpliciter, vel apparentis.

Quid voluptas vera ſignificat in ægrotantibus. 2 Itaque omnis voluptas veri boni in ægroto ſaluberrima, vt ſi ab aſſumpto pharmaco,& euacuatione proba, & cibo,& potu, & ſuppuratione hilarior fiat, voluptatémque ſentiat, aut non doleat; in ægrotis verò ſufficit indolentia, quos vexatio præcedens non ſinit valdè lætari.

3 Qui autem apparenti bono voluptuoſè capiuntur, morbo victoriam dedere, veluti qui carbonibus auide veſcuntur, & cibis,

cibis, noxiis humoribus, quibus vexantur, similibus; similiter & potu: nam podagra, & chiragra affecti potu niuoso, & similiter febricitantes gaudent, & quo plus bibunt, plus sitiunt, & lætantur, & læduntur, ex eo quod extinguere calorem superfluum putant. Istæ voluptates ægros & sanos decipiunt, maximè vinosos, quorum temperies vinum appetit, sicuti putridus stomachus carbones.

Prætereaqui non dolent ex malo afflictiuo, praue se habent: abest enim sensus deuictus, vel extinctus.

4 Qui non sola mente, sed etiam sensu, purgatiuo pharmaco per attractionem lætificantur, & non potius tristantur, & abominantur: parum adiumenti ex ipso captabunt: & interdum indicium est causam morbificam attrahendam pharmaco, totum hominem in se mutasse; quo nil deterius.

Quoniam in his pharmacum nutrit morbum. Citta & rabies canina id probant.

5 Dolor acutus causam punctiuam, corrosiuam, & biliosam, & acrem habet.

Qui dolor quas causas habet, aut significat.

Dolor pulsatilis propè venas, & arterias fit.

Dolor grauis inter musculos, & viscera à crasso humore, & tensione.

Tensiuus dolor inflammatiuus est, & vaporis plenus, & humorum intra partes, & suppurabiles excretiones.

Dolor torpidus compressionem, aut musculi, & spiritus est.

6 Dolor cum ratione desinens post euacuationem, suppurationem, aut crisim aliam, aut medicinam, salubris est: qui verò ab his non cessat, perniciosus: magis autem si augetur.

7 Dolor ex membris nobilibus ad ignobilia transiens, salubris: abscessus enim morbi indicat salutem: ex ignobilibus vero ad viscera malus, & aliquando lethalis, pro aliorum symptomatum ratione.

8 Dolor in membris nobilibus perseuèrans, etiam post remedia, lethalis tam à principio, quam deinde exortus: transiens vero bonus.

9 Dolor in membris ignobilibus cum febre, & symptomatibus grauibus, pernicialis fit, dum communicat causam nobilibus; aut venenosus est.

Non enim febricitans, nisi & partes nobiles afficiantur.

A Coctionibus, & cruditatibus.

ARTIC. IV.

Quid coctio sit, & quid cruditas in lib. 2. dictum est, & in Physi.

1 PErtinent & coctiones, & cruditates ad appetitiuum, quatenus quod vtile est nutritioni corporis, spiritus separat, retinetque: quod inutile, aut prauum, separat expellitque: Coctio enim alterat per calorem, & quod alteratum redditur bonum, retinet: quod inuenitur malum, reiicit, vt qui farinam cernit. Sed quoniam in 2. libro quid sit docuimus, & in hoc vtimur coctione, prout ad expulsionem morbi, quæ per potestatiuum fit pugnans, est præparatio; opus enim istud imperatur ab appetitiuo, sed elicitur à potestatiuo, propterea non est addendum nisi hoc vnum.

Regula.

2 Quamuis in excrementis nihil sit separandum vtile corpori, & spiritui, coctio tamen fit in eis ad reducendum ea in statum facilem excretioni: dicuntur enim cruda quando resistunt impellenti præ sua duritie & malignitate, & adhærescunt vasis, & humoribus bonis ita fortiter, vt non possint excludi. Calor enim, & motus, arma spiritus, dimicant contra tales resistentias attenuando, & debilitando vires eorum, & secernendo à vasis, & humoribus, quousque sint ad egressum facilia, absque quo trahant secum bonas partes, & spiritum, & vasa affligant, vt ipsorum remaneat pars. Propterea coctio deducens excrementa ad existentiam nouam, quo pellantur facilè, est bellum, & victoria incepta: pulsio verò est finita victoria: subsequens sanitas est pax, & fruitio victoriæ.

Omnis actio naturæ fit calore, & motu.

Quid coctio finalis considerata, quid pulsio, quid sanitas.

Compendium cuiuscunque prognostici.

CAPVT X.

Prima consideratio prognos.

1 QVicunque ergo voluerit de morborum progressu, & salute, & morte rectissimè prognosticari: is ante omnia ægroti vires, & conditiones conspiciat in bona, vel mala valetudine potestatiui, cognoscitiui, & appetitiui.

8. Aphorismi pro notitia potestatiui.

2 Potestatiuum cognoscet ab effectibus, & signis, & causis. Effectus sunt pulsus, respiratio, & motus arbitrarius, & accensio sua contra morbum in motu, & calore. Item ex sequestratione, & bello, & victoria inutilium: hoc est, si benè mingit, egerit, sudat,

calefacit

calefacit corpus, dormit, vigilat.

Ex signis verò si corpus, & aspectus physiognomicus similis est sanis, aut ægris in colore, figura, decubitus positione, membrorum sustentatione, loquela, &c. in toto corpore, & in partibus.

Ex causis vero si iuuenis, aut senex, aut puer. Item si in æstate, hyeme, autumno, vere, anni & suæ ætatis, reperitur.

Præterea si biliosus, sanguineus, pituitosus, melancholicus, mœstus: & secundum magis, & minus, quæ omnia ex Phys. habes.

Præterea præcedens vita, victus, & exercitium: alia enim exercitia fortificant, vt rustica, temperata; alia debilitant, vt studium litterarum.

Præterea constitutiones aëris: etenim austrina aliter afficit, atque aquilonaris, & media. Respice & cælestes causas, cum figura natiuitatis ægroti, quò aphetæ perueniunt per directiones; & progressus, & ingressus, atque transitus planetarum super aphetica loca.

Præterea figura temporis decubitus, vbi Lunæ applicationes, & defluxus, & conuenientiam huius figuræ cum natalitia deprehendes: & intelliges vires ægrotantis, & à quibus causis iuuetur, & à quibus lædatur.

3 Cognoscitiuum ab effectibus cognosces, si bene videt, audit, olfacit, gustat, tangit, recordatur, imaginatur, ratiocinatur, iudicat, intelligit: an malè. Et quæ læsio quid significet; vt in hoc libello, & in Phys. docuimus. *Regula pro cognoscitiuo.*

Signa cognoscitiui sunt propositiones, & responsiones ad propositum, & contra. Actus serij, & deordinati: de quibus prius. Causæ sunt eædem cum potestatiuo. Adde causas, & obiecta exteriora, studia, amores, inimicitias, rei familiaris, & filiorum, & gloriæ, cogitatus, & huiusmodi, quæ variant actus cognoscitiui, & consequenter potestatiui.

4 Appetitiui notitiam habes ab esurie, & siti; & bona, vel mala manducandi ratione, cibi retentione, eiectione, à nutritione, & extenuatione, tumore, & cæteris affectibus, & signis. *Pro appetitiuo.*

Item ab amore, & odio rerum naturalium, & exteriorum, à voluptate, & dolore, & coctionibus in excrementis: quibus plus crede in morbis materialibus. At pulsibus plus in vocatis diuinis ab Hippocrate; quorum causa est occulta, non elementaris.

Secunda consideratio prognos. *Vnde natura morbi scitur.*

5 Post hæc morbi naturam inuestigabis, & magnitudinem, & consequentia. Natura scitur ex causis materialibus efficientibus, idealibus, & formalibus: forma enim, aut destillatio, aut inflammatio, aut inflatio, aut putrefactio, aut obstructio, aut rosio, aut vlceratio, aut &c. de quibus in 2. lib.

Sed statim accedas ad causas materiales, ex quibus videlicet humoribus, vaporibus, & rebus ortum habet. Deinde ad subiectum, quod tamen primum est, in quo sentitur dolor, & vide an sit membrum nobile, an ignobile: hinc enim scitur curabile ne sit, an non.

Item symptomata cum morbo exorientia, quæ vocantur Medicis pathognomonica: hæc enim indicant & locum, & causam morbi: aliter enim facit pituita dolorem, atque bilis, vt dictum est prius. Considera etiam causas exteriores, vt quas diximus in natalitia, & decubitus constellatione. Similiter aëris constitutionem, & anni tempus: morbi enim temporibus plerumque correspondent: vnde in hyeme catarrhi, in æstate tertianæ grassantur. Hinc etiam eclipses, & lunationes præcedentes considera, an pestiferum reddiderint aërem; & quo genere pestis.

Vnde magnitudo.

Magnitudinem morbi cognosces ex symptomatum quantitate: aut enim tollunt, aut minuunt, aut vitiant operationes potestatiui, cognoscitiui, & appetitiui: & iterum aut minuunt, vitiantque parum, aut multum: & an dolores sint leues, aut crudeles; assidui, an intermittentes.

Quæ consequentia.

Consequentia symptomata ritum morbi dicuntur indicare: & pro loci affectu, & magnitudine, & permanentia, & multitudine eorum: de eis iudica morbi vires, & inclinationes ad salutem, vel mortem: & in excrementis, & operationibus primalitatum relucent plurimum: maximè autem notabis quæ de crisibus loquuti sumus.

Tertia consideratio ex anni temporibus & aeris passionibus prognosis.

6 Quomodo anni tempora, & constitutiones aëris prænuncient qui futuri sint morbi, in 3. Astrologicorum declarauimus: hic autem quantum opus est diximus. Neque enim in æstate semper martiales, & solares morbi: in autumno semper saturnini, & mercuriales: in hyeme saturnini, & lunares: in vere solares, & iouiales, seu venerei: de quibus dictum est in hoc volumine. Sed enim variata constitutione aeris, alij miscentur [illegible], vt dictum est in Astrologia. At Hippocrates hominum solertissimus in Epid. dixit, constitutionem humidam austrinam [illegible] plurimum, paroti-

des.

des,carbunculos,febres ardentes,pestilentes.Boreales duas constitutiones epidemicas, ait ophthalmias, dysenterias, tenesmos, diarrhœas,biliosas febres,ardentes,semitertianas,erraticas,malignas phrenitides. Austrinam vero calidam humidamque, sine ventis pluuiosam, (qualis hoc anno Neapoli) narrat attulisse sacros ignes,citò vndique depascentes,oris vlcera,atque pudendorum; febres ardentes,phrenitides, lippitudines, tabes, internas inflammationes,tubercula in pudendis,abscessus ad suppurationem (quæ erat potius corruptio) venientes:qua caro,ossa,neruique integri decidebant. Hæc similia sunt accidentibus visis, quando lues venerea,quem morbum Gallicum vocant,apparuit ex cæli constitutione.

Profectò qui melioribus cibis, & potibus vtuntur (equidem parcitatem meliorationi antepono:) hi aëris constitutiones, & sidereas effugient magis; qua Socrates in Attica peste seruatus est:copia enim vel suffocat, vel putrescit. *Nota.*

At qui ad aliquem morbum inclinati sunt, siue ad phthisim, siue ad maniam,faciliores sunt ad ægrotandum,si constitutio aëris phthisica, vel melancholica acciderit.

Quando ergo Hippocrates ait,quod minus patiuntur,quorum ætati, victui,& complexioni conuenit morbus: intellige de symbolo in qualitatibus passiuis,& actiuis.Natura enim calidi,à morbo calido non ita afficiuntur,atque frigidi. Accidens enim conuenit subiecti naturæ. Propterea & nos magis afficimur à calore subtropico,quàm Æthiopes:ipsi vero cum ad nos veniunt,æstum nostrum pro frigido habēt,& hyemem nostram vix tolerant. Eodem modo astrologicè diximus saturninos à constitutionibus Saturni minus vexari, quam venereos. Cæterum scimus pueros morbillis, variolis,ephemeris febribus, & quotidianis obnoxios: & quando constitutio aëris,& sideris ita fert, statim afficiuntur. Iuuenes vsque ad trigesimum quintum annum febribus acutis, sanguinis expuitioni, phthisi, scabiei aptos: post hosce annos asthmata, morbos laterales, pulmonios, phrenitides, lethargos, dysenterias grassari. Senes spirandi difficultate, raucedine, grauedine, nephritide, podagra, ischiade, articulorum doloribus,aliisque à destillatione,& obstructione, corripi solent vsque ad mortem. *Declaratio Hippocr.* *Consideratio 4 ex ætatibus.*

Item spiritus mites,sanguis mediocres,bilis vtraque feros habent morbos. *Consideratio 5. ex subiecto.*

Ex mutatione morbi in morbum. 7 Hæc sciat Medicus, & quomodo morbi in morbos mutantur: & quartanæ in hecticas, si ardentissimæ fuerint; phrenitides in conuulsiones, & cætera, quæ de morborum naturis considerabimus.

Consideratio 6. 8 Deinde morbi cognitionem temporalem, an scilicet longus, breuis, medius: & ex hoc statum morbi quando erit, & crises, & symptomata, quæ accidunt, & sub qua cæli constitutione, & quando accidit indicatio iuxta prædictos sermones, vt expectes in sequenti quaternario finem.

Iudicium de morte, & vita ex consideratis quid, quomodo, & quando. Et si quidem signa coctionis apparuerint, & vires ægroti fortiores, & à cælo adiuti, & ab ætate, & tempore: morbi verò minores, quæ symptomata prima & secunda declarabunt: & cælum illis minus fauere: tunc salutem promittes in die decretorio, & hora accensionis: vel mortem, si e contra: vel prolongationem, & recidiuam, si nec vnde victoria, vt ex iam dictis facillimè deducitur. *Cautela.* Si tamen præcepta Medicinæ in curatione ab ægroto, & assistentibus ritè seruentur.

Finis quarti Libri.

MEDI

MEDICINALIVM LIBER QVINTVS.

IN QVO DE MEDICAMENTIS simplicibus, multipliciter agnoscendis, & applicandis, &c.

Qualitates medicaminum simplicium duas actiuas calorem, & frigus: & duas passiuas producere, scilicet humiditatem, & siccitatem: Atque has non agere, nisi mistura; sed agi. Et quomodo aliter in Medicina considerantur ista, hoc est solum ab effectu in corpore humano; & aliter in se, & de actiuorum gradibus, & cur multa medicamenta.

CAPVT I. ARTIC. I.



1 PLVRIMIS medicamentis indigemus, quoniam pluribus doloribus dolemus, à pluribus exterioribus contrariisque vexati rebus, & multiplicibus in partibus quoque multis.

2 Plurimis quoque dolotibus affici intrinsecus contingit, non quidem ex pluribus elementis, neque ex quatuor cõtrariis: quæ suæ naturæ oblita conuenere (vt aiunt veteres) & nunc quasi reminiscentia dissident: sed ex partium diuersitate, differentia, ac varietate. Diuersitas enim est inter mentem, & materiam, & calorem, & corpus, & reliquas hominis partes. Differentia inter spiritum, & humores, & soliditatem. Variatio autem inter spiritum capitis, & cordis, & iecoris, & ventriculi, & carnis fibris inhabitantem. Similiter variacio est inter sanguinem venalem, & arterialem, & cum qui in carnes exprimitur, & qui in renibus, cæterisque partibus. Varietas quoque est inter carnem musculorum, & iecoris;

An Hipp. bene in lib. de natura hominis probauit esse plures dolores, quia ex quatuor elementis, & humoribus quatuor constat homo. Tres oppositiones, omissa cõtrarietate, sufficere ad patria multa.

titudinem, & passionum.

ris,& cordis carnem,& renum,& manus, & pedis: idque varietatis inter ossa comperies. Dens enim à caluaria, & tibia varius, & vertebræ ab his, cæterisque. Immo pituita varia adeò est, vt disparatarum sit specierum: similiter & omnis humor,& fluor, & lentor, & viscositas, & vapor, vt in primo libro dictum est.

Præterea tota statua diuiditur in partes specie partiali distinctas vno modo: altero vero in organa diuersa potestatiui, cognoscitiui, volitiui, & operatiui. Diuersitas autem non contingit ex elementorum contrarietate,& dispositione varia, vt Hippocrati, Galenóque placet: sed quoniam aliud principium superelementare est in nobis; non enim cerebri temperies, aut iecoris,aut cordis, animæ sunt, cum anima extra corpus ad cælestia extendatur, temperies autem non vltra materiam suam. Differentia verò ex contrarietate non est, sed ex temperatura differenti secundum speciem: cooperatur tamen extrinsecè contrarietas elementaris, vt non fiant vnum similare corpus,sed heterogeneum, & difforme. Variatio tamen ex magis, & minus eiusdem temperiei fit, atque ex omni alteratione: posse autem ab eodem agente, ex eadem materia ob varietatem actionis,& repugnantiæ,& dispositionis, & modi agendi res differentes specie oriri secundum temperamentum, vt in Phys. declarauimus, si ad alicuius opificis ordinationem ferantur; quem naturæ præesse non est res aliqua, quæ ipsum non manifestet. Organa autem diuersa ex officiis, à primalitatibus egredientibus, oportere originem habuisse,ista officia, & propter finem certum agens natura declararunt.

At sine ideatione non formantur membra ad certum vsum.

Omnis humor generatur à calore, & secundum se calidus est; lib. 5. & in Phys.

3 Non igitur quatuor humores quatuor elementis in corpore humano correspondent, sed vnus est humor,cæteri fæces,& excrementa, stimuli, & vnguenta, ad operationes vngentia partes, sicut declaratum est. Dicuntur tamen alter respectu alterius frigidus,alter calidus, alter humidus, alter siccus, à prædominio: cum tamen omnes sint calidi ab vno calore, vnaque ex materia variè affecta exorti.

Generatio non fit ex contrariis æquatis, vt Hipp. neque ex inæquatis,vt Arist.

4 Similiter etiam,& medicamenta dicimus alia calida, alia frigida, alia sicca, alia humida, quamuis res nulla apud nos calida non sit; sed quæ minus calida, reputantur frigida respectu alterius, vel nostri, qui calidiores sumus. Sunt etiam medicamenta, quæ frigus extraneum possident, vt nix, & glaciatum vinum, quando

quando eis sic vti oportet. Frigus enim opus naturæ non ingreditur; sed necessarium fuit, vt caloris gradus retunderet, & partiretur, terramque defenderet, ne statim tota ignis fieret: vtque res differentes specie orirentur; dum calor variatur, & actio, & vires, & materiæ passiones.

vt nos in Phys. nostra probauimus: sed ex altero vincente ad ideatoris modum.

5 Omnia medicamenta agunt in corpus humanum, vel calore, vel frigore; per se calefaciendo, vel infrigidando.

Humores dicũtur frigidi respectiue, vel ab extrinseco.

6 Ad calefactionem autem sequitur in corpore calor, raritas in membro calefacto: aliquando per gradus. Prius enim ex denso fit lentum: ex lento, molle: ex molli, viscosum: ex viscoso, lubricum: ex lubrico, fluidum: ex fluido, liquidum, seu humidum: ex liquido, vaporosum: ex vapore, spiritus: & antequam ad hæc fiat accessus, producitur albedo, & transpicuitas, & motus: quæ enim corripit calor, sua facie donat, & operatione, quæ est lux, & motus. Est autem vbi hi gradus non discernuntur: potens enim calor ex materia lenta statim vaporem facit: & si dissimilaris est, remanet pars crassa, & exsiccata, scilicet priuata illa tenuitate, & humore, sub quo mollis, lentaque erat ex mistione: si verò similaris, totam in fumum agit, vt aquam dulcem.

Vitus frigoris que.
Materia passione: 8
A calore qui.
Passiones visa fieri per saltum.

7 Quapropter intelligas oportet quem calorem cui parti adhibeas: similari ne, vti est ros intra carnem, & forte spiritus? an dissimilari, vt est sanguis, & bilis atra? Item præpotentem ne calorem, an blandum? Siquidem potens calor similarem materiam statim dissoluit in aërem: blandus paulatim: dissimilarem vero calor potens exsiccat, statim educendo partem minus sibi repugnantem: blandus verò vtrasque fundit: non enim potest educere tenuitatem, sed simul in illam, & in crassitiem agit, quam per illam ad fusionem æquè disponit.

Qualis actio caloris robusti, & blandi, & qualis passio ab eis in natura similari, & in dissimilari.

8 Frigus vero prius frigefacit: deinde, si res rara est, vertit in liquorem: ex liquore duritiem facit, quando similaris est res. Vaporem enim in aëre, vertit in aquam: aquam vero in glaciem; non autem semper prius in lubricam rem, nisi illa sit nix, aut pruina. Neque in mollem, lentámque, nisi nix densior talis esse dicatur, ex qua deinde durissimum fit crystallum; ergo eisdem viis ambulat frigus, sed minus manifestis: quoniam eius actio, vt inualidioris, apud nos non satis clarescit, sicut caloris. Quando autem res dissimilaris est, totam indurat paulatim, sed difficile, ob tenuitatis resistentiam: ita tamen est eius actio, vt nihil sequestret, sicut facit calor.

Passiones à frigore.
Contra Arist. frigus congregat omnia, & calor disgregat omnia, sed dissimilaria seu heterogenea per accidens congre-

gat, dum segregat partes rarefactioni minus resistentes. Vide Phys.

Quod si citas vnionem materiæ, humiditas expansionem, fuitas à frigore, & calore sequantur.

9 Ex his ergo palam fit siccitatem esse frigoris condensantis opus, ipsiusque materiæ contractionem, vel caloris per accidens educentis, separantisque tenue à sicco. Ergo siccum & humidum non sunt duæ actiuæ qualitates, vt vulgo creditur: neque medicamenta agunt exsiccando per siccitatem, & humectando per humiditatem; sed vtrumque faciunt per calorem, & frigus, & sui admistione. Et horum gradus quærendi essent.

10 Item neque humor, & siccitas sunt duæ res, sed duo gradus eiusdem materiei. Summè enim vnita materia, qualis est tellus, & lapis, sicca dicitur: si autem modicum expandatur, dicitur lenta: si plus, mollis: si plus, viscosa: si plus, liquida: si plus, vaporosa: si plus, tenuis. Ergo durum, & tenue opponuntur tanquam extremæ passiones materiæ: humidum vero est vel tenuitas apud Philosophos, vel liquiditas, vt vulgus loquitur, qui omnia liquida, & aërem madidum, vocat humida. Et quidem Medici ita loquantur oportet, dicántque ea humectare, quæ liquiditatem, & vaporositatem aqueam producunt; hæc autem sunt blandè calida à prædominio. Non enim aqua generat aquam, neque lapis conuertit aquam in lapidem, neque vlla passio materialis consimilem producit, cum res non sit; sed calor, & frigus, quia res actiuæ sunt, vtrasque producunt.

Duo actiua medicamenta.

11 Quapropter nos duo medicamenta ponimus actiua: alterum calefaciens, alterum frigefaciens. Gradus autem horum ponimus facientes gradus materialium passionum; dicimus enim alium calorem condensare per accidens, alium lentificare, alium mollificare, alium viscosum facere, alium lubricare, alium fluidum, & liquidum facere, alium rarefacere, alium attenuare: ita quod octo sunt gradus calefactiuorum.

Medici autem quatuor gradus faciunt secundum plus, & minus caloris. Et quidem non ex arte, cum ab effectu potius distinguendi essent, quam ab imaginatione: similiter, & frigoris gradus alios septem ponimus; Nam ordine contrario vbi frigefacit rem tenuem, contrahit ad rarum: quod liquefacit, quod lubricat, quod viscosificat, quod mollificat, quod lentificat, quod densat, quod indurat.

De gradibus caloris, & frigoris.

12 Sciendum est in natura nullos esse caloris frigorisque gradus: ita quod vno emenso in alium fiat transitus; sed per continuam amplificationem, & diminutionem procedunt. Medicos

eos autem fecisse gradus, vt posint arte aliqua loqui certáque manifestatione. At cum ad effectus respicere deberent, quasi agnoscere illos non valentes, ex suo arbitratu quatuor gradus effinxerunt, cum sint innumerabiles. Nos autem ex nostra philosophia ad certiorem nomenclaturã ab effectibus iam progressi sumus: quandoquidem calor ipse per se à nobis partiri potest.

Quomodo qualitas passiua agit in mistis.

13 At quidem omnis materiæ gradus, etsi non agit effundendo se, & generando sibi similem; tamen cum miscetur alteri materiei eiusdem gradus, auget illam, vt liquidum liquido mistum, auget liquiditatis quantitatem, non rem, nisi sit liquidius quod additur: cum autem miscetur materiæ alterius gradus, minuit illam, & vicissim minuitur: non quidem materiæ quantitas, sed qualitas illa passiua. Si enim siccæ calci addis aquam, siccitas calcis minuitur, ac simul aquæ humiditas minuitur; & illa trahitur ad humiditatem; hæc ad siccitatem: non quidem passione, nisi etiam adsit frigus, aut calor agens, alteransque; sed sola mistione. Si enim perfectè separari queat aqua à calce, antequam à calore calcis in vaporem agatur, eadem quantitas aquæ, & qualitas superesse agnoscetur. Quod facilius agnoscitur, cum separatur à vino, aut à mica panis, aut à spongia: quamuis semper, vel ex motu, aliqua particula consumatur. Has ob res omne medicamentum, quod vocant siccum, aut humidũm, applicatum nostro corpori humectat corpus, & exsiccat mistione quidem, & additione suæ passionis, & cum sua etiam minutione: non autem actione, nisi quatenus calorem in se habet, vt aqua ardens, seu vitæ, exsiccat ventriculi humores, quoniam eos penetrat sua tenuitate; ac proinde attenuat suo calore, ac resoluit in vaporem: & tamen aqua humida est.

Aliter in Medicina, & aliter secundum naturam loquimur de humido, & sicco, & calido, & frigido.

Densior autem est carduus, ac plus siccitatis habens, & renitentiæ: tamen quia eius pars crassa est, succique plena, addit succis ventriculi de sua humiditate: nec tanti est caloris qui ipsam dissoluat. Et licet dissoluere sit humidius facere: tamen in Medicina, quæ respicit non quod fit in re, sed quod in nostro corpore factum resultat: quæcunque corpus in humiditatem, & vaporem resoluunt, dicuntur siccare: quoniam remanens corpus priuatum humiditate, siccius est: itaque ignis dicitur siccus in Medicina, quia exsiccat; sed in Philosophia humidus, quoniam ipse tenuissimus in humiditatem siccas res soluit, & vapores: & hic est eius effectus proprius: per

acci

accidens autem est exsiccatio, dum manifestat latentem siccitatem heterogeneorum: homogenea enim omnia in tenuitatem simul soluit.

14 Quapropter non dicemus in Medicina frigida, & calida, quæ verè frigida, & calida sunt, alioquin omnis herba calida est: neque sicca, quæ verè sicca sunt; alioquin soli lapides, & metalla, & tellus sicca forent: neque humida, quæ verè humida, alioquin ignis, aqua vitæ, marina, & aër, & tenuiora quæque, humidiora essent: sed omnia denominamus ab effectu in corpore nostro: ita vt dicamus calida, frigida, humida, sicca; mollia, dura, quæ calefaciunt, infrigidant, humectant, exsiccant; mollificant, indurántque, siue actione, sui amplificatiua, siue mistione sui etiam diminutiua; siue per se, siue per accidens: & hoc scire maximè necesse est. Qua etiam ratione Astrologi, præsertim Medicinam profitentes, vocant Lunam frigidam, humidamque, Mercurium versatilem, quamuis orientalem calidum, occidentalem frigidum: Venerem calidam, humidamque blando calore, mollíque humore: Solem calidum, siccumque in æstate: Iouem calidum humidumque: Saturnum frigidum, siccumque: cum tamen verum sit secundum naturam omnes planetas emittere lucem calidam ad nos, calidósque esse: sed per accidens ac respectiue dici frigidos, siccósque ab effectu in nos. Medicus ergo considerat res ab effectu erga nos: Physicus in se: Metaphysicus in se ad mundum, ad Deum, & ad omnes res, vt suo in loco declarauimus.

Ad Medicos.

Calorem differre à se subiecti gratia, robore, ac copia: & qui calor cui operationi à Medico intentæ deseruit: idem de frigore, & passiuis qualitatibus, & quomodo res calidæ quinque de causis frigefaciant corpus humanum. Similiter, & planetæ, & omne calefaciens esse actu calidum: nec rectè de calore, & frigore in potentia, & in actu, Medicos loquutos esse, nec Aristotelicos.

ARTIC. II.

Distinctio caloris ex parte subiecti.

1 CAloris, & frigoris essentia in seipsis non augetur, nec minuitur, sed in subiecto, in quo recipiuntur, amplificantur, & minuuntur.

2 Differt

2 Differt calor à ſeipſo in ſubiecto, robore, & copia. Alibi enim robuſtior, vt in carbone accenſo: alibi copioſior, vt in flamma: hoc autem accidit ex ſubiecti denſitate, & raritate: ibi enim vnitior: hic ſpatioſior, ampliórque.

3 Quicunque calor cuiuſuis medicamenti excedit noſtrum calorem in robore, & copia: ſimul illud medicamentum deſtruit corpus, vel illam particulam corporis, cui applicatur: nec affert ſalutem, niſi corrigatur, & per accidens.

4 Verum hoc medicamentum aut excedit robore, & copia omnes noſtri corporis partes, ſicut ignis; & tunc non eſt applicabile niſi de foris, & à longè: diſtantia enim, & minutio eſt correctio eius. Propterea non vtimur igne, niſi diſtanti, & pauco; Sole verò diſtantiſſimo exterius, & cum moderamine; in æſtate enim ſub vmbris eo fruimur ex parte tantum. Aut excedit aliquam corporis noſtri partem, vt ſanguinem, vel carnem, vel pituitam: & tunc vti poſſumus illo medicamento etiam intrinſecè ad illam partem, quæ indigebit calefactione tanta, quanta ex tali medicamento haberi poteſt. Sic ſtomachum vino maluatico calefacimus. Similiter dicimus de frigore per analogiam, & de gradibus caloris, frigoriſque, & paſſionum materialium.

Regula applicationis medicamentorum excellentium totum, vel partem: ex toto, aut parte.

5 Præterea aut indigemus calefactione ſubſtantiæ alicuius membri, aut ſolius qualitatis calidæ augendæ, vel frigefaciendæ. Si ſubſtantiam vis calefacere, adhibe medicinam caloris robore vincentem illud membrum plus minúſve: prout plus minúſve calefacere vis. Sin vero qualitatem; quod plerumque in iecore, & inteſtinis contingit: tunc adhibe medicinam copia, non robore, caloris, ſuperantem; alioquin intemperiem calidam, & duritiem quam abominaris, etiam in membro efficiet.

Regula ſecunda applicandi calidum robore, vel copia.

6 Manifeſta ſunt autem calida copioſè ex odore acuto, & laxa exilique materia; vt origanum, crocus, & ocymum, petroſelinum & huiuſmodi. Robuſtè autem calida ex graui odore, & materiæ denſitate, vt ruta, rhabarbarum, raphanus, allium. Frigida verò ex robore, glacies, nix: ex copia aër borealis, etheſiæ, aqua fontana.

Regula tertia; vnde ignoſcitur calidum robuſtum, & copioſum.

7 Eadem ratione ponimus quædam mollia robore magis, vt carnem bouinam, & ſenilem: quædam copia tantum, vt carnem puerilem, & ſuillam. Similiter alia robuſtè viſcoſa, vt viſcum, argilla, pituita vitrea: quædam copioſè tantum, vt pituita dulcis, & aqua paluſtris. Similiter diſtingues de liquore, vapore,

Regula analogia aliarum paſſionum conſimiliter diſtinguibilium.

 aliiſque

aliiſque ſiccitatis,& humiditatis gradibus. Robuſtior enim ſiccitas ferri, argenti verò copioſior; quia plures partes in eodem ſpatio, minúſque craſſas continet.

Correctio.

8 Verum quoad nos,& medicinaliter ea putantur ſicciora, quæ magis inſinuant ſiccitatem, vt pulueres penetrantes, & ſeſe miſcentes. Similiter molliora, quæ intrando mollificant: propterea fiunt vnguenta, embrocationes, infuſiones: de quibus infra.

Quæ dicuntur nobis frigida.

9 Quæ vero vincuntur à quolibet membro noſtro à copia, & robore caloris, illa reputantur frigida ſecundum Medicinam; vt cucurbita, pepon, aqua dulcis; quia verè infrigidant nos.

Quinque modis res calida infrigidat corpus humanum.

10 Quod multipliciter contingit. Primò reſpectiuè: blandus enim calor robuſtiori frigidi ſenſum apportat, non in eſſentia, ſed in materia: vt manus Medici ſano calida apparet; febricitanti verò frigida. Secundò propter extraneum frigus. Aër enim, & vinum, licet calida ſint; tamen frigore telluris infeſtata, ſenſum frigoris adducunt emanantis à tellure in ea. Tertio modo ex expanſione caloris in materiam medicamenti. Vndè qui erat robuſtus, & vnitus in membro, fit minor: quapropter medicamentum tunc dicitur frigidum, quoniam infrigidauit, hoc eſt, calorem minuit; hac ratione aqua tepens iniecta feruenti feruorem ſedat: calor enim feruentis expanditur in tepidam, & minor fit robore in totam; ſed tamen maior in copia. Et hac via operantur innumera medicamenta: & omnis hominis cerebrum poſt cibum quaſi frigeſcit: quoniam in vapores cibi calor cerebri dilatatur, quamuis blandè calidos. ſic & apoſtemati additæ medicinæ eius calorem ad ſe trahendo imminuunt. Quartò etiam infrigidant aliqua exitum præbendo calori ipſa calida: ſed blandè: ſic aqua tepidiuſcula ſuper cremato pede incruſtatóque poſita, aperit cruſtam viamque calori exhalandi præbet; ac ſimul materiam, in qua exhalet: aquæ enim tenuitas occupatur ab eo, effertúrque: ſic cichorium, endiuia, multaque tenuiter calida, jecur frigefaciunt. Idem facit acetum: quod cum adeò calidum ſit, acutumque, vt parietes penetret diruatque, & linguam laceret acumine; nihilominus frigidos intus effectus facit, aperiendo poros calori multo, vt exeat. Vndè etiam lac acetoſum in hecticis commendatur; quoniam acore ſuo penetrat ad membra interiora: ſecúmque adducit blandam ſubſtantiam, exitúmque

Dicitur blandus nā valde calidus vapor excalefacit.

que febrili parat. Mel autem quoniam obstruit, potiùs calefacit magis. Tandem quædam infrigidant, res calidas, nedum calorem, ad se trahendo: quæ, expulsæ simul, relinquunt frigidum corpus. Hac ratione rhabarbarum trahendo in ventriculum bilem percalidam, præsertim cum est febris causa: dum enim simul cum rhabarbaro educitur bilis, corpus remanet frigidum; & sæpè sine febris accessu. Quapropter quædam sunt frigida respectiuè, seu apparenter; quædam extraneè; quædam ab expansione; quædam ab exitu: quædam calidorum attractione: quædam pluribus modis iam dictis. quæ si Medicus ignorat, cæcutit in medicamentorum applicatione. *Epilogus.*

11 Quapropter imperitè Medici, Aristotelem secuti, vocant quædam calida in actu, vt ignem: quædam in potentia, vt vinum; quoniam vini calorem non sentiunt digito; putant potestate vinum calidum, etiam experti quod stomachum calefacit. sed quomodo potest actu calefacere, quod actu calidum non est? prius enim res est, quàm eius actio: & prius calor, quàm calefactio. Si ergo actu calefacere potest, & calefacit, ergo actu est calida. In potentia calida ea dicenda sunt, quæ possunt calorem aliunde accipere, vt calefaciant, sicut aqua fontana: quæ actu frigefacit, quoniam actu frigus externum habet in nostro dogmate; similiter aër. At in potentia potest dici calida, quoniam potest ab igne calefieri, ac proinde calefacere: sed cum calefacit, necessariò est actu calida ipsa, & omne calefaciens. Si calorem sopitum vocarent calorem in potentia, qualem nos in aqua ponimus, & in aëre, à frigore exteriori ligatum; aliquid meliusculè dicerent: sed illud vocant in habitu, sicuti scientia in sapiente delirante inest habitu, non actu, donec transacto morbo actu exerceat: at cum non exercet, dicitur in potentia, quia potest quandocunque vult exercere ipsam. Quapropter quæ in potentia calida dicunt Medici, nos dicimus actu calida, sed exteriori frigore impedita: quæ autem in potentia frigida, nos dicimus frigida vno ex quinque prædictis modis. *Quam ineptè declarant distinctionem calidorũ in actu, & in potentia & eius correctio.*

12 Eisdem sanè rationibus diximus in Astrologia quosdam planetas videri frigidos, quosdam calidos: cum ex eis non nisi calor, & lux proueniat, quorum est calefacere, & attenuare; ac proinde humectare. Sed mirum quomodo Saturnum esse siccum faciunt: si enim blandus eius calor solari mistus minuit illum apertione, aut expansione, vndè exhalet: profectò siccitatem non conciliabit, *De qualitatibus planetarum, nõ in se, sed ad nos.*

conciliabit, nisi fortè vt acetum, quia simul cum calore tenuitatem educit, & mollitiem minuit. Mars verò siccus reputatur: quoniam eius calor nimius, educit multum tenuitatis, aduritque remanentes crassities: hoc tamen Sol facit magis per se: sed quoniam eius vis vniuersalis est, ac exsiccationem maiorem Martis accessu operatur, sicuti medicina calida si addas ipsi piper. Luna autem calida cum lucet, frigida cum minus lucet, existimanda est: esséque frigoris causam, vel apertione pororum, vel defectu sui caloris. Cum enim spiritus calidus in nobis metuens intrò secedit, externa corporis frigent: sic deficiente Lunæ lumine, frigent noctes, & res illi subiectæ. Venus & Iupiter calidi, humidique dicuntur, quoniam blandum calorem emittunt, & qui foueat, non exsiccet, robore, vt Mars: neque minutione, vt Saturnus. Hæc autem dicta sunt, quoniam nec medicinas applicabimus, nisi cælo consentiente: & tanquam medicamenta, nunc sidera nobis tractantur. In Astrologia olim vt causæ, & signa ad prædicendum.

Virtutes occultas medicamentorum, quæ ab elementis corporaliter non insunt, ex primalitatibus oriri: & sympathiam, & antipathiam rerum ad sidera, & mundi plagas, & ad certos humores, & membra corporis humani, nec à Dæmone, & sidere, sed in rerum formis, & qualitatibus, instrumentis, & vasis primalitatum. Et quid Platonici, & alij non attigerunt.

ARTIC. III.

Non sufficiunt quatuor elementorum qualitates à Medicis posita reddere rationem operationum physicarum, nec medicinalium.

1 NOn videmur autem quamlibet medicinarum actionem tetigisse: siquidem præter calefactionem, & frigefactionem; exsiccationem, humectationem; mollificationem, liquefactionem, & cæteras iam dictas actiones physicas, per se, & peraccidens, comparatiuè, & absolutè: aliæ adhuc remanent, quæ dicuntur per virtutes occultas fieri. Magnes enim trahit ferrum etiam post parietem, non calefaciendo, neque frigefaciendo, neque exsiccando, neque humectando, neque pellendo, & appellendo, vt Democrito visum est. Similiter fidicula in cithara tensa omninò sicut altera consimilis, ad sonum eius resonat; non autem si non est consimiliter tensa, vel alterius ordinis. Multaque alia in libro

in libro de ſenſu rerum manifeſta. Quapropter videtur Medicis virtus occulta eſſe in medicinis: qua rhabarbarum purgat choleram, ſenna bilem atram: aloë ſanguinem. Habent etiam proprietates, aliæ erga pectus, vt hyſſopus, ſarcocolla. Aliæ erga caput, vt colocynthis, agaricus. Aliæ erga cor, vt crocus, meliſſa. Aliæ erga iuncturas, vt hypericon, ſinapis. Aliæ erga renes, vt aſparagus, pepones, quæ ex qualitatibus elementaribus rationem non habent. Sicut neque cur aliæ herbæ gyrum Solis æmulantur, aliæ Lunæ, aliæ aliarum ſtellarum, habent figuras, & motus ſimiliter, & lapides.

2 Siquidem nulla principia ingrederentur noſtrorum entium conſtitutionem præter elementa, vt Peripateticis videtur, interdumque Galeno; harum reddi cauſa nulla queat operationum: neque ſi cælum coadducere conentur; quippe quod Ariſtoteli, & Aphrodiſæo non niſi motu agit: motus autem eſt quaſi non ens, & mirabilium operum nullo pacto cauſa, ſed cauſatio. Qui autem adiiciunt lumen, nec idonei ſunt ad talium explicationẽ. Nullo enim lumine magnes trahit ferrum, quod non maius ſit in auro non trahente. Quapropter Platonici aliam vim à cæli animabus afferunt: quod & S. Thomæ placuiſſe videtur *in 3. contra gentes*, & *in libello de occultis naturæ*: quam vocant influentiam. Sed profectò quid ſit iſta influentia, non perſpicuè declaratur. Immo SS. Auguſtinus, & Thomas Angelos nil influere, ſed quaſi agricolando mouere tantum ad formas docent. Platonici ſeptem rerum ſeries ſub ſeptem ponunt planetis: & omnia quæ eiuſdem ſeriei ſunt mutua quadam affici beneuolentia, & foueri; quæ autem à contrariis planetis mutuo turbari. Sunt autem in primo gradu dæmones, verbi gratia, ſolares. Sub his ſtellæ ſolares. Sub his homines ſolares, & animalia, vt leo, gallus, aries, olor, crocodilus, & plantæ ſolares, vt heliotropiæ cognominatæ, & palma, aloë, crocus, cinamomum, fraxinus, lotos, pæonia: ſub his metalla ſolaria, vt aurum, auripigmentum: & lapides pentaurea, chryſolithus, carbunculus. Sunt etiam odores, & colores ſolares, & ſoni.

Ficinus in lib. de vita cęli.us comparanda, & *yn ſius* de ilicibus: & *Proclus* de magia.

Similiter ſub Saturno alia ſeries eſt ſaturninorum dæmonum, & hominum, & animalium, & plantarum, & lapidum, & odorum, & florum, quæ non ſatis diſtinctè traduntur à præfatis philoſophis. Et ſicut agnus caſtus ſedat per vim Saturni motus venereos: ſic corallus per vim Veneris affectũ ſaturninæ bilis.

Hæc autem dicta plurimam habent veritatem: sed tamē quod quærimus non soluunt: plus enim similitudinis est inter species metallorum diuersis sideribus dicatorum, quam inter metallum, & animal eidem dicata sideri. Quomodo ergo fieri potuit, vt stella dissimilia magis consociaret sibi per influxum, quam similia?

Respons. Ficini confutatio. Item quomodo gallus formidabilis est leoni, solaris solari? Dicunt, quia ille prior in ordine solari: At quomodo non formidat hominem gallo priorem? Item cum Ficinus quæritat cur magnes trahit ferrum, respondet non quidem quia similis; attraheret enim alium magnetem: nec quia superior in ordine corporum; superius enim ferrum magnete; metallum nempe lapide: sed in vrsæ stellari proprietate, ad quam respiciunt, priorem gradum magnes obtinet superioremque. Superius autem omne rapit ad se inferiora. Sic in serie Solis homo inferior admiratur superiorem: in serie iouina veneratur; in martiali timet: in venerea amat in mercuriali addiscit, in lunari se mouet, in saturnina quiescit ab illo superiori affectus quiete. Idcirco ore gestans lapillum alestorium ex galli veteris ventre eductum, teste Dioscoride, inuictus pugnat, sicut chelidonius ex hirundine, melancholicos curat; aliusque erutus ex capite draconis, venenum. Quæ omnes non nisi à cælo deriuari virtutes possunt, sicuti à vultibus cæli gallus victor, & quia solaris; à cælesti dracone draco vim habet. Sed quomodo sanat à veneno draconis, & non magis lædit?

Propria sententia de operibus naturæ occultis. 3 Nos autem in libro de sensu rerum, & in Metaphys. facilius satisfecisse videmur: Cum enim nulla res agat per id, quod habet in alio, & ab alio, nisi illud habeat in se: profectò non poterit magnes vrsæ virtute, neque calcedonius virtute Solis, trahere ille; iste tutari: nisi virtutem in se habeat receptam ab vrsa, & Sole. At cum nulla sit manifesta, nisi motus, calor, & lux; istaque non sufficiant, ad aliam compositionem recurrendum erat. Quoniam igitur, vt dictis commentariis probatum est, res non constant modò ex corpore, & calore in quandam formã redactis, exque elementis modò corporeis; sed etiam ex incorporeis, potestate, sapientia, & amore: igitur actiones mirificæ his attribuendæ sunt causis. Trahit ergo magnes ferrum, non vna modò similitudine corporeæ temperiei, sed etiam prædictarum primalitatum redactarum ad talem gradum per sui corporationem, quibus respondet elementaris formæ gradus, in quo sunt, & quo

commu-

communicantur. Vndè si ex magnete extrahas calorem,& spiritum cum igne; exit flammula subuiridis, & cum ea euanescit vis trahendi ferrum, quæ per infusionem eiusdem flammulæ, & liquoris extracti potest etiam restitui. Igitur attractio fit similitudine,non modo corporeæ temperaturæ, sed corporatæ temperaturæ primalitatum, quæ tamen excedat rei tactæ perfectionem parumper. Vnde videmus non modo magnetem, sed etiam chalybem trahere ferrum. Item ferrum antiquum bene purgatum fieri quasi argẽtum:ferrumque trahere commune, quod Ficinus non expertus,negat similitudinis rationem.Et quidem non sufficit,nisi addas sympathiam,& antipathiam primalitatum, & gradum perfectionis.Nec quidem ab vrsa,vt opinatur, sed à sua naturali complexione.Quod in myrobalanis iuuentutem conciliantibus palam est, quæ iuuentutem seruant, acuunt sensum, memoriámque iuuant.Aromatica enim virtus spiritus attenuat perficitque exinde sensum,memoriamque ex eo,quod spiritum acutum,& solidiusculum simul generat,stypticitasque eius tabem,& corruptionem,quæ ex laxatione subiecti per calorem auctum fit, prohibet. Helleborus quoque iuuentutem conciliat, purgando per symbolum corruptibiles, vetustosque humores, molliendóque corporis partes, vt sint nutrimento aptiores:quod etiam venena cuncta correcta efficiunt:nam & antimonium,& arsenicum pallidum emolliunt ipsum quoque chalybem,cui fuso per ignem redacta in puluerem infunduntur: & cum horum effectus stellis imperitè tribuatur,inuestigandæ rationis studium euanescit.

4 At illud mirabile est,quomodo in lapillis tã mirificæ insũt virtutes:si enim alestorius præstat audaciã,propterea quod ex audacis galli corpore educitur: profecto omnia genita in animalium capitibus,aut ventribus retinebunt proprietates suorum animalium. Item quæcunque cum Sole conueniunt, aut Luna, virtutem Solis, aut Lunæ. Similiter de cæteris sic dicere oportebit. At nemo dubitet sic rem se habere, quando videmus clauum superpositum natanti suberi,ad illum conuerti situm,in quo à fabro factus est: sic magnetem suam positionem ad polos seruare, & cadauera in mari natantia faciem conuertere ad cælum, ad quem situm in vulua materna formata iacuerunt: & occisum coram occisore sanguinem in eundem quasi irascentiã emittere: & pelles agninas in tympano tensas ad sonitum pellis lupinæ: similiter chordas de vtrorumque intestinis fabrica-

tas discordare, & disrumpi agninas. Serpentemque etiam occisum ab vmbra fraxini recedere. Has autem virtutes si quis in stellis, aut in dæmonibus solummodo ponit, totam eorum naturam euertit. Dicerem enim nec ignem calefacere, sed stellam, vel dæmonem per ignem. Quapropter non est dubitandum, quod sensus & affectus, & potestas perdurent in rebus: & agere in se inuicem variis modis, ac per elementares facultates: qui enim præliatur, non modò præliatur quia calidus est, osseus, carneúsque, & spiritu plenus, sed quia cognoscit hostem, & vult illum occidere. Ergo in alectorio sensus ille viuax galli communicatur sensui præliatoris, similiter affectus: ita quod vehementior redditur ad pugnam. De modo communicationis soluta est dubitatio, cum videas magnetis vim parietes penetrare: & lucem non modò aërem, & aquam, sed etiam durissimum crystallum æquè facile: quanto magis vis primalitatum? Ergo vis illa mirifica corallorum contra febres, & topazij, hyacinthi, & smaragdi contra venena, & lapidis bezoar contra pestilentes, & morbiferas ægritudines penetrat in nos facilius, quàm lux terram. Nec quia solidæ sunt consistentiæ carebunt viribus, cum primalitates in eis fortè melius, & tenacius in illis dispositæ sint. Manifestum est autem quod virtus in illis sit, & non à cælo, aut dæmone assistente: quoniam si calefiunt à carne nostra, facilius communicant nobis virtutem: sicuti succinum confricatum paleas promptius attrahit.

Ratio communicationis per cōsensum & dissensum particulariū in vniuersali.

5 Sensus ergo rerum per quandam sympathiam, & antipathiam fit in sēsu communi facta communicatione: videmus enim apes à longè flores cognoscere, & olere, nobis ignotos: formicasque quæ ad suam conferunt vitam à longe nosse: vultures ad prælia odoratu, occulto nobis, trahi; equos odorari bellum, & positos in insidiis; ignotos nobis: canes olfactu prosequi feras per milliaria itineris: & vnumquodque ea tantum sagaciter cognoscere, ad quæ affici ob sui salutem secundum naturam debet. Igitur in sensu rerum communi toti mundo, communicant sensus particulares: sicuti in luce Solis omnium animalium oculi: attamen alia ad alias res sensu ferri affectúque duci. Quæ enim videt aranea, & præuidet formica, & prospectat aquila, nobis, & aliis in eadem luce Solis latent: multóque magis vespertilionibus; quoniam corporatio primalitatum in nobis aliam habet architecturam, atque in illis: & vbi conformantur ad aliquid, statim illud repræsen-

præſentatur in eis. Quemadmodum enim fidicula citharæ non reboat ad alterius pulſum, niſi æquè prorſus tendatur, & ſit æqualis: neque Sol in opacis repræſentatur, niſi tranſpicua fiant: vbi autem tranſpicuum S li opponitur, ſtatim Solem recipit introrſum: & vbi fidicula par, ſtatim compar reſonat, & non aliæ. Sic eſt in ſenſu rerum cunctarum, & pariter in intellectibus, vt Plato animaduertit. Et S. Auguſtinus rectè dixit: Ego video hanc veritatem, & tu vides eandem per intellectum: non tu in me, nec ego in te; ergo in communi intellectu, qui eſt Deus, vel in aliqua manatione ab illo: ſicuti ego, & tu videmus hunc lapidem in luce Solis, quæ defert ipſum, & meis & tuis oculis idem, ſed pro oculorum forma: aliter enim eadem res videtur piſci fortaſſe, & homini, & aquilæ, & formicæ: ſicuti idem ſapor nobis amarus, capris eſt dulcis.

6 Ex his concludere licet, quas ob res aliæ medicinæ pectori: aliæ capiti, conferunt, aliæ ſtomacho, aliæ epati, vel nocent, vbi qualitas elementaris non ſufficit. Sympathia enim, & antipathia eſt in elementaribus, ſed non habent vim, niſi quatenus ex primalitatibus conſtituuntur: nec modò inter ſe, ſed etiam cum ſtellis, & cum rerum vniuerſitate idem ſortiuntur: propterea enim aliæ cum Sole gyrant, aliæ cum Luna, aliæ cum Saturno, quoniam effectus ſtellarum apud nos conformis eſt magis huic, quàm illi rei. Vnde hæc ſequitur hanc ſtellam, illa aliam, ſimiliter ſitus. Magnetis enim altera pars arcticum terræ polum, altera antarcticum ſpectat. Sunt qui idem in adamante experti ſunt. Puto etiam eos lapides, qui ad orientem naſcendo ſpectant, ad ortum ſuper ſubere natante poſitos reſpicere, ſeque conuertere: ſimiliterque alios ad alias cæli plagas, & mundi.

Ratio particularium medicinarum virium ad partes corporis.

Qui verò naſcuntur cum alicuius ſideris impreſſione, ſicut Plinius memorat de ſtellato lapide, qui Pleiadas diſpoſitione, & numero impreſſas habet: & de lapide, qui Lunam, & micat Lunæ inſtar, motúmque eius aceto perfuſus imitatur. Similiter de cæteris, procul dubio ſympathiam habent cum cæleſtibus, & nobis indicant vultus rerum inferiorum ſuperioribus ſubiici: non quod canis, & aries, & leo, ſit in cælo: ſed quod ſidera diſpoſitione, & ordine referunt leonem: & talem in terra demittunt calorem, qui leonis temperamento faueat, ſicuti in Aſtrologicis probauimus. Neque enim ob memoriam tantùm tales figuræ

Ratio cæleſtium cũ inferioribus.

ſtellis tributæ ſunt ante Moyſis tempora, qui omnes ſcriptores tempore antecedit, proximior vniuerſali diluuio: meminitque in Iob hiſtoria Arcturi, Orionis, Hyadumque, quaſi notiſſimarum rerum: ſed quoniam patres ſæculi humani à Deo ſic didicerunt, vt Plato cogitat, & Ioſephus & Philo narrant: vnde longiſſimam viuebant vitam per Aſtrologiam, & magiam phyſicam, quarum ſcientiarum verboſitas tantum, & fæx ad noſtra tempora peruenerunt: vnde ab minabiles factæ ſunt etiam bonis ob prauorum abuſum. Ergo verum eſt fauentis ſideris ſtatum ſuper hominis, aut rei illi ſubiectæ ſtatum indicare: & res cunctas à certis affici ſideribus, ſicuti heliotropium à Sole. Sed quoniam multæ concurrunt, & omnes ad hominis temperiem, non poteſt ad vnum conuerti homo, ſicut Endimion ad Lunam; quam credo potentiſſimam in eius natalitio, & vnam quaſi ex cunctorum ſiderum radiatione ad ipſam. Idcircò ad Lunæ motus, & paſsiones ſpectandas diſpoſitum tantum temporis in hoc transegiſſe ſtudio: ſicut & lunaris ſuo pro modulo herba facit.

Inquirendas eſſe medicinalium ſimplicium virtutes proficuas, noxiaſque ex decem rerum categoriis generaliter. Ac ſpeciatim traduntur quinque regulæ, quibus quælibet res ſuo quaque membro, aut humori apta eſt, vel inepta per ſympathiam, & antipathiam.

CAPVT II. ARTIC. I.

Medicinæ ſimplex & compoſita, componuntur quinque de cauſis.

1 QVoniam quædam medicinæ ſimplices ſunt, prout à natura offerūtur, vt herba, lapillus, minerale, ſuccus; quædā vero compoſitæ. Componuntur enim vel quò altera alterius vires roboret: vel quò patiens membrum à medicina confortet: vel quò pluribus ſimul morbis, aut cauſis morbi, aut affectis locis ſubueniat, vt ſuo in loco declarabimus. Propterea cognoſcendarum medicinarum regulæ ex iam dictis patefaciendæ remanent.

Vnde cognoſcuntur ſimplicium medicinarum vis, ingenium, operatio, &c.

2 Cognoſcuntur medicinæ ſimplices, vtrū ſint calidæ, frigidæ, ſubtiliatiuæ, incraſſatiuæ, ex primis categoriis: & cui membro conferant; videlicet, à cauſa agente, materiali, formali, ideali, & à paſsionibus horum, propriiſque conſecutionibus. Materialis affectio eſt magnitudo, & numerus, & eæ, quæ mediant inter numerum, & vnitatem, paſsiones, vt denſitas, lentor, mollities, viſcoſitas, lubricoſitas, liquor, & tenuitas. Paſsiones, & ſequelæ

princi

principij formalis, ſunt figura, & figuratio. Agentis cauſæ actio, quæ fit per qualitates tangibiles, & per odorem, & ſaporem. Item paſsio perditiua, & vnita materiæ, additur acquiſitiua. Cognoſcimus enim virtutem rei ab eo quod perdit patiendo ab aliis rebus, & quod acquirit. Item ex agente, & forma ſequitur actus, qui eſt motus, vel quies: & ex agente, & materia facies miſta, qui eſt color. Ex his demum reſultat ſimilitudo rerum ad res: & oppoſitio ſignificans, quomodo naturæ conueniant, pugnentque inuicem.

3 Vbi omnia iſta concurrunt, certitudo demonſtratiua habetur; quod talis medicina tali morbo confert; vbi quædam, non niſi ex parte.

Regula prima ex omnibus.

4 Omnis herba, aut lapillus, aut metallum, aut fructus, habens ſimilitudinem alicuius membri humani, in figura, & colore, & conſiſtentia ſimul, procul dubio confert illi membro, & ducit medicinas ad illud. Vnde malum citrium cordi, cui in figura, & conſiſtentia, aliquatenus ſimile eſt; proficit valdè: quod ſi etiam in calore aſsimilaretur, eò magis prodeſſet. Cucurbita capiti, quoniam os, & medullam habet conſimilem, non poteſt nocere, prodeſſe autem ſic, tam in nutrimentum, quàm in medelam. Sic dentaria dentibus, iecoraria iecori, teſticularia teſtibus. Et quamuis cucumeres frigidi veretro obſint ad coitum, non tamen ad medelam: nam ſola figura opitulatur, & fungoſitas: non autem temperies: hæc non ineruditè Porta in Phytogn. proſequitur.

Regula ſecunda ex figura, colore & conſiſtentia.

5 Omnis ſimplex medicina, quæ cum aliqua ſtella cognationem habet, & ad illius motum mouetur, confert humoribus illi ſtellæ ſubiectis, & membris humanis, ſymbolum habentibus: diſsimilibúſque nocet: ergo lunaria lunaticis hominibus, & cerebro, & vuluæ, & pituitæ naturali. Itemque morbis à Luna exortis, vel ſpecificatis, de quibus dictum eſt in Aſtrologicis. Heliotropia ſolaribus: Saturnina ſaturninis: nec vlla res eſt apud nos, quæ conſenſum cum aliqua cæleſti non habeat, licet lateat in tanta ſtellarum multitudine.

Regula tertia ex ſympat. & antipathia cum ſtellis.

Præterea compoſitio ex virtutibus plurium ſtellarum, confuſióque, tollit inclinationem ad vnam certámque ſtellam: licet in aliquibus adeò ſit valens ſtella, vt non ſinat latere ſubiectæ ſibi rei conſenſum: ſicut in heliotropio, & ſelinite, & ſandaſtro, aliíſque multis, quæ ſtellarum figuras, ac ſitum habent, & quod

mirum

mirum est, faciem humanam, vel taurinam, vel aquilinam; quarum Albertus, & alij testes sunt: vt impudentia sit ista negare: sicuti de herba, quæ per quindecim crescentis Lunæ dies augetur folio quotidie vno; & per quindenas decrescentis pariter minuitur. Et de Indico animali, quod colores quotidie mutat vsque ad quintum decimum, ac eodem ordine remutat; vt Oceani fluctuatio Britannici.

Regula quarta ex similitudine membrorum animalium, plantarum, & hominis.

6 Membra animalium conferre membris humanis consimilibus, dubium non est; vt iecur porci iecori humano, lienem lieni, ossis medullam, ossi, &c. Similiter & fructus arborum: nam castanea, & glans ossibus, & neruis: pineæ, & oua, semini: mora sanguini. Cum ergo augendum, da consimile: cum minuendum, oppositum.

Regula quinta ex ex similitudine secundaria, & quando iuuat, & qui nocet.

7 Omnes res quarum decoctio, & infusio, & ipsarum color, magis autem si & consistentia, similis est alicui corporis nostri humori, apta est ad euacuandum illum per attractionem, & augendum per incorporationem. Quapropter buglossæ, & melissæ decoctio similis aquæ in pericardio, confert cordi refrigerando, & fouendo, vt illa aqua: rhabarbarum verò, croceum, & graueolens, sicut flaua bilis, purgat eam attractione: quod si incorporetur, & vincatur antequam trahat, efficitur nobis venenum augendo bilem; multóque magis helleborus, cuius fœtor omnes fœtores humorum prauorum repræsentat: idcirco omnes ad se trahit expellendos, quod cum non facit, occidit eos augendo, iuuandóque contra naturæ vires.

Regula sexta agnoscendi medicamentum alterum ex altero.

8 Omnes simplices inter se amicæ medicinæ ad eundem effectum conferunt; vt acetum, & omphacium: cucurbita, & aqua, quæ leniunt, & frigefaciunt, sicut illa incidunt, & stringunt. Similiter olea, & myrtus ob mutuam sympathiam aliquid simile in nobis faciunt. Quæ vero inimicæ sunt per antipathiam notæ, contrarios pariunt effectus, vt cucurbita, & olea: illa enim frigefacit, hæc calefacit. Item brassica, & vitis: hæc inebriat, illa ebrietatem sedat. Mustela, & basiliscus, quæ inter se pugnant: vnde contra venenum huius illa valere probatur.

Correctio.

Hæc autem vera sunt de effectibus adæquatis, & egredientibus ex eis qualitatibus, in quibus est antipathia, & sympathia. Non enim omnis res semper secundum totam substantiam contrariatur suæ contrariæ: aliquando etiam altera amat, & accurrit, vt ferrum: sed non idem mutuo facit magnes.

Noti

Notitia mirabilis omnium medicinarum in suo gradu, calefactionis, frigefactionis, exsiccationis, humectationis, euacuationis, & aliarum operationum, ex sapore & odore.

Artic. II.

1 ENumerauimus caloris simplicis gradus paulò ante ab effectibus septem notis in eadem materia: nunc autem in saporibus eos dignoscimus, quatenus sunt calores cum mole sua certis caloris gradibus concinnata, agentes in corpus humanum. Deinde idem ex odoribus, qui iidem calores sunt, sed cum sua materia tenuiori sese nobis communicantibus: porrò autem ex coloribus, qui caloris sunt facies, à materiali causa fœdatæ. *Quid sapor, quid odor, quid color.*

2 Calor medicinalium non agit vt calor, sed vt corporatus, ergo vt sapor, & odor: sapor enim est calor agens cum mole trita: odor cum mole attenuata; si enim vt calor, non attraheret choleram, sed attenuaret; nec indigeremus medicinis, sed igne, & glacie. *Calor medicinarum agit cum mole subiecta.*

3 Agit etiam medicinalis calor, vt primalitatibus affectus: alioquin non traheret, neque fugaret humores, spiritusque noxios: idcirco rectissimè gradus eius per sapores, & odores notamus, & per attractiones, expulsionesque; quod veteribus ignotum fuit: hoc autem maximè in tractatu de venenis patebit, & in libro de sensu rerum. Antimonium quoque declarat solo odore omnes humores concitans, accersensque foras; & spiritum ad eos pellendum simul mouens, ipse prius exiens tanquam ab inimico corpore, & trahens post se, sibi amicas solum res. *Et vt affectus primalitatibus.* *Antimonij ratio medicinalis.*

4 Omnis res insipida est minus calida, quam corpus humanum, ideóque eius calor non valenter immutat linguæ calorem, & dispositionem: & hæc omnia infrigidandi habent potestatem, vt cucurbita, cucumer, albumen oui, aqua fontana, herbæque plurimæ: infrigidant autem respectiuè, & expansiuè, sicut supra docuimus. Et quemadmodum sapor istarum latet, ita & odor: sentitur quædam dilatatio insulsa à cucurbita in lingua, sed quæ ob modicitatem insipidè sensum faciat: sic & odor cucurbitæ sentitur; sed quasi sequens, & qui non mordeat, sed madidum reddat absque spiritu: propterea que *Qui calor insipidorum, & ardor, in se frigidus ad nos.*

ista omnia absque sale mandi non possunt. Color autem albidus modici caloris est nuncius in materia laxa, lentaque. Omnis ergo res insipida, inodora, & lentæ mollisque materiei, frigida vocanda est in Medicina: non autem si materiæ duræ est, ex qua sapor egredi nequeat, vt lapis, quorum multi calidi contusione agnoscuntur.

De stypticis. 5 Post insipidum sequitur sapor stypticus obtusus, qualis in fructibus à principio suæ formationis. Stypticitas aduenit calori ex suæ molis copia inconcocta indigestáque: quapropter linguam constipat subiens poros, & quasi panniculum facit: & nihil styptica pungunt: & hæc omnia habent vim astringendi ex materiæ quasi floccis minutis, incoctísque, subeuntibus poros: & infrigidandi, quoniam calor noster in illa effusus minuitur: sed minus infrigidant, quam res insipidæ: nam aliqualis calor est in styptico sorbo, & mespilo, ante acoris aduentum. Huiusmodi saporem habent cortices castanearum, cupulæ glandium, terra sigillata, cortex vuæ exsiccatus, licet paulò acutiorem.

De ponticis. 6 Res ponticæ sequuntur cum secundo caloris temperati gradu, quæ linguam pungunt, & simul constipant: sed minus quam stypticæ iam dictæ: hoc patet in prunis, & agresta; quæ amplius à Sole concocta ex stypticis fiunt pontica. Talem saporem obtinent vitis sarmentum tenerum, aliter turiones seu capreoli; brassica siluestris, rosmarinus; & foliorum multorum solet esse proprius. Hoc autem vtemur, quando volumus longè à stomacho constipare: ponticitatis enim acumen penetrationem præbet: materiæque incoctio obstructionem, & adstrictionem.

De acidis. 7 Res ponticæ multæ à Sole amplius digestæ fiunt acidæ, vt patet in agresta, & pruno iam perfectè formato, & in aceto, & acetosella, aliisque in multis, in quibus potentioris caloris gradus inest, & materiæ iam acuminatæ copia: non quia atomi ordinem alium acceperunt, vt placet Democrito: sed quia attenuata est coctione: nihilominus vocantur adhuc frigida in Medicina, non ex eo quod frigoris sensũ efficiunt, sed vt antea diximus eductione caloris, & per accidens. Dum enim suo acumine materiam stomachi, & fibras aperiunt; exhalat calor per apertiones, partésque crassæ illis elabentibus constringuntur: idcirco acida frigefactiua in potiori gradu reputantur, & constrictiua. Sunt

Sunt etiam abſterſiua, nam materias viſcoſas, limoſaſque incidunt, rodunt, & euacuationi præparant. Sic qui diu acetoſa non guſtauit, ſcatet phlegmatibus craſſis, viſcoſiſque, & aceti, cepæ-ve potu purgatur; vt ego ſoleo. Cepam igitur inter acetoſa reponimus, ſimiliter & porrum, & allium, ſed in craſſiori conſiſtentia, & copioſiori ſpiritali portione. Idcirco ipſorum ſapor potius ardens, quàm acetoſus nominatur. Contra phlegma pugnant tamen omnia; ſed acetoſa etiam choleræ aduerſantur, ardentia fauent: illa enim incidunt, & reſoluunt calorem choleræ, materiamque diſſipant, eius amaritudinem incidendo, & minuendo: ardentia verò calorem choleræ augent, & amaritudini addunt ob ſymbolum: ad amarum enim vergunt, & materiæ craſſioris ſunt, & copia abundant, & craſſo: nulla enim entia craſſa acetoſa ſunt. Ad acetoſa reducitur citriorum, & arantiorum, & limonum medulla, præfatis operationibus valdè proficua: infrigidant enim, ſicut acetum; & non calefaciunt, ſicuti cepa, vnde & choleræ aduerſantur. Odor acetoſus eiuſdem eſt virtutis, & contra peſtilentem aërem pugnat, eius craſſitiem incidendo, venenum reſoluendo: & temperiem, cuius eſt per diſſolutionem ſuæ formalitatis mori. Acetoſa ſternutationem prouocant, ſpiritum pungendo, & flatum diſſipando, quo ſolet grauari ſpiritus in capite: ſuntque mirificæ huius ſaporis, & odoris virtutes.

8 Amplius coctæ non aſſatione, neque elixatione, ſed media ratione à Sole acetoſæ res dulceſcunt: vt in vua experimur, & pomis, & prunis; quoniam illa pars acuta exhalat, & reliquę ad conſiſtentiam puriorem, nobis conſimiliorem, perducuntur. At calor temperatior fit amiſsis aculeis: & propterea res dulces exſiccant humiditatem abſterſione remiſſa: & humectant ariditatem ſua blanda intruſione: & calefaciunt frigidas partes ſuo calore blando: & frigefaciunt calidas, minuendo robur caloris per expanſionem, non autem copia. Hoc & cepa declarat, quæ cocta ardorem perdit, & dulceſcit: & has omnes operationes in corpore noſtro facit, nec amplius bilem auget, ſed minuit: ſimiliter allium, & porrum elixata, & omnes acidi, nondum maturi, fructus. At verò non ſunt dulcia aperitiua propter materiæ temperaturam moderatam, ab acumine prolapſam in obtuſitatem: ideóque exiſtimantur oppilatiua omnia, præter vuam paſſam, in qua acor non omnis exhalauit. Mirificam tamen *De dulcedinibus.*

mixturam faciunt dulcia acidis, vt oxymel, & oxysaccharum, & scylla saccharo condita, declarant, ad penetrandum, incidendum, abstergendum, aperiendum, subtiliandum, & expuendum, valde idonea. Qui scit his vti, parum indiget medicinis. Dulcedo oleaginosa, qualis in manna, purgat etiam leniendo; & tribuitur Veneri. Dulcedo quasi insipida, austeraque, vt in vnedonibus, est mercurialis, & vomitum producit. Dulcedo subtilis paululum stypticitatis habens, & acuminis, quæ datur Ioui, optima est; qualis in pineis, pistaciis, ouorum vitellis, carnibus vitulinis, phasianorum, perdicum, & in vino quodam Foro-juliensi, & in saccharo candido, cæterísque similibus; quæ ad nutritionem, non ad medelam, sicuti iam dicta, conferunt. Nutritur enim corpus humanum dulcibus: triticum enim, & aqua dulcia sunt, sed spiritus noster, ait Auicenna, quadam aromaticitate, quæ in dulcibus huiusmodi, non nauseabundis sentitur.

De amaris, & vnctuosis.

9 Dulcia, si nimis assantur, fiunt amara: & ex eorum meliori, & tenuiori portione fiunt vnctuosa: vnde ex oliua, quatenus dulci in sua tenuitate, oleum educitur: quatenus crassa, vstaque, ex partibus impuris educitur amurca amarissima: ipsumque mel, si transpirant partes puriores, amarescit. Similiter & mala appia dulcissima, repentè dum fracescunt, fiunt amarissima. Amaritudo enim, & dulcedo non sunt extremi sapores, vt contra Aristot. probauimus: ergo à bile febricitantibus dulcia auferto, ne in bilem amaram accendibilem subitò conuertantur. Acida verò dabis, non autem ardentia, nisi coxeris antè. At pituitosis febribus dulcia conferunt; gradus enim caloris robustior est in amaris: propterea eo aucto dulcia amarescunt; & quemadmodũ dulcia, vel gradus inter eos, vel mistura, aperiunt: amara è contra astringunt. Refugit enim spiritus amaritudinem, seseque abdit, stringitque molem, quam inhabitat: attamen habet vim purgatiuam, partim attractione, qua bilem ad se allicit; partim abominatione, qua spiritus contra res amaras accingitur, educítque, sicut natura consuluit, quando per bilis in testina exonerationem, stimulum spiritui ad fæces educendas præbuit. Sed quædam sunt amara non graueolentia, bene digesta, coctáque, qualis cichorea, rosa, carduus, & omnia quæ materiam laxam habent, & non acutum, nec nauseatiuum odorem & hæc non sunt apta purgationi, quoniam natura contra ea non pugnat: immò vtitur ad ventriculi calefactionem,

& hepatis purgationem : habent enim vim laxandi duritiem, ac proinde flammulam educendi, ac secum bilem extrahendi, & cor lætificandi, si tamen sunt laxioris consistentiæ. Carduus enim crassior ventriculo, & intestinis, magis succurrit, & horum amaritudo solaris est.

Alia sunt ex indigestione amara, vt fructus in principio formationis, & horum vis saturnina reputatur, & noxia etiam stomacho.

Tandemalia reperitur amaritudo in materia bene victa, sed crassa, & graueolente, ac simul acute. Acumen à nimio calore est: grauitas à crassitie: abominium à toto temperamento: & talis reperitur in rhabarbaro, centaurea, helleboro, colocynthide, & assa fœtida. Et quamuis colocynthis sit spongiosæ laxæque materiæ, eius tamen calor adeò potens est, materiaque quasi adusta, vt aggrauet spiritum, totique corpori sit infesta. Hinc illa spiritus anxietas, grauedo, & fuga, & statim deliberatio educendi humores ad ventriculum, talibus venenosis rebus attractos. Propterea que viæ prius per minoratiuas medicinas sternuntur: mox humores per syrupos digeruntur, & accersuntur: & tandem per laxatiuas has amaras, fœtidásque res attrahuntur facilius, & spiritus conatu excernuntur.

Harum amaritudinum sunt plures species: quæ enim in lilio trahens humores citrinos, & phlegmaticos, & cholericos, graueolens est, & cum dulcedine nauseosa. Et profectò nulla purgat medicina nisi amara, & nauseosa: Antimonium vero præparatum sua paucitate, & constipatione tegit illam: sed non expers: Manna dulce, sed quoniam dulcedo proxima amaritudini, præsertim nauseosa, idcirco purgat; sed non adeo, quòd helleborum adæquet ad dimidium. Omnes graues odores vomitum prouocare nouimus; quoniam spiritus vt eos expellat, etiam humores expellit. Propterea que si sumantur supernè, aut infernè, quæ sic odorantia sunt, prouocant magis. Est tandem quædam amaritudo solaris modica, in styptica materia, optimè concocta, & ad temperiem redacta, cuius stypticitas non ex indigestione oritur, vt primo ordine posita: sed ex materiæ benè coctæ, expurgatæque firmitate, qualis in myrto reperitur, & in thure, & in pipere ex parte, & in salsuginosis rebus: & hæc roborat stomachum, & vires, nec nauseam prouocat: quoniam eius spiritus tenuissimus ex sicca materia elabitur, non ex succulenta: qualis

in aſſa, & centaurea: potius autem acuit ſpiritus, expurgat caput. Sed ſi nimis aſſumatur, exurit ſtomachum, & iecur, ſicut facit piper: ſed tamen myrtus, & myrobalanus, quibus ineſt aliqua tenuis dulcis humiditas temperans amaritudinem, quemadmodum & in marathro ſilueſtri experimur, & in ſaluia, & roremarino, non vrunt, ſed confortant.

De ſalſis. 10 Siquidem amaræ amplius concoctæ res accipiunt ſaporem acrem, qualis in pipere, caryophyllo, cinamomo: & tandem ſalſum. Sal enim extremus eſt ſapor, inſipido oppoſitus. Manifeſtum eſt autem quoniam piper ſalſam reddit linguam magis aſſumptum, & mare ſalſum amarúmque eſt, vt ſpecies amaritudinis concoctæ, & arefactæ videri poſsint acredo, & ſalſedo, quæ non prouocant nauſeam, ſed confortant ſua acutie: nec dilatant, ſed ſtringunt: prius autem dilatando, & reſoluendo res aliaſque humiditates: proptereáque rheumaticis conueniunt, humidiſque: ſiccis enim hecticam conciliant. Sal tamen phlegma purgandi, ſi diu guſtatum non fuerit, poſtea per inciſionem vim habet, quod mihi carenti ſale per quinque dies, poſtea plus ſumenti quam par erat, accidit ſemel, & bis. Habent ergo hi ſapores acumen acetoſorum, ſtypticitatem amarorum, vimque omnes ſapores condiendi, manifeſtandique. Cum enim ſint ſupremi in gradu caloris, omnium rerum nobis applicabilium calores ſuſcitant, & augent, & venenoſam partem acumine diſsipant, & craſsitiem diſſoluunt: vt benè ex communi conſenſu totum genus humanum non abſque ſale, & aromaticis, quicquam ſibi componere conſuluerit. Salíſque natura ad Solem benè refertur: abſque quo nullus ſapor, ſicut nec abſque Sole color, & lux. Odores emittunt ſalſos, & acres, ſimiles ſaporibus: ſemper enim ſeſe iſta conſequuntur: & licet in lilio ſuauis videatur, tamen multus eſt faſtidio, non ſecus ac eius ſuccus pro rata ſuæ naturæ tenuioris.

De vnctuoſis. 11 Vnctuoſus ſapor proprius eſt rerum pinguium: pinguedo autem non videtur propria eſſe alicuius rei, ſed pars tenuis aërea, ſuo amplexu tenax, & id quod dicunt humidum radicale in plantis, & animalibus, vnde nutritur calor naturalis: qui ſe habet ad tale humidum, ſicuti Sol ad Lunam. Mihi tamen calor nutriri non videtur, ſed ſpiritus calidus, qui caloris vi agit in humidum. Calor tamen amplificatur, & augetur diffuſiua ſua virtute, non autem nutritur, cum res incorporea ſit: ſimiliter & lux eius facies:

cies. Omnis autem pinguedo dulcis est: sed quædam insuauis, qualis in adipe porcino, & oleo, ob humidi aquei copiam, & partium æqualitatem nihil acuminis habentem. Quapropter dilatat linguam, & stomachi fibras, prouocatque vomitum: proptereáque sale, & salsamentis in cibo miscentur, rebúsque astringentibus talem dilatationem: amántque homines raræ texturæ, plus aceti, quam olei, in cibo ex eis misto: densæ plus olei, vt apertio, & nutritio ad medium veniat. Cùm ergo venena vomere, aut res noxias cupimus, hoc vnctuosorum genere vtendum est. *Species vnctuosorum.*

Sunt olea vnctuosa non adeo dilatantia, quoniam sunt à robustiori calore attenuata, conflataque, vt oleum ex amygdalis, & nucibus, frumento, aliisque seminibus extractum Omnia enim semina radicali humido, & calore abundant: quorum vno perdito, vis germinandi perditur, sexúsque. Apta ista ad penetrandum, & deferendas medicinas applicatas in corporis penetralia. Idcirco nullum fit vnguentum, aut emplastrum absque oleaginoso genere.

Sunt tertij generis vnctuositates minus aëriæ, & viscosiores: qualis resina ex piceis, & terebintho, & lentisco, & pineis, cæterisque arboribus oleaginosis: & gummis non oleaginosorum respondent. Valentque ad applicanda pharmaca ad penetrandum, ad maturandum, ad consolidandum, & constringendum leniter ob viscositatem. Gummi verò non oleaginosorum, sed præcipuè acidorum, vt arantij, pruni, amygdalæ, valent ad compingendum, & frigefaciendum potiùs, cum non ex vnctuosa, sed aquosa, & acuta excrementitia viscositate ortum ducant: vnde nec supernatant in aquis, vt oleaginosa. Oleum autem purum, supernatando cunctis liquoribus, sese aëreæ pandit naturæ. Attamen probauimus aquam vitæ perfectissimam super oleum natare, quoniam tenuior, calidiórque simul est: & sicut oleum ex oleaginosis, sic aqua vitæ ex vinosis educitur rebus. Ex acinis tamen vuæ, oleum austerum educitur, constrictiuum plusquam dilatatiuum: stypticitatem enim à materia habet, dilatationem ab humido radicali. Ex marathro etiam aqua tenuissima extrahitur, bona oculis abstergendis serpentum monitu: non tamen oleum, nisi ex seminibus marathri. Vt intelligamus radicem spiritus esse vnctuositatem, quam purgare ab aquea, & terrea, exque spirituosis fouere rebus enitamur ad tuendam fouendámque

in aſſa, & centaurea: potius autem acuit ſpiritus, expurgat caput. Sed ſi nimis aſſumatur, exurit ſtomachum, & iecur, ſicut facit piper: ſed tamen myrtus, & myrobalanus, quibus ineſt aliqua tenuis dulcis humiditas temperans amaritudinem, quemadmodum & in marathro ſilueſtri experimur, & in ſaluia, & roremarino, non vrunt, ſed confortant.

De ſalſis. 10 Siquidem amaræ amplius concoctæ res accipiunt ſaporem acrem, qualis in pipere, caryophyllo, cinamomo: & tandem ſalſum. Sal enim extremus eſt ſapor, inſipido oppoſitus. Manifeſtum eſt autem quoniam piper ſalſam reddit linguam magis aſſumptum, & mare ſalſum amarúmque eſt, vt ſpecies amaritudinis concoctæ, & arefactæ videri poſsint acredo, & ſalſedo, quæ non prouocant nauſeam, ſed confortant ſua acutie: nec dilatant, ſed ſtringunt: prius autem dilatando, & reſoluendo res aliaſque humiditates: proptereáque rheumaticis conueniunt, humidiſque: ſiccis enim hecticam conciliant. Sal tamen phlegma purgandi, ſi diu guſtatum non fuerit, poſtea per inciſionem vim habet, quod mihi carenti ſale per quinque dies, poſtea plus ſumenti quam par erat, accidit ſemel, & bis. Habent ergo hi ſapores acumen acetoſorum, ſtypticitatem amarorum, vimque omnes ſapores condiendi, manifeſtandique. Cum enim ſint ſupremi in gradu caloris, omnium rerum nobis applicabilium calores ſuſcitant, & augent, & venenoſam partem acumine diſsipant, & craſsitiem diſſoluunt: vt benè ex communi conſenſu totum genus humanum non abſque ſale, & aromaticis, quicquam ſibi componere conſuluerit. Salíſque natura ad Solem benè refertur: abſque quo nullus ſapor, ſicut nec abſque Sole color, & lux. Odores emittunt ſalſos, & acres, ſimiles ſaporibus: ſemper enim ſeſe iſta conſequuntur: & licet in lilio ſuauis videatur, tamen multus eſt faſtidio, non ſecus ac eius ſuccus pro rata ſuæ naturæ tenuioris.

De vnctuoſis. 11 Vnctuoſus ſapor proprius eſt rerum pinguium: pinguedo autem non videtur propria eſſe alicuius rei, ſed pars tenuis aërea, ſuo amplexu tenax, & id quod dicunt humidum radicale in plantis, & animalibus, vnde nutritur calor naturalis: qui ſe habet ad tale humidum, ſicuti Sol ad Lunam. Mihi tamen calor nutriri non videtur, ſed ſpiritus calidus, qui caloris vi agit in humidum. Calor tamen amplificatur, & augetur diffuſiua ſua virtute, non autem nutritur, cum res incorporea ſit: ſimiliter & lux eius facies:

cies. Omnis autem pinguedo dulcis est: sed quædam insuauis, qualis in adipe porcino, & oleo, ob humidi aquei copiam, & partium æqualitatem nihil acuminis habentem. Quapropter dilatat linguam, & stomachi fibras, prouocatque vomitum: proptereáque sale, & salsamentis in cibo miscentur, rebúsque astringentibus talem dilatationem: amántque homines raræ texturæ, plus aceti, quam olei, in cibo ex eis misto: densæ plus olei, vt apertio, & nutritio ad medium veniat. Cùm ergo venena vomere, aut res noxias cupimus, hoc vnctuosorum genere vtendum est. *Species vnctuosorum.*

Sunt olea vnctuosa non adeo dilatantia, quoniam sunt à robustiori calore attenuata, conflataque, vt oleum ex amygdalis, & nucibus, frumento, aliisque seminibus extractum Omnia enim semina radicali humido, & calore abundant: quorum vno perdito, vis germinandi perditur, sexúsque. Apta ista ad penetrandum, & deferendas medicinas applicatas in corporis penetralia. Idcirco nullum fit vnguentum, aut emplastrum absque oleaginoso genere.

Sunt tertij generis vnctuositates minus aëriæ, & viscosiores: qualis resina ex piceis, & terebintho, & lentisco, & pineis, cæterisque arboribus oleaginosis: & gummis non oleaginosorum respondent. Valentque ad applicanda pharmaca ad penetrandum, ad maturandum, ad consolidandum, & constringendum leniter ob viscositatem. Gummi verò non oleaginosorum, sed præcipuè acidorum, vt arantij, pruni, amygdalæ, valent ad compingendum, & frigefaciendum potiùs, cum non ex vnctuosa, sed aquosa, & acuta excrementitia viscositate ortum ducant: vnde nec supernatant in aquis, vt oleaginosa. Oleum autem purum, supernatando cunctis liquoribus, sese aëreæ pandit naturæ. Attamen probauimus aquam vitæ perfectissimam super oleum natare: quoniam tenuior, calidiórque simul est: & sicut oleum ex oleaginosis, sic aqua vitæ ex vinosis educitur rebus. Ex acinis tamen vuæ, oleum austerum educitur, constrictiuum plusquam dilatatiuum: stypticitatem enim à materia habet, dilatationem ab humido radicali. Ex marathro etiam aqua tenuissima extrahitur, bona oculis abstergendis serpentum monitu: non tamen oleum, nisi ex seminibus marathri. Vt intelligamus radicem spiritus esse vnctuositatem, quam purgare ab aquea, & terrea, exque spirituosis fouere rebus enitamur ad tuendam fouendámque

Quæ pinguia breuis, & quæ longioris vitæ. que vitę lampadem. Quibus in animalibus multa inest pinguedo, radicalisque humor, eam ad cutim ex carnis fibris exprimunt, vel ad interiora corporis, & exteriora intestinorum, vt non indurescant, nec frangantur; nec propterea ista sunt longioris vitæ: quoniam ipsorum oleum suffocat calorem, non nutrit: pronumque est vnitum carni ad putrefactionem: quoniam in se aquositatem habet. Longioris vitæ sunt, qui humido tenui abundant, tantóque, quantum sufficit spiritui alendo, vt in lucerna; ne suffocare queat, nec putrescere libenter. Siquidem carnes pingues citiùs in æstate putrescunt, quam macræ. Qui autem nutriri ex macie citò volunt, pinguibus vtantur, sed tenuibus, qualis est oui pinguedo, pinearum, amygdalarum, gallinæ, non ex arte pinguefactæ. Auium pinguedo salubris, quoniam tenuis, elaboratáque, nec aquea existit, sed aërea: piscium haud item, nisi salsa. Ex amaris rebus educi oleum haud rectè potest, nisi admixtam habeant dulcedinem: vt amygdalæ amaræ, & lauri baccæ; quod expurgatum tenuius est, quam quod ex amaris educitur, non tamen eo, quod ex aromaticis.

De aromaticis. 12 Est enim sapor aromaticus seorsum ab amaro, & dulci, & salso, & vnctuoso connumerandus, proprius rerum odorem habentium, tenuem, gratum, & confortantem subitò spiritum: qualis myrrha, caryophyllum, cinamomum, balsamum, piper. Sed quidem multiplex est: alius enim acutior, vt caryophylli: alius ardentior, vt piperis: alius stypticior, vt cinamomi, quamuis omnibus insint istæ qualitates. Fructus autem arborum nostrarum, qui aromaticum habent saporem ex parte (nam non nisi à parallelo Arabiæ, vsque ad oppositum post Capricorni circulum ista aromaticitas fit à Sole potentissimo ex solida tellure) sunt optimi ad gustum & ad sanitatem: augent enim firmántque spiritum. Ex his educitur aqua perfectissima modica per alembicum, totius arboris virtutem continens: non autem oleum, nisi forsan ex fructibus, nobis nondum expertis. Vincunt supremo caloris gradu aromata medicinas omnes, saltem copia: rhabarbarum enim robore, & copia, & crassitie: idcirco nos in se vertens abominabiléque, vt mox palam certius fiet.

13 Quomodo sal, & aromata, & acetosa seruant res à putrefactione, educendo calorem relaxatiuum materiæ suo acumine: & reliquam materiam astringendo, & solidando sua styptica aromaticitate materiali, in 2. libro dictum est, & in 3.

De

De comparatione medicinalium in calefactione, & frigefactione, & cæteris operationibus argumentum ex colore, & consistentia, & transparentia, & opacitate, & passionibus.

ARTIC. III.

1 EX coloribus quoque Medico philosophandum est, cum lux sit calor apparens, tenebræ verò apparentia frigoris: ex luce autem, & tenebris conflantur colores.

2 Regulariter ergo secundum naturam totius, quæcunque sunt lucidiora, vel proxima luci, vt alba (albedo enim est lux demortua) ea sunt calidiora, vt Sol & ignis. Quæcunque verò tenebrosiora, ea frigidiora censenda sunt, vt nox, tellus, & opaca omnia. *Regula prima: lucidiora calidiora per se.*

3 Item quoniam calor materiam attenuat, relaxat, & ad cæli tenuitatem, ad eum quem potest gradum perducit: frigus vero stringit, densatque, & ad eum, quem potest crassitiei gradum trahit: omnia albiora, & lucidiora censenda sunt minus crassa, ergo tenuiora; opaciora verò, corpulentiora, ac densiora. *Regula secunda, & tenuiora.*

4 At quoniam calor quamcunque generatam tenuitatem sursum statim si potest eleuat, accidit è contra, vt quæ nigra sunt, magis sint calidiora per accidens, & robore, vt carbo calidior est niue, & palea: quoniam à multo calore correptus, eo cum tenuitate exhalante remansit calidus: nix autem à calore modico in vaporem versa albescit: sic quæcunque adusta à Sole calida sunt, vt Æthiopes calidiores Sarmatis. *Exceptio.*

5 Quoniam calor, & frigus apud nos in materia vnita, ac multa magis, plus vniuntur, sunt valentiora in crassis, quàm in tenuibus corporibus: ergo calidior aër crassus tenui, & aqua maris fontana, & vinum nigrum albo; quoniam in pluri materia maior, & vnitior calor. *Regula tertia: in densiori materia plus & caloris, & frigoris h[illegible]spiratur secundum robur.*

6 Concedendum plerumque tamen quod in candidioribus, & laxioribus rebus copiosior calor, in nigrioribus, & crassioribus robustior: hoc autem dico cum sunt eiusdem speciei, vt in vino rubro robustior calor, quam in albo vino, non autem quam in calce alba. Similiter in saccharo albo copiosior calor, quam in roseo saccharo, non autem quàm in roseo pipere Indico. *Calor copiosior in candidioribus, & laxioribus, non autem robustior, nisi sub eadem specie.*

7 Similiter etiam quæcunque albiora secundum naturam, *Albiora pauciora.*

ſunt puriora,& tenuiora opacis eiuſdem ſpeciei, vt marmor purius,& minus craſſum eſt piperino,& ſilice. Et aurum albius,purius eſt auro rubeo , & tenuius : in hoc ergo miſtio æris eſſe poteſt. Similiter argentum,albius,purius,& tenuius minùs albo : in quo alia cauſa puritatis minor inhæſit.

Regula 3. 8 Omnia tranſpicua puriora ſunt non tranſpicuis abſque controuerſia.

Regula 4. cum except. 9 Omnia tranſpicua calidiora ſunt non tranſpicuis : verum eſt ſecundum originem , non ſemper ſecundum permanentiam : tranſpicuitas enim fit à calore,liquefaciente , & attenuante materias,vincente craſſitiem , & opacitatem. At ſi eiuſmodi materiæ indureſcunt,vt vitrum,& adamas , & cryſtallum,abſceſſu caloris indureſcunt : idcirco ſunt reliquo calore blando vix comprehenſibili prǽditæ:acutiſſimo tamen, & penetrante ſine damno penetrati , qualis eſt vis magnetis , & fulminis corticem oui abſque læſione pertranſeuntis. Vnde virtutes lapidum pretioſorum occultæ ſunt, quia non cum materiæ effuſione agunt : arborum verò manifeſtæ , quoniam euaporationibus , ſucco, & emiſſionibus manifeſtis operantur. Metallorum vires potentiores, vehementiores, & permanentiores herbaceis:lapidum verò permanentiores , & puriores metallicis. Opaca verò ſunt minus calida ex origine , ſed tamen plus caloris manifeſti continent. Vnde vitrum,quod ex cinere liquefacto fit, videtur minus calidum cinere , ſi linguæ apponatur. Cinis quoque minus calidus carbone ex quo fit. Dico robore,non copia:nihilominus vbi maiorem actionem facit calor , ibi calor vel occultus virtuoſior. Si verò tranſpicua non indureſcunt,vt aqua,& ſal,qui modicè concreſcit : quo tenuiora , eo imbecilliorem calorem obtinent , vt aqua fontana:quo craſſiora,eo maiorem, vt aqua marina,& herbarum ſucci,& vinum.

Regula 5. 10 Quæcunque facilè frigeſcunt , faciléque incaleſcunt , nec retinent calorem,aut frigus,eo tenuiora ſunt, vt aër, & aqua tophi:quæ vero non facile ita afficiuntur , ea retinent calorem , & frigus diu,& ſunt craſsiora:vt aqua marina, ferrum, lapis, tam in eadem,quam in diuerſis ſpeciebus.

Regula 6. cum except. 11 Tranſpicua omnia tam liquores , quam lapides ſunt ab origine alba ; quæ enim calor peruicit, alba reddidit:ſed quæ nigra videntur , & aliter colorata , alicuius rei admiſtione taliter facta ſunt. Igitur pyropus, topazius, ſapphyrus , vinũ,oleũ, ſunt alba à

natura:

natura : ſed liquoris, aut materiæ additione colorantur, vt in Phyſ. dictum eſt. Vinum enim ex vua nigra propter materiam tale factum eſt, non ex liquoris natura : ſic ſi coquatur vinum album, nigreſcit : quia craſsities materiæ exhalante tenuitate alba magis detegitur. Quapropter omnes liquores per ſublimationem in alembico albeſcunt : quoniam craſſities, & impuritas in fundo remanent, non tamen omnia opaca nigra, niſi ea, quæ calor non nigrefacit.

12 Quæ calor indurauit, etiam ſuo abſceſſu, ſunt calidiora induratis à frigore, vt vitrum, cryſtallo: at ſi caloris abſceſſu indurata mox frigore correpta perficiuntur in ſua ſpecie, frigidiora ſunt induratis à frigore abſque caloris abſceſſu; ergo grando frigidior niue. *Regula 7.*

Ex paſſione, & paſſibilitate argumentum de caliditate, & frigiditate medicinarum, & comparatio.

Artic. IV.

1 OMnia aridiora, ac ſicciora habent calorem tenuem ac copioſum in eadem ſpecie, vt Æthiops, & lignum aridum: ſucculentiora, & craſsiora habent plus caloris craſsi, & robuſti, vt ſarmenta, & lignum viride. *Siccitatis, & ſucci calores.*

2 Quæcunque facilius accenduntur, ſunt calidiora, quam quæ difficilius in eadem ſpecie : ſunt etiam laxiora, & à calore penetrabiliora, vt lignum aridum viridi, & oleum tenue amurcoſo. At in diuerſis ſpeciebus non item: ſulphur enim facilius accenditur, quam piper, non tamen eſt calidius in medicinis, nec in ſapore, licet ſit in odore : & hoc inde fit, quod oleaginoſum eſt ſulphur, ex quo, & oleum extrahimus, & æquè ſiccum, ita vt calorem niſi accenſum oſtendere ſuum nequeat : piper verò ob minus ſiccam æqualiter materiam exhalat, & in lingua ardet, in igne accenditur: ſed quia oleo caret, non facilè, vt ſulphur, & thus. *Ex accendibilitate quod argumentum caloris.*

3 Caphura facilius accenditur, quia tenuitas cum calore multa, quæ in pipere eſt cum craſsitie. *Ex prauia paſſione.*

4 Quæ plus paſſa ſunt à calore diuturniori, & grandiori, ſunt calidiora his, quæ paſſa ſunt minus in eadem ſpecie, vt granata Africana granatis Europæis. Contingit tamen in minus paſsis maior calor copia, non virtute : quoniam non exhalauit, vt in illis : ſic carbo accenſus calidior carbone extincto, incineratóque. Sed quæ paſſa ſunt à frigore, plus ſemper frigidiora ſunt mi-

nus paſsis, quoniam frigus nihil educit: poteſt tamen per accidens in frigefactis calor vniri, & robuſtior fieri, non tamen per ſe, & ſecundum naturam. Vnde calidiores Galli Africanis per accidens. Africani verò per ſe; & iſti acuto: illi craſſo calore.

Item de natura medicinalium ex locis, & temporibus argumentum.

ART. V.

Argumentum ex locis.

1 QVæcunque in locis, & temporibus calidioribus naſcuntur, ſunt naturaliter calidiora, & leuiora, vt aues terreſtribus, & marinis animalibus: idcirco earum carnes leuiſsimæ, & calidiſsimæ, hecticiſque negantur: præſertim pennatorum, & altiùs ad æthera volantium: pennarum enim multitudo à caloris educentis copia, & robore excrementa, & ſubſtantialem humorem fiunt: vnde carnes magis exſiccantur: ſicut in miluis, olibis, accipitribus, aquilis, & mōtanis auibus. Corpulentiora autem minus pennèſcunt, minus eleuantur, vt turdi, columbæ; & quæ carnibus non veſcuntur, & quæ in vallibus degunt. Aquatica verò animalia, præſertim fluuialia, & ſtagnorum: ſunt frigidiora ſecundum naturam: maritima ſunt calidiora: terreſtria ſunt in media inter hæc temperie. Nam licet aqua calidior ſit tellure: animalia tamen terreſtria non intra terram, vt illa intra aquam viuunt, ſed in aëre, & terra: vnde grandiora ex copia humoris marina viſuntur, quàm terreſtria animalia. Sicuti ſeptentrionales homines, meridionalibus grandiores, & ſucci pleniores, non autem qui ſub extremo frigore: patiuntur enim caloris vitalis, & augmenti corporalis defectum per extinctionem, ſicuti diuerſi Pygmæi ſub tropicis patiuntur eundem defectum reſolutione.

Pennatorum varietas.

Aquatilium.

Terreſtrium.

De naturaliter frigidis calidisque, & accidentaliter.

2 Naturaliter frigida, & naturaliter calida, ex loci, & temperiei virtute: amant, illa frigus: iſta, calorem. E contra accidentaliter calentia, & frigentia, extrinſeca, & non ordinaria cauſa; fugiunt illa ad calorem, iſta ad frigus. Vnde Æthiops in Italia friget nimis, & æſtiuum calorem appetit. Italus in Æthiopia calet nimis, & frigus hyemale optat. Ergo plurimum intereſt ſcire quo in loco ſimplicia medicinalia naſcuntur. Vnde malum Perſicum venenum, vt aiunt, in Perſia, cordiale confortatiuum in Italia eſt.

3 Quæ ex densiori, & crassiori nascuntur, terra, & aqua, & aëre: illa sunt corpulentiora nascentibus ex laxiori solo, dico in eadem specie, vt crocus Italicus crassior est croco Arabico. Præterea si calidæ sunt speciei, aut frigidæ: sunt calidiora, aut frigidiora nascentia ex crassis, quàm ex laxis materiebus, & locis, vt cephalum fluuiale frigidius grauiusque est cephalo marino, non autem marino polypo, cæterisque mollibus. Nascens mentastrum in terra palustri, crassius, minusque odorosum est nascente in terra sicca: hoc tamen durius, crassiusque intensiuè, non autem extensiuè. *Ex denso & raro locali.*

4 Quæ nascuntur in vere, & in æstate, calidiora, virtuosioraque sunt nascentibus in hyeme, & autumno: quoniam illa magis à Sole fouentur, & perficiuntur: hæc verò à frigore vexantur, & ad perfectionem venire non permittuntur: omnes enim res calore generantur, nutriuntur, & viuunt. *Ex anni temporibus.*

Ex rerum generibus vnicuique sideri attributarum, & hominum eisdem correspondentium, itidem philosophandum esse Medico pro medicinis, & corporibus medicandis: Et primò quæ stellæ, qui homines, quæ partes hominis: Qui morbi, quæ animalia, quæ plantæ, quæ mineralia, qui lapides: Qui colores, odores, sapores: Qui cometæ, & eclipses, & aëris constitutiones, tribuantur maleficis: & primo Saturno.

CAPVT III. ARTIC. I.

1 RVrsus ad agnoscendas cum medicinas, tum homines, quibus medicinæ adhibentur, consulenda sunt sidera, tanquam causæ vniuersales inferioris mundi rerum: & quidem è planetis tanquam notioribus, & nobis propinquioribus erit argumentatio. *Quæ hic dicimus medicinaliter cõsiderata & ad hominem, habent veritatem, non autem secundum naturã prorsus.*

2 Saturnus planetarum altissimus, colore plumbeus apparet, seu cineritius, tardissimus motu; masculinus, frigidus, siccusque (dico autem ab effectu in nos, non in se:) ponitur etiam diurnus ab Astrologis, sed non rectè, cum temperies eius nocti congruat, & habitus ad Solem. Ipse enim omnium minimo tempore cum Sole reperitur: quippe quem ob tarditatem Sol relinquit statim vbi coierint. Dicitur etiam maleficus: quoniam illius temperies humanæ calidæ humidæque valdè nocet: at rebus homini con- *De ♄ ad Medicinam.*

trariis,& venenosis.

Stella quæ ♄næ. 3 Igitur omnia sidera colore plumbea,vt Algol,Lanx : præcipuè autem si tarda , qualia sunt polaria ; de Saturni natura reputantur ; de quibus in Astrologia diximus.

Qui homines ♄ni. 4 Omnes homines, in quibus qualitates animi , & corporis temperies, & physiognomia sunt saturninæ, de quibus diximus in 3.libro Astrolog. ibi vide.vbi etiam quomodo ex sola genitura agnoscantur, habes. Vbi enim Saturnus in horoscopo , & loco Lunæ, & aphetarum aliorum plus dignitatis habet, ibi Saturni temperiem iudica:quam ex facie sicca, terrestri, subnigra, rara barba, vel multa ; capillitio crispo,tenuíque:oculis paruis,& corpore paruo agnosces(iuncta erunt supercilia,aspectus mærens) sæpéque distortum,hircini odoris,sordidum,pigrum. Distingues etiam Saturnum in bono,& malo situ:nam ibi meliores animo facit sapientissimos,& occultarum rerum,& prophetiarum studiosos, & mundos : hic attonitos, rudes , impios , &c. Vide suo loco.

Quæ partes corporis. Tertio de partibus corporis datur Saturno atra bilis, lien, ossa, cartilagines, ligamenta, vesica, pituita cruda aduentitia,auditus dexter,vis retentiua.

Qui morbi. Quartò de morbis qui fiunt ex atra bile , vt icteritia nigra, quartana,cãcer,scabies,lepra,strumæ.Itẽ qui ex influxione pituitæ, vt podagra , chiragra , ischias , gonagra , paralysis, phthisis, catarrhus , hydrops , iliaca passio , tussis : fluxus alui , spasmus : pestiferi : & quicunque ex pituita, & atra bile componuntur.

Quæ animalia. 5 De animalibus verò , solitaria , & latentia , frigida , siccaque,nimis terrestria , & tarda , vt lacerti , serpentes , lumbrici : ostrea , salamandræ , tassi , glires , mures , porcus ex parte , bos senex : asinus , coruus , brucus , lepus , bufo , pediculus.

Quæ plantæ. 6 De plantis autem , quæcunque comas angustas , paucas , & indecoras habent, & infructuosæ sunt, & siccæ frigidæque,calorisque ignoti, & saporis, & odoris stomachosi , præsertim pueris, vt cipressus,oleaster, ilex,ruta, serpentaria, sabina, fumus terræ, senna,absinthium:cassia,colocynthis, myrrha, storax : agnuscastus, opium,mandragora.Alij dant illi vitem,& palmam,sed ineptè,cum à Sole sint : alij glandes,potius ilices,& suber , pyra pyrastra : illæ enim glandes quercinæ sunt Iouis. Addunt cucumeres,

res,& cucurbitas, quæ sunt lunares, ex temperamento, & ætate. Nux potius conuenit Saturno, quam Ioui, ex ætate, & nocumento, & arboris aspectu plumbeo. Rubus quoque, & viburna, & lentiscus, sed ex parte. Fungi, & fungosæ emissiones; arbusculæ infructuosæ, spinosæ, astringentes, & infrigidantes, & amaræ, licet cum ♂ cognationem habeant ob vim caloris, sicuti ruta. Brassica etiam Saturno tribuitur, & quæcunque melancholiæ fauent, quamuis calida sint. Calor enim saturninus aut exilis est extinctione, vt in serpente, & elice: aut resolutione, vt in stirpibus sub tropico nascentibus, & arefacto ligno. Nos autem effectum in hac sympathia quærimus erga nos.

7 De mineralibus Saturno dantur plumbum, magnes, & scoriæ metallorum venenosæ, & cinis cuiuscunque rei. *Quæ mineralia.*

8 De lapidibus sapphyrus, lapis lazuli: omnes rustici lapides nigri, & cineritij ad politiem inepti, & iaspis subniger, & magnes. *Qui lapides.*

9 De coloribus habet nigrum, cyanum, fuscum, & cineritium. *Qui colores.*

10 De saporibus stypticum obtusum, qualis mespilorum, & sorborum, & non maturorum fructuum; stypticum acutum, seu aromaticum habet, vbi à Sole iuuatur; & in bono statu ad luminaria, & angulos, est in cælo. *Qui sapores.*

11 De odoribus stypticum, stomachosum, & grauem, qui spiritum obnubilat, qualis carbonum, & rutæ, & omnium fœtidarum insuper rerum, quando est male dispositus in cælo. *Qui odores.*

12 De ætatibus habet decrepitam in homine; & in animalibus, & plantis senescentibus dominatur ob sympathiam: & in eclipsibus habet significationem super ista. *Quæ ætates.*

13 De cometis quatenus super hominum salutem, & infirmitates significant, habet cometas tardi motus quasi caluas absque elatis comis, cineritij, & plumbei coloris. *Qui cometæ.*

14 Super tempus nubilosum, obscurum, frigidum noxialiter, grandinosum; super nubes obscuras, subuitides, & nebulas seminum inimicas, & pestilentem aërem, & venena, quæ censentur frigida & sicca. Saturnus insuper habet indicationem eius domus 75. [illegible] exaltatio ♎ in hemisphærio nostro: sed vltra æquatorem aliter. Vide 2. Astrologicorum. *Quod tẽpus.*

De

De eiſdem rerum ordinibus, Marti ſecundo malefico, attributis.

ARTIC. II.

De ♂ medicinaliter cōſiderato. 1 MArs ſecunda infortuna minor calidus, ſiccuſque nobis eſt intemperatè, motibus fertur vix cognoſcibilibus: rubeus ſpectantibus cernitur; eſt nocturnus, quamuis calidus, ob ſiccitatem: & quia quando in Solis oppoſitione eſt, tunc magnitudinem Iouis æquat, eſt potentiſſimus, ſempérque nocturnus: quando enim diurnus, vix agnoſcitur Soli vicinus. Maleficus eſt hominis temperamento: fauétque contrariis rebus, niſi vbi à beneficis corrigitur: & in bono ad Solem, & mundum ſitu reperitur. Sic ſunt omnes res martiales.

Stella ♂. 2 Omnes ſtellæ rubri coloris, quales ſunt, Aldebarum, Arcturus, Lampades, & conſimiles, Martis naturam imitantur erga nos, vt dictum eſt in Aſtrolog.

Homines ♂. 3 Omnes homines ſicca, calidáque temperie conſtantes, capillo rutilo, oculis cæſiis, trucibus, & obſtrepera voce, acuta; prodigi, hirſuti, rapaces, fallaces, iracundi, mendaces, vitam flocci pendentes, quemadmodum in 3. Aſtrologicorum docuimus: martiales ſunt; vbi etiam quomodo ex facie, & moribus, & ex dominio ♂ in horoſcopo, & in loco Lunæ, & aliis aphetis, dignoſci queant, docuimus.

Partes corporis ♂. 4 De partibus corporis dantur ♂ cholericus humor, fel, eius vas: renes, inteſtina: pedes, venæ: auditus ſiniſter, pili pudendorum, & virtus expulſiua omnis.

Morbi ♂. 5 De morbis quicunque fiunt in prædictis partibus. Item qui ex bile, vt tertiana, eryſipelas, acutæ febres, apoſtemata feruentia, rubra: icteritia flaua: fiſtulæ: dyſenteria, calculus, febres continuę, cauſō: vulnera præſertim in facie, & quæ à ferro, & ab igne: & bilis emiſſiones, & ſanguinis eruptiones: & omnis calida ſiccaque intemperies, ignis ſacer. (Addunt quidā hemicraniam, quæ potius Lunæ & ♄) & phrenitis, & deliria, quæ à nimio calore, & bile: & furioſitas potius eidem conueniunt.

Animalia ♂. 6 De animalibus dantur ♂ omnia calida, ſiccáque nimis, vt accipitres, & quæcunque coruini generis aues pugnaces, quas Moyſes vetat non ſecus ac ſaturninas, manducari, quia nobiſcum antipathiam habent, vt alectrion, porphyrionem, ſtrutionem, vpupam. De terreſtibus equum, tygrim, regulum, lupum, ſcorpionem,

ſcorpionem, cimicem, pulicem: omnia pugnantia venenata, & carniuora. Similiter piſces his reſpondentes in mari, & ſerpentes, & draconem volatilem calidos ſiccóſque intemperate, idcircò venenoſos.

7 De plantis allium, cæpam, porrum, ſinapi, euphorbium: praſſium, piper, cicutam, ſcammonium, ſantalum rubrum, coccognidium, centauream: rhabarbarum: omnes herbas choleram per ſympathiam attrahentes; ergo helleborum: eupatorium: thamarindos, & quæcunque acutum, & ſtomachoſum ſaporem, & odorem habent. *Plantæ* ♂.

8 De lapidibus marmor rubeum, & iaſpidem, & pyropum ex parte, & calculum rubrum ſcabroſum. *Lapides* ♂.

9 De metallis, & mineralibus arſenicum, antimonium: æs rubeum, ferrum, chalybẽ, ſulphur, ocrã, cæteraque rubea, præſertim venenoſa acutæ operationis, vt minium. Corallus autem eſt Veneris cum Marte, vel Martis in bono ſitu. *Metalla* ♂.

10 De coloribus rubicundum, rutilantem, ſanguinem: & croceum quaſi, ſubrubrum, qualis eſt bilis. *Colores* ♂.

11 De ſaporibus ardentem, acidum, & acrem ex aromaticis. *Sapores* ♂.

12 De odoribus ſimiliter ardentem, qui lacrymas ciet, vt cæpæ, & aceti fortiſſimi, & piperis præſertim rubri: ſimiliter acutos, faſtidioſos, qualis rhabarbari, hellebori, &c. *Odores* ♂.

13 De ætatibus eam in homine, quæ à 41. annis vſque ad 56. procedit: quando animus, & acumen præualent, acuta bile ex virilitate præcedente, & deſiderio magnorum facinorum. In cæteris rebus eam quæ ſequitur virilitatem, & crudelitatem conciliat quandam. *Aetates* ♂.

14 De cometis rubeos, & ſanguineos, & qui radios inſtar enſis, & lanceæ emittunt; & qui ſtellis martialibus adhærent, bella, & peſtes indicantes. *Cometæ* ♂.

15 Super aërem rubicundum, & nubes ardentes, rubeas, croceáſque indicat; & ſuper tonitrua, fulgura, fulmina, & ignitas impreſsiones, & peſtilentes; quæ poſt ſiccitatem longam, & ſerenitatem fiunt ex fuliginibus, & ex calefacto aëre: de quibus in Aſtrologia. Eius domus ſunt ♈. ♏. exaltatio ♑. & oppoſita in altero hemiſphærio. *Tempus.*

De ordinibus beneficarum: sed prius quæritur, an benefica habeant causalitatem, an solam indicationem super morbos.

CAPVT IV. ARTIC. I.

Benef. ♃ & ♀.

SEquuntur post maleficarum seriem, & mala nobis prouenientia, duarum beneficarum ordines, earúmque bona, videlicet Iouis, Venerísque: quæ in terra nostra temperamentum calidum humidumque humano persimile efficiunt: resque homini vtiles fouent, augentque: inutiles verò occidunt: vnde serpentibus, & venenosis herbis, & sterilibus malefici appellantur: quamobrem in libello Hermetis de medicina ex stellis, nulla infirmitas tribuitur Ioui, & Veneri, sed omnes Saturno, & Marti: quibus in significatione commiscet Solem, & Lunam, Mercuriumque, tanquam planetas ancipites, bonos cum bonis, cum malis malos. Idem inuenimus in libello eiusdem argumenti, qui Galeno adscribitur: estque idem cum præfato Hermetis, à quo etiam verba mutuatur, sed mox amplificat eadem, & iudicia, & sensum.

Benefica modificant & specificant morbum, non causant.

Nos autem Ptolemæi, nostrásque experientias secuti, atque rationem, tribuimus, non quidem morbificas causas Ioui, Venerique: sed determinationes, & diminutiones. Quibus enim Venus à Saturno male afficitur: pudendorum imbecillitatem adsignificat, & turpitudines lasciuas: nulla enim res tam bona est in mundo (bonitate inquam respectiua, de qua est sermo) quæ mali admistione non vitietur. Nam & panis, & saccharum si misceantur venenis, venenantur; & si plusquam oportet sumantur, ægritudinem conciliant. Similiter antidota venenis mixta, etsi minuunt eorum vim: tamen ipsa malè afficiuntur. Si quis tamen contendat multitudinem influxus venerei, & iouialis, non nocere, neque mistionem cum malis, sed prodesse, minueréque: attamen mala denunciare nuper his, quorum habent significationem, non contendam. Ratio verò valdè probabilis est, vt Venus male affecta non male afficiat: sed maleficium in membris venereis determinet, quod tamen à Saturno, & Marte propriè afficitur. Nec Ptolemæus fortè dissentiet: nam etsi Iupiter malè affectus denotet mortem ab iudicis sententia: tamen mortem illam violentam Mars propriè indicat, Iupiter modum addit. Sic de morbis.

De

De ordinibus rerum ad Iouem, beneficum maiorem, spectantibus.

ARTIC. II.

1 IVpiter humidus cum quadam firmitate styptica, & calidus temperato calore, iudicatur aëreus, sanguineus, diurnus, masculinus, & fortuna maior dicitur ab Astrologis, non imperitè. Si quis ipsum intuetur in cælo, colorem habet album, splendescentem, clarum, non spissum, oculis gratum, & quasi subroseum. Ab hoc Platonici omnia bona pollicentur, tanquam à Sole humano, hominum malis maximè contrario. *De ♃ medicinaliter.*

2 Ioui ergo adscribuntur primò omnes stellæ illius colorem referentes, vt aquila, basiliscus, antares: licet ob inclinationem ad rubicundum etiam de Martis natura mista esse dicantur; de quibus in Astrologia. Habet etiam in cælo signa duo Sagittarium, calidum, siccumque, coxarum humanarum indicationem tenentem: & pisces; humidum frigidumque, sed temperatè, super pedes indicem. Stellæ mediceæ sunt iouiales tanquam asseclæ. *Stella ♃.*

3 Homines iouiales constantes, religiosos, legiferos, iustos, sanguineos, pulchros, liberales, succulentos, non nimis albos, roseosque simul, amœnos. Veneri sed puræ, amicos: mundos, mansuetos: capillo medio inter crispum, & planum, splendentique, de quibus in Astrologia. Vbi etiam quomodo ex moribus, ex corporis habitu, & ex cæli themate eos agnoscas, docuimus: vbi nimirum ipsum super locum Lunæ, & horoscopi, & alios apheticos principari videbis. *Homines ♃.*

4 De partibus hominis habet sanguinem, iecur, carnem, pulmonem, tactum: vim digestiuam, & vegetatiuam. *Partes ♃.*

5 De morbis, omnes, qui ex sanguinis accensione, & abundantia fiunt, vt est febris ardens, quam potus frigidæ vnus curat; inflammationes hepatis, peripneumonia, pleuritis, cardiaca: apoplexia, angina, conuulsio, stupor: capitis dolores ex flatu. Item spinæ; lethargus, & quidquid ex sanguinis corruptione, & abundantia fit, & citò sanantur. *Morbi ♃.*

6 De animalibus Ioui dantur quæque pulchra, ac bene temperata, vt pauo, perdix, phasianus, agnus, aquila, iuuencus, *Animalia ♃.*

non tamen puto aquilam rapacem, quæ serpentibus vescitur, & sanguine: quam dicerem martialem: sed eam quæ herbis vescitur, mansuetam magis, colore albam. Turtur ob castitatem sit iouialis, quamuis vocem saturninam habeat: & aues coronatæ, & pulchræ: similiter pisces illis consimiles.

Planta ♃. 7 Ex plantis amygdala, ficus, pinus, platanus, fraxinus, cerasus, crocus, myrobal. persicum, santalum croceum, moschus, ambra, saccharum, macis, origanum, marathrum, auellana, pistacia, glycyrrhiza, triticum, quercus, lilium, ocymum, been, radices rubræ, candidæque; & omnia aromatica, quæ cum stypticitate habent simul humorem, & dulcedinem suauem.

Mineralia ♃. 8 De mineralibus argentum, & electrum.

Lapides. 9 De lapidibus hyacinthus, topazius, corallum, crystallum, berillus, spodium, sapphyrus clarus, bezoar, aquilinus, marmor.

Colores. 10 De coloribus candidus clarus, & roseus splendescens, & aërei omnes.

Sapores. 11 De saporibus, dulcis, aromaticus cum humiditate commendabilis, non nauseosus.

Odores. 12 De odoribus acutus, suauis, delectabilis, & omnes confortatiui.

Cometæ. 13 De cometis, qui crines elatos habent, albos, & formam quasi humanam referentes, clari, pulchríque, & argentei.

Tempus. 14 Super aërem clarum, & ventos salubres boreales indicat, & auras suaues, fœcundas, gratas, tempora clara, & quæ Zephyrus affert, & serenitatē non permistam fuligine, pestibus contrariam.

De ordinibus rerum ad Venerem, beneficam minorem, spectantibus.

ARTIC. III.

De ♀ medicinaliter. 1 VEnus benefica secundo loco est, vocatúrque fortuna minor: quoniam & ipsa humanis fauet rebus, non tamen sic valdè vt Iupiter. Dicitur humida, & frigida temperate: quoniam suo calore blādo feruores Solis, & ♂ temperat, vnde potius subcalida dicenda esset. Sanguini non benè cocto, seu chylo, correspondet. A Sole non discedit vltra 47. gradus. circum ipsam gyrare vnà cum ☿ non secus ac medicea circa Iouem, planissimum factum est. Æstimatur nocturna, cum tamen media sit inter diem, & noctem: tanto enim tempore est diurna, quanto nocturna

nocturna in cælo: &(quod mirum)de die nulla stella apparet,nisi Luna, & Venus, prope inferiorem absidem; ipsaque est hesperus, & lucifer: ita vt media dici queat inter vtrumque tempus. Habet colorem album, quasi lacteum, spissúmque,non ita clarum,vt Iupiter: jamque per telescopium deprendimus eam augeri, & minui, & cornutam fieri, vt Lunam solarem eam dicere possis; quod omnibus euenit stellis circa alias maiores rotatis.

2 Igitur omnes stellæ eundem calorem habentes reputantur, vt canis maior, Azimuch. Amica est Ioui,& Marti,cuius intemperiem mitigat. Habet signa duo in cælo:taurum frigidum,siccumque temperatè, & libram calidum humidumque temperatè. Exaltatur in piscibus ob temperiem, & fœcunditatem consimilem; & in cancro, & scorpione, & piscibus, triangularem habet potestatem,vt in Astrologicis. Alterum horum collo præest;alterum natibus. *Stellæ ♀.*

3 Ex hominibus habet præcipuè fœminas,& effœminatos homines, oculis nitidis iocantibúsque; præditos colore albo roseóque, & ad fœmineum inclinante; supercilia nigra pulchrè efformata; capillos nigros, extensos, modicè crispantes: carnosos, collo teretes,albosque,luxuriosos;molles ex parte;non valde calidos, fœcundosque;& referunt Iouem cum minori maiestate,& maiore venustate. Vide Astrolog. *Homines ♀.*

4 De partibus humanis habet incoctum sanguinem, seu chylum & rorem,seu humidum radicale,& semen, & virtutem attractiuam,& prolificam:olfactum,gustum, ventriculum;vasa seminaria, vuluam, testes,mentulam:vmbilicum, mammillas, lac, adipem. *Partes ♀.*

5 Morbi harum partium illi adscribuntur, & molles harum partium egestiones:stomachi frigiditas, inappetentia, attractiuæ debilitatio,lienteria, strangulatio vteri, gonorrhæa, & quæ fiunt ex retento semine furiositates,& febres ex amore: qualis in Antiocho erga Stratonicen, & Amone erga Thamar. Fistulas etiam addit Ptolemæus; lues venerea,nouus morbus, addenda est, & appetentia canina, & citta. *Morbi ♀.*

6 Animalia venerea, quæque salacissima, & humida reputantur,& pulchra,vt columba, motacilla,passer, ceruus, delphinus, armellinus,gallina,philomela, turdus,panthera, pecus, ficedula, pellicanus,perdix,& quæ zibetum exsudant animalia. *Animalia ♀.*

Plantæ ♀. 7 Plantæ Veneris sunt myrtus, quia semper viret, & fructus dulces cum suauitate producit, sycomorus alba, & rubra: ornus, & arbores, ex quibus manna per cæsuras scatet: rosa, præsertim alba: rubra enim iouia est, & ♂ & ♀ lilium conuallium; capilli veneris, viola, balsamum, terebinthus, oliua, granata dulcia, & arantia dulcia, quæ tota manduntur: quæque Reghij, & Neocastri in Calabria ferunt fructus persimiles pudendis fœmineis, & masculeis, non sine admiratione, vt in mari pisces similes pudendis: artemisia, cerefolium, borrago, citrago; & quæcunque bene, & aromatice olent, sed non acutè: & sunt dulces absque acumine suaui, & multi seminis, & nutrimenti, vt milium, amygdala, & auellana.

Metalla ♀. 8 Dant ex metallis Veneri æs, præsertim corinthiacum, & album; alij etiam stannum perfectum, cui similis est in colore, & bolos terræ albos.

Lapides ♀. 9 Ex lapidibus corneolam, & sapphyrum cæruleum, corallum album, & rubeum; margaritas, quandoquidem oua, partus Veneris sunt, ipsamque colore valdè referunt. Item alabastrum albissimum: dant alij smaragdum, & serpentinam viridem perlucidam: quoniam virentia, & florescentia ad Venerem spectant, præsertim picta. Serpentinam rubram Marti darem. Item lapis aquilinus, quoniam partum fæliciter educit, venereus est, & moschus, & quæcunque conferunt genitalibus, & semen augent. Lapis lazuli datur ♀, quia arcet melancholiam, sed ♄ bene constituto potius congruit: trahit enim sympathia atram bilem.

Colores ♀. 10 Colores venerei sunt candidus, quasi lac, & margarita: ipsique tribuuntur virides, quatenus iuuentutem arborum designant, & picti, pulchrique, quales in floribus: omnes enim flores ad Venerem spectant, vt mox declarabimus.

Sapores. 11 Sapores Veneris dulces sunt, non acuti, paulisper insuaues, vt in manna; & vnctuosus, & aromaticus obtusus, vt in myrto.

Odores. 12 Odores omnes grati aromatici, obtusi, & qui in virentibus pratis spirant.

Temporum vices. 13 Indicat super ventos meridionales calidos humidósque, super aëris teneritudine, & ethesiis, serenitatem facit in æstate: in hyeme pluuiam, quasi roridam absque tonitru, & fulgure: genitalis aura fauonij sibi pergrata est.

14 Como

14 Cometas lacteos producit colore, pulchros: valdè comatos, & humanos: super fœminas indicat, & effœminatos, & super puerilem ætatem vsque ad 22. regit Ptolemæo: mihi autem ante commista Mercurio, ob causas in 5. Astrolog. dictas. Altero in hemisphærio oppositos habet locos.

De luminarium ordinibus, causarum nempè vniuersalium; & an sint vtrumque luminare nobis tantum, an & alias ad stellas, & de munere vtriusque luminaris.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 SI fixa sidera lumen à Sole recipiunt, & non sunt ipsi soles, circa quos alia errent, vt ipsorum color à Sole dissimilis, consimilis verò planetis, arguit: quod quidem, scilicet planetas, à Sole mutuari lumen, Luna, atque Venus crescens, decrescensque ad aspectus, sicut & Luna iam per telescopium declarant: profectò existimare licet Solem nostrum causam esse omnium rerum, quæ in nostro fiunt systemate, & in planetis, & in fixis; eiusque vniuersalem actionem specificari, & determinari à planetis: tam in se intra se; quam in nostram tellurem. Neque enim tot res, támque diuersæ, fierent ab vna luce, nisi à causis aliis dispertiretur, modificaretur, & variaretur. Quidquid ergo planetæ faciunt, Sol facit modificatus in illis: à quo etiam per radiorum impetum moueri puto omnes, nedum illustrari. In spatio enim magno, vbi ad situm nullum habent propensionem, à quocunque, vel à leuissimè tangente, quorsumcunque moueri possunt, vnóque teneri capillo, sicut nauis in mari, vt alibi probauimus.

Sol vniuersalis causa.

Modificatur à particulari.

Lunam ponimus secundum luminare, sed nostræ tantum telluris, quod in Iouis systemate non sentitur, sicut nec quatuor Lunæ Iouis in nostro, & quæcunque circa fixas, vel alios rotantur planetas. Sicut ergo Sol omnia agit, sic Luna omnes actiones in stellis modificatas defert ad nostrum systema. Omnes idcirco perlustrat menstruo spatio: igitur hæc de his dicere nunc oportet.

Luna modificat, & modificationes omnium defert.

De Solarium ordinibus.

Artic. II.

Quæ stellæ solares. 1 DE Solis ergo natura existimantur omnes planetæ qui Solem circundant, tanquam centrum amoris, magis, quam heliotropiũ secum voluitur. Attamen Saturnus non videtur solaris nobis, quoniam distantia eius ita minuit lumen ad nos, vt videatur potius frigefacere, & exsiccare: quæ autem Solem non circundant, vt fixæ, vel solares non sunt, vel secundum gradum à Sole habent, vt Luna nostra, quæ terram circundat, non Solem, & tamen virtute caloris, quem tellus à Sole accipit, expandítque, ad finem vsque sui vaporosi circuli fertur. Censentur etiam solares omnes stellæ fulgentissimæ, & quasi nubilosæ præ fulgore non spectabili, sicuti neque Sol spectatur; vt quæ sunt in ense Orionis: & in Galaxia, & alia, de quibus in Astrolog. Luna autem est quasi alter Sol nobis nocturnus, faciens mensem, sicut ille annum, & quatuor mensis tempora.

Homo solaris. 2 Homo est animal solare in primo gradu præ animalibus cunctis, idcirco dominus est omnium animalium: & vtitur eis tanquam seruis, & instrumentis: existimantur tamen alij saturnini, alij iouiales, alij venerei, martiales, & mercuriales, & lunares: quoniam hi planetæ virtutem Solis hominum productiuam ad certos gradus, & temperies trahunt. Quibus tamen Sol in aphеticis locis plus dominatur, sunt puriores, & minus modificati, & hi solares, animo ampli, magnanimi, Reges secundum naturam, qui plus amant totum, quam partem; benefici sunt toti generi humano, religiosi, liberales, ambitiosi, cunctis scientiis delectantur: omnia mouent grandia negocia, & pendent ab eis innumeri homines, præsertim vbi Sol satellitio stipatur. Sunt corpore grandiusculo, benè commensurato, capillitio pulchri, sæpéque flaui, qualis Dauid in S. Scriptura describitur; naso simi, oculis acutis, & mediocribus, interdum glaucis, claris, spissa barba, iunctis superciliis, splendidi colore, albo, roseóque, sed prout planetis commiscetur. Vide Astrolog.

Partes Soli subiecta. 3 De partibus corporis habet dextras omnes, & spiritum vitalem & cor, arteriasque: oculos, sed præcipuè dextrum, & caput, & motum generaliter

Morbi. 4 De morbis, cordis passiones, syncopen, ophthalmiam, suffusiones

ſiones oculorum,omniáque ipſorum mala, præſertim dextra; & hecticam febrem, ſed cum Marte. Mala etiam ſtomachi, & pectoris ſignificat:morbos quoque generales ex aëris contagio.

5 Animalia ſolaria ſunt, homo, gallus, leo,aſtur,aries, cygnus, cantharis,crocodilus,phœnix,ſi fabuloſus non eſt.Lynx,regulus, gryphus,carduelis. *Animalia ſolaria.*

6 Solares plantæ ſunt palma, laurus, lotos, dictamnum,fugadæmon,pæonia,vitis,arbores aromaticæ, vt thuris, myrrhæ, balſami, calamus, crocus, ſpicanardi, cinamomum, lignum aloës, roſmarinus,cedrus,citrium,chryſomelum,mala aurea, heliotropia multiplicia:alia enim flores oblonges, craſſoſque habent,alia vnum rotundum radioſum inſtar ſolis:alia in flumine Euphrate erigunt comas ex aqua,cum Sol oritur, eleuantur vſque ad meridianum, deprimuntur vſque ad occidentem, & cum eo ſubmerguntur in aqua. Oportet etiam exiſtimare ſolares cunctos flores, qui Sole oriente aperiuntur, eóque occidente complicantur, & clauduntur. Item qui Solis motum imitantur diarium, vt lupinum, & qui annuum, vt oliua, tilia, & ſalix: cum tamen ſalix,& populus potius lunares ſint, & oliua venerea: ſed ſicuti ſua ſidera Solem ipſæ imitantur. Item carduus, & pulegium; quæ eiuſdem conuerſiones in capricorno, & cancro celebrant floritione ſua, ſolares erunt: ſed nulla herba ſolaris non ſit, licet aliarum ſtellarum particeps: omnes enim ſtellæ Solem quoque participant: omniáque aromata à longè ſpirantia cordialem odorem. *Plantæ ſolares.*

7 De mineralibus aurum habet ob ſui puritatem, quæ ſoli ineſt Soli,& lapis helites aureis radiis imitans Solem;ſal quoque,cuius oculus ſolem oſtendit. *Metalla.*

8 De lapidibus pantaura omnes in ſe lapidum habens virtutem, vt Sol omnium ſtellarum, & aurum omnium metallorum. Carbunculus nocte rutilans, lapis qui oculus Solis appellatur inſtar pupillæ,emicanſque lumine quodã miro: chryſolithus,auripigmentum: Adamas præcipuè ſolaris eſt. Sed profectò omnes lapides tranſpicui ſunt propriè ſolares: quoniam à robuſtiſſimo Solis calore opacitatem, & frigus terræ vincente generantur: proptereáque omnes albi ſunt in ſua origine, ſed alterius rei miſtione colorantur: propterea qui ſunt crocei, ſunt ſolares lunareſque ſimul, vt topazius: qui rubei, ſolares, & martiales, vt pyropus: qui cærulei,& fuſci ſunt inſuper ſaturnini,vt cyaneus, *Lapides.*

& nigrum vitrum, & sapphyrus densus: qui virides Venerem cum Sole habent, vt smaragdus: qui varij etiam ☿. & sic de cæteris. Idem dic de herbis, & cunctis rebus.

Colores solares. 9 De coloribus dant illi croceum, cum nullus, nisi lux, quæ viuus est color, Soli debeatur, & cum omnis color sit lux impura. Qui puriores sunt, ad solarem accedunt magis, vt albus, & subalbus, flauus, &c. & qui clariores, & luminosiores, quamuis rubei, & virides.

Sapores. 10 De saporibus habet aromaticum, subamarum, ob stypticitatem, sed confortatiuum, & acutum; neque dulcedo, neque vllus sapor ei denegatur; sed qui potentissimi, non fastidiosi, vt thuris, caryophylli.

Odores. 11 Odores saporibus dictis correspondent acuti, aromatici, confortantes.

Tempora. 12 Ipse facit omnia tempora, diem, & noctem motu diario: annum motu latitudinis; & in hyeme blandus producit pluuiam, & res hyemales: & in vere herbas, flores, & res vernales. In hyeme cum Saturno sibi apud nos conuenit: in vere cum Ioue, & Venere. In æstate cum Marte omnia exsiccat, & maturat: morbósque martiales facit. In autumno cum Mercurio, morbósque mercuriales, & res facit. Quæ quatuor tempora correspondent quatuor diei partibus, vt à media nocte sit hyems, manè ver, meridies æstas, vesperi autumnus; quæ Medicis scire necessaria sunt. Facit etiam cum Luna mensem, & quatuor mensis tempora, vt sextiles, & trinos, vt in Astrolog.

13 Super cometas, & eclipses significat, cum instar Solis rutilant, splendéntque; moderantúrque eas signo, & dominio signi, & angulorum ad certos effectus. Domus eius Leo apud nos, sed vltra æquatorem aquarius: triplicitas: prima eius est. Exaltatur in ♈. apogeum habet in ☍ ♋.

De lunaribus rebus, & hominibus, & morbis, & membris, & medelis, & indicationibus, & temporibus.

ARTIC. III.

Natura, & varietas, & potestas Lunæ, & sublunarium. LVna igitur luminare minus ad tellurem nostram dicitur. Reputatur frigida, & humida, quoniam calorem Solis moderatur: attamen cum plus lucet, plus calet. Igitur in prima quarta dicitur calida, & humida, instar veris, & mane. In secunda

cunda calida,& sicca;instar meridiei, & æstatis. In tertia frigida, & siccca,instar autumni,& vesperis. In quarta frigida, & humida, instar hyemis, & noctis. Eius calor sentitur in rebus humidis,quæ ea aucta augentur,etenim rarefacit instar ollæ ad ignem; ergo crescit: & in pleniluniis hyemalibus hoc manifestum est: quando ipsa prope Zenith plena incedit. In æstiuis non item: quoniam in signis australibus calet, temperatque nostrum suo calore blando, vt tepida aqua feruentem. In mari manifesta est potestas eius: quod vsque ad plenilunium cresscit, & exinde decrescit vsque ad interlunium. Motus enim sexhorarius illi conuenire non potest, sed Soli, vt in Physiologia probauimus, conuenit tamen eiusdem variatio.

Dicitur planeta nocturnus, quoniam absente Sole, suo lumine res collustrat,fouétque contra frigus.

Item ministra omnium cælestium est virtutum. Cùm enim aliquam stellam in suo loco non habemus, sufficit si ibi sit Luna aspiciens stellam illam, nam eius virtutes demandat. Res inferiores adeò à Luna dependent, vt nihil in motu, in sensu, in ortu, educatione, diminutione, absque eius obseruatione rite fieri queat. Neque ligna cædere duratura, nisi ipsa sit minuta lumine;ne concipiendo ab eius luce calorem, & humorem,citò putrescant. In Medicina autem absque Lunæ obseruatione procedere,est cæcum esse,& casu operari. Dies enim critici,& morborum motiones omnes ab ea dependent, & humorum passiones, ex quibus morbi generantur. Color eius est subcroceus; cum enim impura sit,lumen clarum,candensque non reflectit.

2 Omnes stellæ lunares censentur, quæ croceum referunt colorem,& nubilosum;quales in crinibus Berenices,aselli,Orionis ensis, aliæque multæ. Sed profectò Luna dicenda est potius stellarum assecla, quam quod aliqua stella lunaris sit, cum Luna omnium virtutes accipiat,& nulli det suas ob exilitatem,nisi telluri, & mari,& natis horum. Cum beneficis, est benefica, cum maleficis,malefica Domus eius, ♋ est nobis,vltra æquatorem ♓. *Stellæ lunares.*

3 Homines lunares censentur quicunque humidi, parum calidi, phlegmatici, pituitosi, corpulenti, succi pleni, rotundi faciε,pulchráque,albam non perpolitam, sed quasi glaucam,& sæpè maculosam: oculos subcroceos instar topazij, & subuirides, & cum aliqua macula habent, & sæpè luscos, debilésque. Sunt *Homines.*

instabiles, formidolosi, scelestorum diuulgatores, obliuiosi, & pigri; nec cum res magnas aggrediuntur perseuerant.

Partes corporis. 4 De partibus corporis habet sinistras omnes, & humores omnes generatim, sed cum ♄ melancholiam, cum ♂ bilem, cum ♃ sanguinem, cum ♀ semen, & humidum radicale: cum Sole arterialem sanguinem, & motiones, & spiritus: cum ☿ spiritus animales: & humores mistos, præsertim vrgentes corpus ad motum, & vrinam. Habet oculum sinistrum, & cerebrum, & medullas, & super membra muliebria, & stomachum valdè significat, & super omnes sensus, & actiones.

Morbi. 5 Ergo ex humoribus omnibus qui fiunt morbis, miscetur Luna; sed præcipuè qui fiunt ex insipida pituita: nam in salsa adsciscit sibi ♂. Ergo habet epilepsiam, paralysim, & catarrhum, oppilationes ex succis viscosis factas: hydropem, lienteriam, apostemata phlegmatica, morbillos pueriles. Super sanguine menstruo, cui dat nomen, plurimum potest, & ideo super vuluam, & muliebria, sed pro signi natura omnibus admiscetur morbis, efficítque criticos dies, & si credimus Hermeti, & Galeno, omnes morbi fiunt ex Lunæ oppressione à ♄ & ♂ iuxta naturam signi.

Animalia. 6 Animalia lunaria sunt omnia quæ degunt in aquis, licet alij planetæ simul super ea significent; sed præcipuè mollia vocata, vt cancri, & limaces, testudines, & quæ carent squammis; & quæ lapidibus adhærent, & echini, qui in orbem voluuntur instar Lunæ radiantis, & aucta Luna augentur. Habet super echinis aliquid Saturnus, edunt enim quinque dentibus, super architectura mirifica formatis, tophos, & scopulos, & herbam, vt ex talium mixtura spinæ, & cortex nutriantur. De terrestribus elephantes sunt lunares, multo humore grandescentes, qui radiis Lunæ gaudent: eique genu flectunt, quasi adorantes. Omnes quoque animantes nocturnæ, quæ in nocte sibi cibum comparant, sunt lunares, præsertim quæ carniuoræ non sunt; illæ enim martiales, & quæ die cæcutiunt, vt vespertilio, lepusculus, & aquis gaudentes, vt anseres, anates, hippopotamus: aues marinæ, alciones, & vermiculi arborum, & in corpore humano geniti ex humore putrescente, præsertim albi, & molles. Item quod in India mutat quindecim colores, in diebus 15. augmenti lunaris, & in aliis 15. deponit eos seriatim, mutátque.

Plantæ. 7 Plantæ lunares plurimæ, præsertim albæ, lacteæ, insipidæ, & humi-

humidæ, vt cucurbita, lactuca, citrulli, pepones aquatici, endiuia, cardilli insipidi Item pimpinella, buglossa, & quædam lunaris herba, quæ Lunæ motum imitatur. Vidi aliam Lunas in foliis singulis habentem multas. Item quæ foliis rotundis, cæruleisque crescente Luna dietim vno folio crescit; & minuta minuitur eodem ordine. Frondosas arbores, & rotundæ figuræ vmbrosas, & parum fructuosas, potes Lunę adscribere: omnesque citò nascentes, & citò morientes herbas.

8 Metalla reputantur lunaria, argentum: quoniam est luminare minus metallorum, vti aurum est maius: ostrea, mater margaritarum: margarita argentea, & quæ ignem non ardentem producunt, sed fatuum. *Metalla.*

9 Lapides lunares sunt selinites, qui Lunam impressam habet, & ad ipsam micat; crystallum frigore induratum in Alpibus, & tophus, & lapides molles, quales Neapolitani. *Lapides.*

10 Croceus color ad album declinans est lunaris: & omnis albidus nimium fulgens, & lacteus, qualis in radicibus herbarum. Item ad viridem vergentes, vt in endiuia, & herbis sub gleba positis ad albescendum. Item lentiginosi, & quales in floribus fabarum. *Colores.*

11 Sapores habet insipidos ex nimia humiditate indigestos: & stypticos obtusos, quales in principio formationis pomorum; & dulcedinem insuauem: non ex vnctuositate, vt est venerea, sed aquositate, vt in citrullo, & cucurbita. *Sapores.*

12 Odores non habet nisi stypticos, & insensiles, quales in herbis nondum maturatis, exoriuntur: & qui cerebrum humectant molliúntque. *Odores.*

13 Super mensem habet indicationem in synodis, & principiis rerum: in oppositionibus super supremam perfectionem: in mediis super augmentum, & decrementum: & in qualibet configuratione cum Sole, & planetis, & fixis indicat, quidquid illi faciunt, immo effectus defert. Quapropter serenitates, & tempestates, & mediocritates facit in aqua, aëre, & in corpore humano: pro signi tamen natura, aliter in aliis rebus, & partibus, vt suo in loco dictum est. *Tempora.*

14 Ætati nascentium præest: hominum vsque ad quartum annum: cæteris in rebus pro rata vitæ illarum: super fœminas multum potest: & manifestè. *Aetates.*

Eclipses solares ipsa facit, lunares ipsa patitur: significatque

pro illorum domicilio, & interregno planetarum, & aspectu, & colore, vt in 3. Astrolog. dictum est.

De rerum generibus Mercurio tributarum, & decretorum propriorum, & mistorum.

ARTIC. IV.

☿ natura & significatio.

1 MErcurius tandem, qui non est benefica stella, neque malefica, neque luminare, seorsum consideratur; quoniam eius virtutes iuuant, augéntque bonorum bonas, malorum malas; est ergo nullius temperamenti, licet cum Sole siccus, matutinus, calidus: vespertinus, humidus censeri possit. Sed tamen semper qualis est planeta, cui magis iungitur: dicitúrque etiam à D. Thoma præesse ingenio, ob multiplices illius motus, & quasi discursus. Et quoniam omnem recipit qualitatem, sicuti anima omne scibile: circundat Solem. Propterea non remouetur ab eo plus quam 23. gradibus. Color eius micans est, variusque, præsertim verò argenteus, & propterea varietas ei datur.

Stella ☿.

2 Stellæ ita micantes, & variæ Mercurio tribuuntur: vt stellæ trianguli, vultur cadens, lyra, cauda capricorni. Domus eius gemini calidum, & humidum: & virgo frigidum, & siccum temperatè; exaltatur in ♍. & in tertia triplicitate, cum ♄ viget.

Homines ☿ les.

3 Mercuriales existimantur homines ingenio acuti, versatiles, computistæ, grammatici, mercatores, scribæ, scientiis apti, animo semper negotiosi: prophetiarum, & miraculorum sectatores: ad mores alienos accommodabiles: imitatores: mediocris staturæ: attenuati. Faciem oblongam: oculos caprinos habent: barbam nigram, & raram, & pulchram: pedes tenues, & digitos graciles, & oblongos, artificiis idoneos; mechanicis scientificis, astronomicisque. Temperati sunt ad siccitatem, & modicam caliditatem vergentes, si ☉ ♀ ♄ ♃ cum Mercurio in sua dignitate coïerint, nihil est quod magis pro ingenio desideres. S. Thomas ait, in domo ♄ id Mercurium benè situm præstare; in Aquario plerumque.

Partes corporis.

4 De partibus corporis ☿ tribuuntur spiritus animales, discursus, memoria, imaginatio, sermo, lingua, nerui, digiti, articuli: puto memoriam esse Saturni, reminiscentiam ☿: illius enim retinere, huius operari. Vnde pueri mercuriales plerumque obliuiosi. Gurgulio, & lingua illi conuenit, & os.

5 De

5 De morbis ephemera febris, phthisis, melancholia, mania, delirium omnis generis, linguæ impedimenta, tussicula; morbus sacer, spuitio sicca, copiosaque, vomitus, & quidquid ex copia humorum in capite putrescentium fit, & cum animæ afflictione, pauore, taciturnitate & suspiriis; cum pulsu languido, breui, anxio, superficie arida, frigida, vt plurimum. *Morbi.*

6 Mercurialia animalia sunt omnia sagacia, & ingeniosa, vt aranea, vulpes, simia, canis, polypus, sepia, formica, apes, grus; & quæcunque politiçè viuunt: serpentes propter astutiam dantur ☿. at non venenosi: sericus vermis ab artificio videtur mercurialis, & quoniam se transformat in pyraustam: lux nocturna oculorum, & facies leonina, catum seu felem solarem indicant, non mercurialem; hyena quoque mercurialis est. *Animalia.*

7 Plantæ mercuriales sunt quædam eius nomine insignitæ, vt bombax, zinziber, & agnus scythicus; qui planta, & animal est: omnesque plantæ motu animali donatæ: & quæ Musis dedicantur, & vaticiniis, vt verbena: & quas Dioscorides describit. Item arundo, ex qua fistularum organa pastores faciunt: & perforatæ huiusmodi plantæ flatulentæ. Sed compositio simplicium in Medicina, potissimum est mercurialis, vt theriaca, hiera, diambra: licet res compositæ ad alios referantur planetas. *Plantæ.*

8 De lapidibus primò mercurialis est battus, qui omnium metallorum colores refert, probàtque. Item achates lapis ad facundiam, & visum, & contra venena valens; vitrum porphyriticum, lacca; & lapides varij coloris, præsertim ex viridi croceóque. *Lapides.*

9 Mineralia ☿ sunt argentum viuum, marcasita, & æramentum mistum ex stanno, & ære, compositionis ergò. *Mineralia*

10 Color varius datur ☿. & qui vulgo *cangio-colori* nominatur: & qualis præcipuè in collo columbæ: & qui picturam multicolorem referunt. *Colores.*

11 Sapor Mercurij nullus, neque odor: sed cui se miscet, eius odorem, & saporem refert. Puto tamen odores insensiles, & sapores, qui discerni non possunt, Mercurij esse, qualis in lapidibus pretiosis virtute plenis ignota. *Sapores*

12 Mercurius ventosus existimatur, sed turbine, & ventorum mixtura, & eo vento, quem planeta, cui applicatur ciet; om- *Temporum passiones.*

nibus

nibus enim subseruit. In aëre vim habet, quoniam est facilis impressionis, augetque aliorum decreta.

Cometæ & eclipses. 13 Cometæ omnes mercuriales, quoniam significant, sed præcipue varij colore, & motu; & qui stellas mercuriales sectantur; Eclipses, in quibus interregnat, vt in Astrolog.

De mistura causarum, & causationum cælestium in vnoquoque effectu, & decretorum, & operationum in rebus, & rerum partibus, & medicinis, & medicabilibus.

Capvt VI. Artic. I.

1 Ex iam dictis facile quis cuiuslibet simplicis medicamenti facultatem; & vniuersalem, & peculiarem intelliget. Itemque medicabilis membri, & humoris, facultates: attamen, & hæc connotanda sunt.

Rerum dissimilarium dissimilares sunt vires in Medicina. 2 Res dissimilares, & organicæ non sunt eiusdem virtutis & sideris in omnibus partibus, sicut nec homo: sed quælibet pars, & parti pars temperie, & odore, & sapore, & colore substantiæ passione, & similitudine iterum examinanda est: etenim arantij cortex rufa Martem refert: similiter & sapor acutus, & ardens instar aquę vitæ. Medulla sub cortice, iouialis est, acida. Spicula, seu offę Martis & Saturni. Semina Iouis & Veneris. Totum Soli. Cõmiscentur enim omnes planetæ ad rerum inferiorum compositionem, sed qui præualet, ei tribuitur effectus. Plantarum ætates etiam planetis distribuuntur: item partes. Radix & ossum ♄ fructus ♃. flos Veneri: spinæ & cortex ♂. humor Lunæ: spiritus Mercurio, folia Lunæ & Veneri: fibræ neruique ☿ & ♄.

De generali portentorum cælestiũ causatione in res humanas per scientiam medic. 3 Præterea dum afficitur apheta vel Luna indicans super morbum, vel fit eclipsis, aut cometes, aut aliud portentum in cælo: habet significationem primò generalem, vt in quarta vernali ab ariete ad cancrum super res iuuenes, & principia rerum, & sanguinem, & super morbos ortos à sanguine, & in res, quæ vere nascuntur: Et super herbas, & flores, & cerasa per se: per accidens verò etiam super res quæ in his fiunt. Si enim flores oliuarum afficiuntur damno, in autumno quoque sentitur. Et hoc tempore morbi iouiales, & venerei: aut commoda iouialia, ac venerea panduntur. Ideo esto cautus, & sapiens in Astrologicis. In quarta verò æstiuali ex cancro vsque ad libram res æstiuales benè, vel malè afficiuntur, & rerum profectus, & viri non pueri, præsertim

martiales & solares: & morbi fiunt ex cholera, & quales à Marte & Sole. In autumnali significatio est super vindemiam, granata, oliuas, & super senescentes homines, & res melancholicas: fiuntque morbi mercuriales & ♄ni, & qui animum lædunt; vel hominibus mercurialibus benè est. In quarta hyemali super res decrepitas ætate, & super frigida, & humida saturnina, & lunaria simul. Sicut enim Sol diei & æstati, sic etiam Luna hyemi, & nocti præest. Propterea etiam distingue de nocte, an de die quid accidat in causis, & causatione rerum.

4 Præterea in quolibet signo peculiaria sunt accidentia, sicuti de cometis, & eclipsibus loquendo docuimus. Sicut enim aries capiti, & taurus collo: gemini brachiis: cancer costis, & pectori: leo cordi, & stomacho: virgo abdomini, & lumbis: libra natibus: scorpio pudendis, & sedi, & vesicæ: sagittarius coxendicibus: capricornus genibus: aquarius cruribus: pisces pedibus, præsunt in significatione, & in quolibet horum constitutio facta ad certa membra hominis potestatem exerunt: sic etiam super particulares herbas, & lapides, & liquores, & metalla, & hominum complexiones, & animalia specificant significationem. Similiter & trigoni planetarum, & planetæ cum eis, & sidera de ipsorum natura: & qui hæc commiscere non nouit significata, casu medebitur, & imperite. *De peculiari causatione cælestium.*

5 Componere quoque medicinas oportet, quoniam & morbi compositi sunt: & vires rerum simplicium, nisi misceantur, non faciunt compositum effectum. Quapropter de hac compositione restat nobis sermo: & de applicatione, ac deinde de iudicio, cum prius pharmacorum vires, & correspondentias cum humanis membris, quasi in tabula, posuerimus. *Regula componendi medicinas in morbis compositis.*

6 Præterea sicuti ♈. capiti præest: ita omnibus morbis eius partiumque, vt oculorum, aurium, dentium, faciei maculis, morfeæ, & renum principio. Taurus collo, gutturi, scrophulis, bocio. ♊. spatulis, brachiis, manibusque: eorumque malis, & fructuum formationi.

Cancer pectori, mammillis, pulmoni, scabiei, insuper impetigini, serpigini, lepræ, maculis faciei: maturationi.

Leo cordi, stomacho, diaphragmati, spinæ eorumque malis. ♍. abdomini, intestinis, eorumq; malis: & qui ex atra bile fiũt.

♎. foliorum casui, pilis, natibus, eorumque malis, & morbo venereo, sanguinis fluxui per inferiora, retentioni vrinæ.

Scorpio ano, pudendis, vesicæ, renibus, lepræ, cancro, scabiei, fistulis, faciei maculis, hæmorrhoidibus, calculo, tenesmo.

♐ coxis, femoribus, eorum malis, casui ab alto, & à bestiis læsioni.

Capricorn. genibus, eorumque morbis, scabiei, mutitati, surditati.

♒ tibiis, eorúmque malis, icteritiæ nigræ.

♓ pedibus, podagræ, paralysi, & morbis depascentibus, cum toto suo trigono, vt in Astrolog.

Habent & stellæ bibeniæ etiam particulares morbos: ibi vide.

De laminis astrorum. 7 Prodesse laminas Astrologicas Plotinus, & Arabes, & Albertus volunt, ægrotis. D. Thomas characteres tantum, & litteras tollit. At ritè fabricatas in rebus planetis assignatis & medicinalibus opinor: moralibus suspicor: quoniam & D. Thom. confert nonnihil à cælo Medicis in medendo: Agricolis in plantando: Militibus in pugnando: quod quatenus Mos in natura disposita fundatur verum est: disponitur autẽ & à cælo, vt ipse docet. Experire.

De multiplici applicatione, & vsu medicinalium interiùs, & exteriùs generatim.

CAPVT VII. ARTIC. I.

Effectus medicaminum extrinsecorũ. 1 Omnis medicina, aut applicatur extrinsecus, aut intrinsecus.

2 Cum extrinsecus, sufficit manifesta eius vis, vel attrahendi: qualis est in dictamno, & in pilo canis rabidi ad venenum vulneris ab eo inflictum, educendum. Vel calefaciendi, vel infrigidandi, vel attenuandi, vel mollificandi, vel lubricandi, vel leniendi, vel abstergendi, quæ ex dictis patent: & quælibet cuilibet membro applicantur. Est alia vis occulta, qualis in lapillis, quos annulo, aut collo deferimus.

Sex effectus intrinsecus applicatorũ. 3 Cum intrinsecus oportet adhibere medicinam, quæ proprietatem habeat vel attrahendi per similitudinem, vt senna melancholiam. Vel extinguendi per oppositionem, vt borrago; vel acetosella, & arantij, & citri pars interior: quæ melancholiam reprimunt, minuuntque. Vel lubricandi corpus ad istorum purgationem, vt viola, pruna, gallinæ iusculum. Vel ad leniendum vias, & quasi vngendum, vt solemus adipe naues pellentes; quod facient

cient dictæ res, & vnctuosæ,& aqueæ, vt cucurbita. Vel abstergendo,vt mel,& aqua hordei, & bliti. Vel incidendo crassos humores, qualis est in aceto,sale , & acidis rebus. Aut sunt ad confortandum,quod faciunt calore,frigore,aut stypticitate,aut acumine, prout cuilibet membro opus est ad temperiem eius instaurandam.

4 Item hæc facere habent res aliæ in aliis membris ex proprietate , vt dictum est : propterea numerandæ sunt medicinales res secundum dictas rationes. *Continuatio.*

Enumerantur medicinales res capiti conferentes, vel adtemperiem roborandam: vel ducendum medicinas ad caput, vel euacuandum humores è capite, aliæ alios : & simplices, & compositæ.

ARTIC. II.

1 CAput confortant,eius frigidam intemperiem,& humidam corrigendo:maiorana, betonica, serpillum, pæonia, saluia, ruta,calamentum,fœniculum,lignum aloës, thus,folia lauri, pulegium , rosmarinus , siler montanum , moschus, nux moschata, xylobalsamum,ladanum, stœchas, scylla , caryophylla , & quæcunque acuto,suaui,& non grauante odore constant.Composuerunt etiam Medici ad hoc ipsum plires archonticon ,diarrhodon Iulij, diacastoreum,dianthos cum moscho : nunc etiam cum zibeto fiunt multæ,& cum ligno quod ex Gange afferunt Lusitani,quod vtilissimum inueni. *Confortantia caput frigidũ humidũque.*

2 Si temperies vergat ad calidum & siccum : confortant tunc caput folia myrti, lactucæ,viola, acetum, mandragora , hyoscyamus,folia salicis,cucurbitarum teneræ extremitates, & quæcunque insipida parum olent. Odor rosarum optimus est. Addunt compositionem diapapauer,& saccharum rosat.& violat. Possunt ex saccharo,& præfatis rebus fieri aliæ multæ. *Quæ calidum & siccum.*

3 Res eædem calidæ ducunt medicinas ad caput, sed præcipuè nux moschata , maiorana, stœchas, anacardus, melilotus , castoreum,lignum aloës,thus,pæonia , cucurbita. *Ducentia ad caput.*

4 Euacuant à capite choleram rhabarbarum , centaurea, aloë lota , myrobalani citrinæ , absinthium : cassia fistula : thamarindi : eupatorium, fumus terræ,psyllium:& hæc quidem ob sympathiam cũ cholera:nam stypticitas myrobal. & color similis *Euacuantia à capite choleram.*

 est

est illi. Addunt Medici lupulos: succos rosarum, & violas, & pruna, quæ mihi videntur modicam sympathiam cum cholera habere acuta, sed cum reliquiis eius, & nondum perfecta. Est enim in rosa amaritudo quędam styptica; nec dulcia pruna absunt, cum dulcedo proxima sit amaritudini: possunt etiam requiri sicuti calx in sapone, cætera sicut oleum trahens à pannis oleum; de quibus postea.

Euacuantia pituitam.

5 Euacuant à capite phlegma turbith, agaricus, mastix, colocynthis, polypodium, stæchas, hermodactyli: myrobal. emblicæ, belliricæ, & thereniab. Et quidē agaricum, & polypodium facilè ob sympathiam id facere nouimus: sed de absinthio, & turbith est difficultas amarissimis; quæ non attrahendo, sed occidendo aquositates cerebri dici possunt purgare phlegma: & quatenus admiscentur choleræ, & salsæ sunt. Ad hoc quidem Medici composuerunt pilulas: quas vocant alefanginas, stomachicas, aggregatiuas, coccias, artheticas: de sarcocolla, de hiera simplici, & composita.

Euacuantia atram bilem.

6 Ad euacuandam atram bilem à capite, valent senna cum cinamomo, vel sale gemmæ, & epithymum, & lapis lazuli, & lapis armenus; & myrobalani indæ, & fumus terræ: quæ omnia manifestam habent cum prædicto humore sympathiam.

Sal addunt ad acuendum medicamenta, & incidendum. Fiunt etiam pilulæ de lapidibus lazuli, & armeno, de senna, & fumo terræ: quæ omnibus peruia iam sunt.

Conferentia pectori roboratione, euacuatione, & adductione.

ARTIC. III.

Confortantia pectus qua frigidum.

1 PEctus affectum humore frigido, calefaciunt, & confortant hyssopus, lignum balsami, liquiritia, radix althææ, capilli Veneris, enula campana: myrrha, marrubium, vua passa: scylla, serapinum, quæ & pulmoni prosunt: cui, & vrticam, & ocymum, Catullus profuisse scribit.

Composuerunt ad idem Medici confection. diacalaminthes, diaireos, diaprassium: Ego tamen mel, & vinum maluaticum in hunc finem inueni vtilia.

Ad pectus quà calidū.

2 At si nimis calet, vtendum viola, dragacantho, amylo, amygdalis dulcibus: fructibus sycomori: caricis, semine papaueris, saccharo, sebesten, gummi arabico.

Compo

Componunt etiam diapapauer, saccharum rosatum, & violatum, diadragacanthum, diapenidion.

3 Ducunt autem quadam sympathia medicinas ad pectus, & pulmonẽ, hyssopus, iris, liquiritia, lilium, mel, hordeum, passulæ, penidia, scylla, pulmo vulpis: prassium, capill. Veneris, fœnumgræcum: amygdala, saccharum, dragacanthum, ouum. *Ducentia ad pectus.*

4 Euacuant autem à pectore choleram, & phlegma, & bilem atram, eadem medicamenta, quæ à capite; sed mixta his rebus, quæ ad pectus ducunt: præcipuè tamen euacuant agaric. hyssop. iris, volub. cassia fist. colocynt. & pilulæ de agaric. diasenna: paulinum. *Euacuantia à pectore.*

Quæ conferant similiter cordi.

ARTIC. IV.

1 COr calefaciendo confortat crocus, ambra, moschus, borrago, buglossa, enula campan. rosmarinus, lignum aloës, melissa, cardamomum, cortex citri, os de corde cerui. *Confortantia cor calefaciendo.*

Componunt ad idem diamargar. diambr. pliris: lætificans Galeni.

2 Refrigerando verò hyacinthus, smaragdus, viola, corallum, margarita, camphora; sed per accidens, rasura eboris, ouum, cum aqua rosat. *Refrigerando.*

Componunt diarrhodon, sacchar. ros. & violat. diaborragin. syrup. nenufar.

3 Eadem ducunt ad cor, quæ ad pectus, & de corde non euacuant vlla, quin moriatur homo: non enim potest in officina spirituum aliquod malum absque morte fieri. *Ducentia ad cor.*

Contra pestilentem aërem odores cor confortant, & arcent: vt theriaca, vt alibi.

De medicinis stomacho tripliciter, vt supra.

ARTIC. V.

1 STomachum calefaciendo roborant, corrigúntque, cina, cinamomum, anisum, absinthium, caryophyll. galanga, marathrum, lignum aloës: menta, marrubium; mastix, labrusca, zinziber, & cuncta aromatica acuta, & cortices arantiorum: & aqua vitæ, & vinum maluaticum. *Roborantia stomachum calefaciendo.*

Componuntur ad idem diacymin. diamarg. mel rosatum, diatrion pipereon.

Refrigerando. 2 Infrigidando verò acetum, agresta, cidonia, lactuca, portulaca, plantago: quatuor semina frigida peponum, cucumeris, cucurbitæ, citrulli: pyra, malagranata, endiuia.

Componuntur etiam diaciton. cum saccharo: syrupus ros. & conseru. ros. triasant.

3 Omnia ducuntur facile ad stomachum, nec indigent duce, quia ipse est via.

Euacuantia. 4 Euacuant à stomacho omnia iam dicta; & præcipuè absinthium, myrobal. aloë; & composita pilul. de agar. & stomach. & de hier. Plinius gallinæ iusculum commendat, quod verum est his, qui diu gallinas non manducarunt, & ego probaui hoc: & sal, & acetum.

De conferentibus hepati, eisdem modis.

ARTIC. VI.

Confortantia iecur calefaciendo. 1 IEcur calore refouent asarum, absinthium, quinque semina calida; idest, anisi, fœniculi, ameos, carui, cymini. Item petroselinum, cinamomum, fumus terræ, capill. Veneris, eupator. schœnanthum, vinum falernum.

Composita diacymin. dianis. rosat. nouell.

Refrigerando. 2 Infrigidant vero lactuca, endiuia, portulaca, hepatica, viola, solatrum, santal. spodium, scolopendria, acetum, camphora, aqua rosata, acetosa, plantago, quinque semina frigida, & composita ex his cum saccharo.

Ducentia 3 Ducunt ad iecur res calefacientes iam dictæ, & insuper cuscutha, farina hordeacea, spica.

Euacuantia 4 Euacuant à iecore eadem, quæ à capite cum directiuis: sed præcipuè agar. lupulus, rhabarbarum, eupat. myrobal. thamarind. sarcocoll. iris, volubil. absinth. aqua casei, fumus terræ.

Compos. diaprun. triphera sarracen. pil. de rhabarb.

De medelis ad lienem similiter.

ARTIC. VII.

Confortantia lienem calefaciendo. 1 LIenem calefaciunt acetum scylliticum, ameos: amygdala amara: aqua fœnic. borrago, buglossa, capparis, cichorea, calamentum, endiuia, epithymum, nasturtium, anethum, petroselin. radices brusci, apij, fœniculi, asparagi: santali, scylla,

la, ſpodium, ſemen ſcolop. ruta: thymus, ammoniac. fumar.

Compoſit. diacappar. diacym. diacalaminth.

2 Refrigerant vero endiuia, lactuca, acetum, ſpodium, quatuor ſemina frigida. *Refrigerando.*

Compoſ. dialacca, & triaſant.

3 Ducunt ad lienem cappar. ſcolopend. aſar. tamariſc. ſcylla, cardam. rubia tinct. *Ducentia.*

4 Euacuant agar. ſen. epithym. calam. mont. hell. niger. *Euacuantia.*

Compoſ. confect. hamech. pil. indæ.

De medicinis etiam tripliciter ad renes.

ARTIC. VIII.

1 Renes calefaciunt radices bruſci, aſpar. petroſ. fœnic. & res eædem. Item ſpica nar. ſenecio, ſemen vrticæ, ruta, iuniperus, milium ſolis, ſaxifragia, daucus, cicera rubra, cubebæ, macedonia; & quæ horum ſunt laxioris materiæ, aperitiuam etiam vim habent. *Iuuantia renes calefaciendo.*

2 Refrigerant nenufar. ſemina portulacæ, lactucæ, endiuiæ, papaueris, plantago, virga paſt. *Refrigerando.*

Compoſ. ſyrup. nenufar. acetoſ. ſtomachion, philanthropos, iuſtinum, lithon trypt. quæ etiam ad calculum valent.

Quibus adde cæpam coctam, & eius infuſionem in vino, & eius deſtillationem: ac ſimul florem fabarum. *Ad calculum.*

3 Ducunt ad renes, & veſicam eædem res calefacientes. Adde erucam, cæpam, & quinque radices aperit. videlicet apij, fœnic. petroſel. bruſc. aſpar. *Ducentia.*

4 Euacuant præterea benedicta, pil. cathart. imperiales, pil. arthetic. hermod. elect. de ſucc. roſ. *Euacuantia.*

De medicinis ad matricem ſimiliter.

ART. IX.

1 Eadem ratione valent ad matricem: quam præterea calefaciunt artemiſia, aſſa, ſemen iuniperi, pulegium, lupinum, opoponax, meliſſa, rubia tinct. mentha, ſerapinum, ſabina. Calefaciunt, & trahũt deorſum, ſuppoſita moſchus, ambra, zibetum, & omnia bene olentia: quæ ſi naribus fœminarum apponantur, trahent ſurſum vſque ad ſtomachum, quaſi animal per ſe ſentiens, cum magno ipſarum faſtidio. Suppone aſſam fœtidam, *Confortantia matricem calefaciendo.*

& odo

& odores prauos, & fugiet sursum. Pone in naribus, & fugiet mirificè deorsum.

Refrigerãdo. Infrigidatur eisdem rebus, quibus renes.

Ad menses ciendos, & sistendos. Prouocantur menstrua calefactiuis, & aperitiuis, eorũmque fomentis.

Sanguis nimius arcetur ne fluat frigefactiuis, & fomentis vini in cupulas glandium, & vinacea combusta effusi, & in vuluam exhalantis; cæterísque constrictiuis.

Ad pulmonem quædam.

ARTIC. X.

1 PVlmonem fouent, cor, & pulmo anseris, vulpis, & erycij: caro psitaci; liquiritia, capil. Veneris, cancri fluuiales, & res iouiales, mistæ venereis mitibus.

De roboratiuis, euacuatiuis, & ductiuis ad iuncturas.

ARTIC. XI.

Roborantia iuncturas calefaciendo. 1 IVncturas calefaciunt hermodactyli, hypericon, scylla, calamentum, euphorbium, myrrha, ruta, granum pini; cortex radicis capparis: stercus vaccinum: origanum: storax, nasturtium, castoreum, sinapis, chamomilla, serap. asarum, oxymel simpl. & scyllit.

Refrigerando. 2 Refrigerant verò acetum, opium, solatrum, lactuca, semperuiua, endiuia, myrtus: aqua rosata, bolus arm. psyllij mucilago.

Ducentia. 3 Ducunt ad iuncturas assa fœt. acorus, amomum, piper, polium, scylla, opopon. zinziber.

Euacuantia 4 Euacuant à iuncturis, & extremis partibus turbith, sal gemmæ, sal indum, helleb. niger, polypod. euphorb. cucumer asin. hermodact. centaurea, sarcocolla, mechoacan. cum suis ductoribus.

De medicinis exteriùs applicandis, simplicibus, & compositis speciatim, & de multiplici operatione, & compositione ipsarum, & modo, vsuque.

CAPVT VII. ARTIC. I.

1 HOrum medicamentorum quædam applicantur interiùs, quædam exteriùs; & componuntur ad diuersas intentiones, vt dictum est.

2 Exte

2 Exteriùs Medicus, aut intendit attrahere, aut calefacere: aut frigefacere, aut exficcare: aut emollire, aut subtiliare inclusos humores, ac proinde dolores ex eis productos sedare. *Septem effectus à medicinis extrinsecus applicatis.*

3 Ad extrahendum vtimur vel instrumento prensatiuo, sicuti chirurgi cum forcipe ferrum, aut aliud in plaga concretum extrahũt. Vel attractiuo, & hoc fit vel ratione similitudinis, vt cum dictamnus extrahit ferrum, & aurum hydrargyrum incorporatum per medicinas in lue venerea susceptas, & caput viperæ venenum vipereum, quando momordit; & pili canis rabidi venenum eiusdem. Semper autem attractiuum debet esse solidius, vt trahat, & non trahatur; & poni diuersiua post locum, vnde trahendum. *De extractione prensatiua, & attractiua per symbolum.*

4 Vel fit ratione vacui, quod suctione exequuntur chirurgi quidam: & si est semen, hoc melius facit vulua mulieris. Aut cucurbitulis vitreis stuppa ignita plenis; quæ sunt mirabiles ad hoc, & cum multum etiam sanguinem trahunt, sunt lanceolis cicatrices pungendæ. Valent multum in doloribus ex ventositate crassa frigidáque. Quando autem per ventosas regiones quis ambulauit: igne copioso se circumdet vsque ad sudorem, & aromatica odoretur, & manducet. *De attractiua per vacuum.*

5 Ad calefaciendum vel refrigerandum vtuntur Medici epithemate, fomentatione, vnguento, ceroto, emplastris. Omnia hæc fiunt ex illis rebus, quæ respiciunt membrum sibi appropriatum. *De calefactiua, & refrigeratiua.*

6 Epithema fit ex succis simplicium, vel ex aquis destillatis, & pulueribus simul aggregatis, & calefactis, & applicatis panno lineo, vel laneo, super membro cui quærimus opem. Nam aliud est cordiale, aliud stomachale, aliud hepaticum, aliud cerebrale. Cordiale fit ex cordialibus rebus, vt citro, santal. zedoaria, croco, vino. Stomachale ex stomachicis calidis, vel frigidis, &c. Poniturante prandium: sed in acutis quando potes. *De epithem. Distinctio epithem.*

7 Quando ponitur acetum, vel frigida in testiculis, vel in pedibus ad tollendum fluxum sanguinis ex naribus, accurrente spiritu ad propulsandum frigus, vnà cum sanguine; non est epithema, vt putant Medici, sed diuersiuum. *Adnotatio.*

8 Fomentatio est aggregatio ex herbis decoctis, aut aliis speciebus membrum, quod cupis, respicientibus, in aqua, vel vino; quæ deinde ab alto funditur paulatim super membrum, aut applicatur cum spongia madida, aut filtro: vt calefcat, aut *De foment.*

frigescat, aut attenuetur, inclusa materia, & dolor liniatur.

De vnguento. 9 Vnguentum verò est aggregatum ex liquoribus, cera, pulueribus subtilibus decoctis, donec solidescat. Liquores intelligo vnctuosos, vt olea, pinguedines. Fit etiam sine pulueribus. Ad infrigidandum olea frigida pones, violac. myrtin. rosſ. nenufar. papau. Ad calefaciendum calida, vt anethin. lil. laur. absint. camom. rutæ.

De lenimine. 10 Quando vnguentum est molle ex modica cera, dicitur linimentum: nam pro vncia vna olei ponitur dragma 1. pulu. & ceræ dragm. 1. In linimento semis.

De ceroto. 10 Cerotum fit cum pulueribus grossis, & oleis cum resina, vel cera ad formam solidam redactis: & applicantur vel capiti, vel hepati, vel spleni, vel matrici, in sua forma.

De emplastro. 11 Emplastrum fit ex liquoribus pariter vnctuosis, & herbis, radicibus, & floribus, vel grossè pulueratis, mistis, & ebullitis ad spissitudinem; quod ponitur super panno, qui super latere calido incalescat; & sic applicetur.

De cataplasſ. 12 Cataplasma fit ex herbis viridibus, & aliis rebus contritis, & applicatis membro.

In balneo applicatio. 13 Applicantur etiam balnea aquarum, in quibus herbæ decoctæ sunt, aliæque res, conducentes ad totum corpus, vel, vt poros aperiant, & extrahant calorem hecticum, & fuligines, vel, vt cōfortent lassum; vel vt, &c. sic etiā aliorū vnctiones, & frictiones.

De pessario. 14 Pessarium quod vuluæ apponitur ad constringendum, vel adeducendum sanguinem, vel semen corruptum, eisdem fit modis ex appropriatis simplicibus ad formam vuluæ.

De interiùs applicandarum medicinarum præparatione, compositione, operatione, & vsu, & modis decem, secundum Medici intentiones.

ARTIC. II.

8. medicinalia interius applicanda. 1. QVæ autem applicantur interiùs ad calefaciendum, vel refrigerandum, aut exsiccandum, &c. sunt aquæ destillatæ, decoctiones, succi simplices, electuaria, confectiones; looch, syrupi: & euacuantes, seu laxatiuæ, medicinæ.

De aquis stillatitiis. 2. Aquæ destillatæ fiunt in alembico per sublimationem partium tenuiū è crassis vi ignis eductarum, receptarúmque in vas, in

in quod densati vapores destillent, non secus ac aquæ in aëre generantur. Educuntur autem ex rebus non vnctuosis: ex his enim olea elicimus. Sunt prædictæ aquæ penetrantis virtutis ad membrum, cui applicantur, mirificæ: peragúntque effectum celerius quàm res vnde exprimuntur. Aliæ quidem fiunt propter stomachum, ex vino, & vua passa infusa aquis. Aliæ propter caput, ex rebus capiti conferentibus, aloë, maiorana. Aliæ propter iecur. Aliæ propter iuncturas. Ex his medetur Paracelsus, non ineptè quidem, tum ad facilitatem, tum ad vigorem medicinæ. Verum quoniam ad vnciam aquæ de rhabarbaro, multum rhabarbarum consumitur, ac sæpè opus est non modò virtus tenuis, quæ facilè euanescit, sed crassa eius substantia, quæ immoratur ad perficiēdum opus, & non incorporatur nostræ soliditati: idcirco hæ aquæ, non in cūctis sunt laudabiles. Præterea medicina attractiua ex his fallax; non enim trahit in ventriculum, sed ipsa currit ad humorem in aliis vasis, & iuncturis propter suam tenuitatem: idcircò si non subito operatur, occidit augendo morbosam causam, quando est attractiua, non quando expulsiua, & resolutiua peccantis humoris. Laudo medicinas confortātes calefaciendo, refrigerando, & attenuando, &c. ex his destillationibus mirificentissimè propter iuncturas, & vitalia: Olea autem ex mineralibus, & herbis valdè proficua extrahimus; & ad totius; & ad partiū salutē; magis autē ad partiū, & deforis: similiter sales ex eisdē, at potius intus. *Quæstio de stillatitiis.*

3 Decoctio est aqua, in qua decoctæ sunt herbæ, flores, sales, gummi, & aliæ res: in qua ipsarum substantia remaneat; eáque vtimur ad reficiendum quotidie. Est enim iusculum, & ad calefaciendum, & refrigerandum. Non enim calor accidentalis in membra transit, sed substantialis rei decoctæ: alioquin cucurbita cocta calefaceret, & quidem calefacit accidentaliter: sed partes cucurbitæ in nostram substantiam transeuntes frigefaciunt apertione, & minoratione, & extensione, vt dictum est priùs. Palam est autem quomodo in brodio rei substantia melior manet, & non crassities. *De decoctione.*

7 Infusio autē est aqua, in qua per aliquod tēpus simplicia relinquimus medicamēta, vt ibi substantia remaneat: quādo timemus ne per decoctionē euanescat. Res enim acuti odoris, & quæ odore operantur in nos, vt rhabarb. colocynth. absint. & huiusmodi decoqui non debent, sed infundi. Exprimitur deinde ex eis infusio decoctiove, prout magis, minúsque opus est ipsorū vi operatiua. *De infusione.*

De succo. 5 Succus exprimitur torculari, sicuti vinum ex vua: & alius refectiuus, sicut qui ex columba, aut capone exprimitur, quando æger difficilè accipit nutrimentum modicum, & indiget multo: vel non sufficit stomachus ad digerendum crassitiem. Solent in hoc succo medicinalia poni, & exprimi. Alius est euacuatiuus. Alius calefactiuus. Alius, &c. prout sunt simplices, vt supra.

De confectione. 6 Confectio fit ex pulueribus, & speciebus intentioni appropriatis, cum saccharo, melle, & aqua decoctis, & in formam solidam indurescentibus tenuium abscessu.

De electuario. 7 Electuarium fit ex eisdem non adeò coctis, quæ in lentam abeant consistentiam; cui solent addi etiam passæ, pulpa caponis, & aliæ res, pro effectu quem intendimus. Alia enim confortant: alia euacuant: alia nutriunt, &c.

De looch. 8. Looch verò similiter fit, sed in consistentia lubrica, vt illud æger lambere possit: & propterea minus coquitur ne indurescat. Et sicut in confectione dragm. 1. puluerum exigit duas vncias sacchari, & in electuario non nisi vnam, vel vnam cum dimidia: ita in looch fortè mediam: sed potius mel illi conuenit, quam saccharum Vtuntur hoc Medici salubriter ad pectoris asperitatem leniendam, ad pulmonem expurgandum, ad catarrhum incrassandum; ne siccum in pulmonem defluens, officiat. Species autem sunt quæ talibus membris propriæ.

9 Solent fieri medicinæ ex dictis, vocatæ mixturæ.

De trochisco. 10 Trochiscus est ipsamet confectio in rotundam, depressamque formam redacta: fitque ex omni medicina puluerabili ad quantitatem iuxta effectum intentum. Nam alia ad cerebrum: alia ad stomachum: alia, &c. Fiunt trochisci, vt species medicinales sic conseruentur. Et sunt quidam adstrictiui, vt de terra sigillata, bol. armeno; quidam confortatiui de menta, de absint. quidam fumigatiui pro matrice, aut poste, aut cerebro: & profumi seu suffumigia de horum genere sunt.

De pilulis. 11 Pilulæ autem quasi pilæ fiunt ad deglutiendum, vt euacuent, quod non omnes trochisci faciunt.

Quotuplex medicina euacuans; & primò de euacuantibus infernè; vbi prius de suppositoriis.

CAPVT VIII. ARTIC. I.

1 MEdicinalium euacuantium aliæ infernè applicantur, vt suppositoria, & clysteria; aliæ supernè, vt syrupi vomitorij,

mitorij, & lenitiui, & digestiui, & laxatiui; & confectiones.

2 Suppositoria applicantur, alia ad irritandum: alia ad attrahendum, alia ad leniendum. *De suppositoriis.*

3 Leniunt res vnctuosæ, & dulces: nec ob aliam causam induntur, nisi quia via alui aliqua de causa est astricta, & exasperata, aut vlcerata, vt facilius fæces egrediantur. *Lenitiuo.*

4 Irritatiua ponuntur, vbi vis expulsiua est pigra, vel alteri intenta negotio; vnde pungimus ipsam, sicuti natura facit per cholericum humorem. Et hæc fiunt ex rebus salsis, & pruritum inducentibus; non tamen absque oleo, ne vlcerent, aut exasperent: talia sunt sal, alumen, caseus sallsus, lardum, &c. *Irritatorio.*

5 Attrahentia ponimus cum opus est vermes ad odorem trahere, vel humores consimiles. Puto enim ex rhabarbaro facta trahere bilem; ex aliis, humores alios: ergo ex melle, lacte concreto, ex puluere hellebori, euforbij hieræ. Additur sal ad irritandum, mel, & lac attrahunt vermes; helleborus humores. Miscentur etiam irritans, trahens, & leniens ob &c.

Secundo de Clysteribus inferne applicandis ad euacuationem.

ARTIC. II.

1 CLysteria sunt simplicium decoctiones, aliæ ad confortandum, & nutriendum, vt de brodio caponis cum æger non benè nutritur, & post multam euacuationem: semper adde in his saccharum, & pinguedinem salubrem, vt lutea ouorum; & quæ subito nutriunt, quæ venæ trahunt, iis intestina confortantur. Administrantur verò tepida. *De clystero nutritiuo, & confortatiuo.*

2 Aliæ sunt ad constringendam aluum, & venas eò accurrentes, & fiunt ex acacia, bursa pastoris, bolo armeno, cupulis glandium, corrigiola, corticibus castanearum: hypocystide, labrusca, lapatio, plantagine, myrto, seta combusta, seminibus portulacæ, & acetosæ, terra sigillata, vitello oui combusto. *De constrictorio.*

3 Aliæ lenitiuæ, vt de malua, maluauisco, althæa, atriplice, branca vrsina, semine lini, psyllij, fœnugræci: & oleis calidis. Alterant & leniunt de viola, lacte, spinae, portulaca. *De lenitiuo.*

4 Aliæ abstergunt, vt de blito, hordeo, mercuriali, parietaria, furfure. *Abstersiuo.*

Solutiua. 5 Aliæ soluunt etiam ventositatem, & dolores colicos: vt camomil. melilot. ruta, aneth. anis. semin. carui, ameos, seseleos; allij fila, substantia enim minus ardet. Adde origan. pulegiū, & similia.

Subtiliatiua. 6 Aliæ simul subtiliant, vt de capill. veneris, milio solis, lupul. quinque radicibus calidis, & res. cuscutha, senecione, chamædr.

Incisiua. 7 Cum vis viscosas fæces incidere, & gelatos humores; adde acetosam, & res acres. Ex aceto, & adipe arietis ego probaui: sed cum periculo dysenteriæ, ad ischiadicum dolorem, & viscosos humores.

8 Olea ponuntur iuxta intentionem calida, vel frigida, lenia, abstersiua.

Tempus. 9 Clysteria, & suppositoria euacuantia cum Luna est in signis aqueis, & Mars fortis ad expulsiuam roborandam, ministrabis. Sed debilis sit planeta, cuius humorem vis educere.

De superne purgantibus: id est, de vomitoriis.

ARTIC. III.

1 SVpernè per os medicinæ applicantur, aut ad vomendum; aut ad euacuandum per aluum: vel propter vtrumque.

Vsus vomitus. 2 Vomitus naturalis est homini: quando stomachus superfluis, aut noxiis premitur.

3 Ad vomendum superflua, aliquando sufficit ipsa superfluitas: nam ebrij vomunt, & qui plus cibi quam oportet assumpserunt, præsertim non gratos stomacho. At verò vbi difficilè ista vomit, liniat pectus & os stomachi butyro, & bibat aquam multam cum oleo: oleum enim nauseam prouocat, aqua tepida iuuat ad idem, & simul superfluitatem penetrat, commouet, aptátque egressioni. Non autem ponas acetum: stringit enim. Solet & penna oleo intincta immitti in guttur ad prouocandum stomachum, præsertim oleo sesamino.

Ad vomendū pituitosos humores. 4 Si noxia phlegmatica substantia est in ventriculo, tunc syrupus acetosus, oxymel, melicratum, & huiusmodi post cibum dantur: vt simul mixta trahant secum phlegma, præsertim vitreum. Addunt alij anethum, cæpam, atriplex, nasturtium, raporum semen, erucam, cucumerem decocta cum vnctuosis. In aliis materiis ea quæ sunt sui generis, vel oppositi: illa trahunt: ista eiiciunt: siquidē decoctio hellebori, & sambuci corticis succus, nux vomica,

vomica, succus bryoniæ:esul.calamentum montanum,per tinent ad alios humores, vt dictum est. Notandum quod quæ odorem nauseosum, & grauem habent,facilius prouocant vomitum,præsertim cum acumine in decoctione; vt aqua cæpæ,raphani, hellebori. Inter omnia tamen antimonium benè præparatum.

5 Cum Luna est in signis ruminantibus valet ista purgatio, & contra venena paulò antè sumpta:& magis in æstate, quam hyeme,& contra humores tenues, & qui in stomacho:crassi enim, & hyeme per inferiora purgantur salubriùs. *Tempus.*

De præcedentibus purgatiuam; & primo de minoratiua, & quibus conueniat, & quotuplex.

ARTIC. IV.

1 MEdicina purgatiua daturpatientibus noxiorum humorum abundantiam,ex quibus fiunt destillationes, febres, obstructiones,putrefactiones; sicut dictum est in libro 3. qui enim superfluitate sola laborant, per diætam sanantur, aut per vomitum:aut per syrupos incisiuos.

2 Solent Medici prius dare medicinam blandam:quam alij lenitiuam vocant, alij rarificantem : alij minoratiuam, quia lenit mollificatque membrum,vnde humor noxius est educendus : & quia rarificat humorem, & aperit viam exeundi, & quia aufert fæces communes,ne misceantur cum purgatiua medicina,& eius vim debilitent,vel attractionem (vt credo) non impediant. *De minoratiua.*

3 Et quidem vbi Medicus scit naturam infirmi,& regio calida est,corporaque laxiora,non solet exhiberi minoratiuum.Neapoli enim nō datur.Patauij,& in Germania datur,vbi corpora densiora, & à frigore constipatiora. Signum autem accipe. Vbi æger febricitans desiderat vinum, indigere minoratiuo : carnes enim habet densas, & substantiam firmiorem, & substantialiter calidam. Vbi æger optat aquam,non indigere:laxioris enim est substantiæ,& non robore, sed copia calidæ.Vbi autem non adest febris, humoris dispositio in subtilitate, & crassitie, & complexio infirmi te admonebit. Subtilitas enim humoris, & corporis obedientia ad purgationem, non egent. *Quibus debetur, & quibus non.*

4 Minoratiua leuia sunt ante prandium oua sorbilia,pruna damascena, ficus, vua passa, brodium caponis, cicerum, brassicarum,&c.pro humorum natura. Item mediocria sunt lac, serum,

hordei

hordei aqua, juleb. cassia fistula, manna, sacch. violat. & vnctuosæ res. Fortiora sunt diasenn. dracathol. pil. de hier. de agar. alef. iuxta dosim præscriptam à Medicis practicis. Vomitus & clyster, & suppositoria sunt etiam pro minoratiuo.

De Syruporum vsu, compositione, & ratione.

ARTIC. V.

De digestiua. 1 Post minoratiuum, vbi opus fuerit, ad digestiuum peruenitur: quod fit in forma syruporum, ex aquis destillatis ex herbis, vel in quibus decoctæ sint herbæ, & res pertinentes ad talem digestionem: propterea exhibentur in morbis à materia cruda exortis, vt coquatur, & præparetur euacuationi: Dum enim est cruda, bonis humoribus miscetur, & difficilè eradicatur: at cum cocta fuerit, incipit sequestrari. Vbi autem materia turget, statim datur purgatiuum, ne ante quam possit digeri, plus noceat, iuxta Medicorum sententiam: nos quoque diximus vt leuetur corpus: & deinde digestio reliquæ portionis perficiatur.

De syrupo. 2 Syrupus fit ex succo, vel coctione multa illius rei, quæ est apta digestioni humoris: cui admiscetur decoctio eiusdem generis appropriatæ illi humori, & membro, vt syrupus liquidior facilius sumatur, & feratur ad membrum, & iuuetur ad operationem. Dosis syrup. est vnc. j. ß. aquæ vnc. iij. plusculum, vel minusculum.

3 Si humor peccans sit grossus, pone syrupum de rebus calidis, & attenuantibus. Si viscosus, de incisiuis: si tenuis, de incrassantibus. Et simplicia sint appropriata humoribus, & membro.

Syrupi digerentes phlegma. 4 Alij enim digerunt phlegma, vt de artemis. acoro, absinth. bizantiis, calam. eupat. hyssop. liquiritia, mentha, oxym. simp. comp. de scylla, prassio: quibus correspondent aquæ menthæ, calam. art. abrot. bryon. fœnic. enulæ. eufra. gramin. hyssop. lauendulæ, origani, rorismarini, saluiæ.

Digerentes choleram. Alij choleram, vt de end. agrest. ros. papau. iuiub. citon. viol. iuleb. viol. portulac. nenuf. oxysacch. myrtinus, acetosellæ, acidi citri. Quibus respondent aquæ de end. cichor. portul. cucurb. lact. acetos. nenuf. scabiosæ, ros. viol. lup. papau. rub.

Digestiui ad atram bilem. Alij melancholiam, vt de pomis, de fumo terræ, bizant. borrag.

borrag. bugloff. acetosus, compos. de thymo. epith. oxysacch. oxym. scyllitic. stæchad. scolop. Quibus respondent aquæ borrag. buglos. asar. fum. terræ, melis. cuscutæ, lupul. eupat. scolop. sambuc. tamarisci.

5 Cum autem volueris ad aliquod membrum, in quo per essentiam sit morbus, istas medicinas perducere, vtere rebus perducentibus ad illud; de quibus supra. Et si fuerint plura membra, vtere pluribus ductoribus, & semper pone plus de remedio pro illo humore, & membro, vbi plus est de malitia. Miscebisque intentiones & res. Semper tamen pones aliquod confortans stomachum, qui est via communis; & cor; vt borrago, meliss. adduntur sæpè aromata, & quæ confortare scimus. *Regula pro membris singulis.* *Confort. semper.*

6 Ex dictis rebus quædam videntur contraria humoribus educendis, quædam fauere: illæ enim reprimunt, vniunt, & vt vincantur satagunt: istæ vt attrahantur, & vniantur. *Aliquid contraria, & nō quid similia.*

7 Dantur etiam post purgatiuum pharmacum syrupi, vt quæ relinquuntur in morbis per vrinam, aut secessum paulatim emittantur; aut per oppugnationem vincantur, ne paulatim aucta recidiuam efficiant. Vnde syrupi de quinque radicibus vrinam cientibus, ac simul humores noxios, mirabiles esse probantur.

8 Sunt etiam in morbo venereo, qui vnico, & repetito pharmaco eradicari perfectè nequit, alij syrupi: immo potus continuus medicamentosus administrandus: quod etiam in cunctis non perfectè curatis fieri oportebit, vt in suo loco.

De multipliciter purgante medicina, & ratione suæ compositionis, & purgationis; & temporibus opportunis.

ARTIC. VI.

1 QVum corpora lubrica facta fuerint, & præparata per syrupos (quæ tamen per iuscula appropriata facilius, & vtilius forsan parabis:) dabimus medicinam purgantem, ac simul euacuantem. Purgat enim quæ humorem extrahit peccātem; & euacuans est communis. Alia enim est lenitiua, vt quæ fit per cassiam, & manna, & brodia, & pinguedines vngentes locos transitus, nedum trahentes. Alia lubricatiua, vt quæ per ficus, pruna, violas, quæ fæces, & humores mollificant, & adigunt. Alia abstersiua, vt quæ per aquam hordei, & acetosas res; quarum etiam est incide- *De purgante & euacuāte.* *Euacuans.* *Lenitiua.* *Lubricatiua.* *Compressiua.* *Abstersiua.*

re,& pituitam etiam emittere. Alia fit compressione,vt quæ per mespila, & sorba assumpta post cibum, quem deprimunt, & vniunt virtutem,& à tergo stringunt fibras transuersas, ita quod extrudant ante, ac deorsum : à ieiunis vero & ante alios cibos sumpta, constipant.Putamus myrobalanos comprimendo purgare, quod verum si addas & attrahendo. Alia fit dissolutiua proprietate; quam agarico in phlegma,rhabarbaro in choleram,&c.

Symbolica. dant. Nos autem hoc attractioni damus, & contrarietati cum medicina componitur.

Quinque intrant medicina euac. compositionē secundum Medicos. Quinque ponunt in medicina componenda doctores: videlicet basim quæ respicit humorem, quem purgare intendis: & si sunt duo humores, duas bases: vt agar. pro phlegmate,sennā pro melanch. 2. Confortatiuam basis, vt turbith confortatur à gingibere,aloë à colocynth. scammonium à bdellio;& hæc est subdupla ad basim. 3.Ponunt, vbi ista non sufficiunt, aliam, quæ sequitur radicis operationem: vt scilicet ipsam ducat ad membrum proprium, aperiat vias, iuuet opus. 4. Medicinam reprimentem basis nocumentum,vt contra opium euphorbium. Et hoc,quādo medicina aliquid venenosi habet,vt helleborus : aut contrarium patienti,vt scammonium febricitanti:Et hæc æqualis est cum basi in pondere,& virtute.5.Alterantem totius compositi,vt ad certam speciem reducatur;& vt absque abominatione sumatur.Adduntur & quæ medicinam à calore naturali defendant, quando sunt debilis virtutis, & quæ ad diuersa membra ducant.

Regula compos.1. 3 Dant regulas primò, vt si qua medicina pluribus confert membris,aut passionibus, vel ad remotiores à ventriculo partes est operatura,vel in composito sola est vnius virtutis,aut contrarium corrumpens habet:de illa multum in compositione ponendum est.

Reg. 2. 2.Si multæ est virtutis subitò operantis, vel pauci iuuaminis,vel in viis propinquis agere debet,vel nocumentum habet annexum: vel non est vnica, vel caret contrario; de ea plus ponendum est.

Reg. 3. 3.Æqua portio earum rerum,quæ sunt æqualis virtutis.

Reg. 4. 4. Minor de maiori.

Reg. 5. 4 Non fiat compositio rerum, quarum vna statim, altera post multo tempore soluat : alioquin illa istius operationem præueniens frustrabitur.

Monitio. Nec quarum proprietates contrariæ sibi inuicem, vel in modo operandi, vt violæ, & myrobalani : & ficus, & mespila.Hæc vera sunt, quando eodem tempore volumus educere totas causas morbificas,& medicinarū tēperatione est opus.

5 Arbitra

5 Arbitramur autem, quod vbi medicina sufficit ad totum opus, non est addenda confortatiua, vt mechoacan, & antimonio, neque sequens operationem radicis. *Monitio 2.*

6 Vbi etiam corrigitur medicina ante sumptionem, non est apponendum correctiuum, vt antimonio præparato, vt in mineralibus, aut, &c. præparatis. *Monitio 3.*

7 Quæ sequitur radicis operationem si vim habet expulsiuam, quam radix habet attractiuam, non est eodem tempore propinanda; vel sic addenda, vt post attractiuam agat, hoc est, in minori quantitate & virtute. *Regula 6.*

8 Falluntur qui putant expulsiuam sufficere medicinam, quando humores non in ventriculo, & intestinis, sed in remotis sunt partibus: oportet enim iungere attractiuam: & quæ citius, & prius agat. Et istæ dicuntur Medicis à proprietate occulta agere. *Monitio 1.*

9 Quapropter in nostro dogmate omnis medicina componitur ex basi attrahente, & ex altera expellente, sicuti sapo ex oleo, quo oleum panno imbibitum trahat, & suscitet; & ex cinere, & calce, quæ expellant tanquam contraria, & abstergant. Cætera quæ Medici addunt ad horum robur, & facilitatem spectant, aut ad confortationem membri, vnde eductio fit; & vitalium; quæ tamen confortatio, & abstersio & leuatio possent fieri post medicinam, si æger toleret, ne simul factæ impediant illius opus. *Compositio medicinarum ex proprio dogmate.*

10 Idem confirmatur in morsu viperæ, cuius cordis sumptio, aut spinæ in puluerem actæ, sanat à veneno. Similiter sanguis caninus epotus à veneno rabidi canis, & mus in radice nascens napelli à veneno napelli. Ergo præcipua basis est attractiua.

11 Temporibus calidissimis, vt sub canicula, prohibentur purgationes: ne dum calor aëris trahit ad circumferentiam humorem, & calorem natiuum, impediat opus medicinæ trahentis ad centrum, & spiritus expellentis. In maxima necessitate peracutorum infrigidato cubiculo aliquando concedūtur. Similiter negantur in frigidissimis, ne calore coacto in centrum digeratur medicina; & attractio ex spissis membris minor fiat. Similiter in igneis, & terreis Luna existente signis, & ♃. Vtilior est in aqueis, & in aspectu bono Lunæ & ♂. & deiectione planetæ, cuius humorem, vel membrum vis purgare, ne roboret: impediatque; de quibus in Astrolog. *Temp. purg.*

De euacuatione per venarum sectiones secundum tempora, & vsus, & rationes.

ARTIC. VII.

Vtilitas phlebotomia. 1 EVacuatio humorum facilior, & præsentanea magis fit per venæ sectionem: non tamen vtilior semper; quoniam necesse est sanguinem simul educi, quod faciendum non est, nisi vbi sit superfluus, non dico toti corpori; sic enim melius est per ieiunium minuere illum, quam sectione: sed parti; in qua est læsio, & à sanguine augetur, vt sunt rubedines in facie, apostemata, squinantiæ, scabies; & quando fiunt ebullitiones sanguinis, & risus multi, & affectus vanissimi.

Tempus. 2 Tempus minuendi est, vbi vrget necessitas, vt in angina; at ex electione post digestionem horis matutinis. Et quidem Astrologi adnotarunt secundum intentionem tempora. Cùm enim sanguinem educere volumus, fit mane, & in prima Lunæ quarta; cũ choleram, fit à meridie, & in 2 quarta: cum melancholiam, fit vespere, & in 3. quarta: si phlegma à media nocte, & in vltima quarta: tunc enim isti humores suo quisque tempore magis abundant, & facilius ebullientes egrediuntur. Vniuersaliter tamen omnis humor augetur & decrescit augmento, & decremento Lunæ, vt palam. Respondent etiam quartis anni istæ eædem.

Regula. 3 Non tamen tangas venam alicuius membri Luna existente in signo, nec cum planeta illius membri domino: nec in temporibus calidissimis, nec frigidissimis; quando nec purgandum; nec in copula Lunæ cum Sole per tres dies ante, & post: nec in oppositione per vnum diem: nec in aspectibus hostilibus, vel coniunctionibus cum & per diem.

Regula. 4 Quædam sectio fit ad diuertendum ex opposita parte sanguinem: quædam ad educendum ex eadem. Illa in dolore nouo: illa hæc veteri.

Regula ex partibus. 5 Regula est. Vena capitis contra capitis mala: epatica contra inferiora epatis & splenis: media seu cordialis contra mala pectoris: quæ in collo, & temporibus ad mala proxima, & quæ in angulis oculorum, ad oculos: quæ sub lingua, ad gulæ apostemata, &c. quæ in pedibus, ad mala vuluæ & inferiorum partium, & crassos humores.

Qui sanguis bonus. 6 Sanguis bonus est rubicundus, splẽdens, quasi floridus, qui nec natat

natat in aqua, nec fundum petit, ſed mediat: & ſerum habet ſequeſtratum inſtar vrinæ in mediocri quantitate.

7 Sanguis nigreſcens petens fundum aquæ, parum ſeri habens, eſt craſſus, atrabilioſus, & larga ſectione educitur. *Malus.*

8 Sanguis ſpumoſus, ſcintillans, rubeam, croceámque ſpumam habens, & qui natat; cholericus eſt: & nimium ſerum defectum coctionis indicat.

9 Albus, ſimilis oui albumini, cum mucilagine multa, phlegmaticus eſt; non autem ſi albus, coctus inſtar ſeminis; tunc enim bonus, paratúrque albarum partium nutrimento.

10 Sapores, & colores ſanguinis indicant de cholera amara, de atrabili acida, de phlegmate dulci, vel ſalſo: ſimiliter ſectionem recipiens, tenuis; renuens, craſſus; viridis, aduſtionem choleræ: liuidus aduſtionem melancholiæ: & hæc clara ſunt.

11 Sanguiſugæ pueris conueniunt, & ſenibus ad venas: ponuntur etiam pro capitis dolore in venis hæmorrhoidalibus, & in loco tumoris ſanguinis.

12 Cucurbitulæ attractiuæ ſanguinis ad contuſiones, & tumores, & diuerſiones inflammationum; & ad veneni extractionem, &c.

De purgatione per medicinas, iuxta regionis, & temperiei ingenium, & vſum, varia.

ARTIC. VIII.

1 NOn omnibus regionibus idem purgationis modus vtilis, ſicut nec nobis omnibus. Perſæ enim, & Mauri, & Ægyptij purgantur tranſpiratione: ſumpto enim bezoar, aut alia naturæ ſymbola, proficuáque re, inedia macianturper gradus dietim; frictionibus corpus tractant, & oleis extractiuis vngunt. Vnde humores ex venis odore pharmaci concuſſi, & reſoluti naturæ vi confortata ad expellendum, exudant, tranſpirántque. Hoc autem vbi calida regio.

2 At in Germania, Polonia, vbi non humores, ſed fluores craſſi abundant, ex guloſis, diuturniſque conuiuiis, crudique exuberant, ſi volueris tranſpiratione educere, nequaquam poteris: contumaces enim ſunt, & nequaquam attenuantur: immò firmantur in vaſis, & in muſculis, læduntque magis. Oportet ergo ad centrum eos deducere, & per alui foramina lata purgare.

3 Qui autem paludosas,& aquosas habitant regiones: per vrinam facilius,& per sudores purgantur: ergo vrinam,& sudorem cientia ministrabis.

4 In nostro verò climate omnibus viis iuxta tenuitatem, & acumen; crassitiem, & obtusitatem humorum; & ad ostia excretionis propinquitatem, & distantiam.

5 Sunt Slaui,& Boëmi,& alij boreales,qui cum febricitant, assumpto vino multo generoso, & piperibus in illo, operiuntur multis culcitris: vt pulsi humores ab interioribus, ac benè attenuati piperis, & vini caloribus, extra vasa per cutem in sudores versi educantur. Quod quidem multis etiam nostratibus prodesse visum est: quando cruditates insunt, & sordes ductibiles.

6 At vbi bilis multa, nec sola: & organa læsa, & assata melancholia, nescio an prosit: solet enim indurari magis à pipere quod assatur,& lapidescit; nisi valdè perfusum humectetur pharmaco; & quod vlceratum est,exacerbari,& spiritus debilitari, obnubilari,incrassarique vino, vincíque pipere, vt à carbonis fumo. Fateor tamen pollentibus robore, & cruditate affectis, & humore superfluo, nil læsis organis, nec inflammatis valdè, nec nimis simul obstructis,si tamen nec prægnantibus; pharmacum hoc valdè proficuum esse.

7 Cauteria etiam ad alium purgandi modum spectant,dum via paratur prauis,vel superfluis humoribus, totum, vel partem aliquam lædentibus,ad exitum. Natura enim nacta viam facilè per illam sese exonerare nititur. Vesicantia tandem cauteria maiora sunt extraordinariáque.

8 At qui stupidi sunt ex ægritudine, inualidíque ad crisim,videntur per vesicantia purgandi: siquidem allia,sinapis, cantharides, aliæque res acutissimæ applicatæ intra brachiorum, & coxendicum musculos, rodunt, vlcerant, abstrahunt cutim, cient humores, & prauitates consequuntur: quemadmodum per cauteria fieri solet. Dolor ardens insuper accersit spiritum,& fluores in plagas ex nobilioribus partibus ad ignobiliores per violentos arte factos abscessus: quibus mirificè purgantur, reuiuiscúntque.

9 Est vbi igne vsti, qui humoribus in aliquo membro vexantur, exsiccati subito conualescunt. Asiatici vtuntur proximis vstionibus in salutem. Iuuat vstio infantes, fluoribus suffocari solitos,ceruici applicata, quo attenuati transpirant.

De

De medicinis transnaturalibus.

CAPVT X.

1 HIppoc. non semel de morbis patientium quid diuinum mentionem facit: quos necesse videtur non absque diuinis adhibitis sanari oportere.

2 Tripliciter autem morbi diuinum sapiunt. Primò, quando supra qualitates physicas incedunt: siue ab exteriori sint elemento, qualis est à veneno, vel pestilentia: neque enim mordentis scorpionis saliua, & vis agit vt calida; sic enim magis ageret, & venenaret ignis. Nec vt frigida; sic enim nix magis. Nec vt sicca, sic enim pumex magis. Nec vt humida, sic enim aër, & aqua venenarent longe magis. Nec vt temperies qualitatum, in quibus nimirum agitur nihil, nisi debilitatio, castigatio, diminutio ipsarum. Ergo & virium actiuarū. Agunt ergo ex primalitatum vehementia, & modo, licet in qualitatibus, & temperaturis sic, & non aliter constituantur, vt supra dictum est. Atque huiusmodi morbis prosunt primalitates appositæ, vt in morsu canis rabidi, & scorpionis, & colubri solemus. Item extractio grassantis vis in humore per cucurbitulas, & lanceolas, &c. siue ab interiori sorde à primalitatibus roborata, vt cum gangrenantur, sphacelantur, siderantur: & hoc difficiliori eget medela, vt lib. 6. cap. 23. part. 2.

3 Participare diuinum dicuntur, quando sola primalitas interna est in causa, & non temperies, nisi fortè subiectiuè. Imaginans enim homo quid terribile, afficitur etiam ab obiectis non terribilibus: mutatur colore, figura, & in aliquibus canities statim suboritur, & aphonia; & distorquetur vultus: nec reuertitur ad rectitudinem. Quandoque etiam terrore, lætitia aliisque imaginationibus repente afficiuntur, aut vitiantur. Et in his medicinæ parum valent, nisi quæ per accidens immutant imaginantem animam. Si non admittit persuasionem valet, vt vinum, soni, & herbæ, & lapides pretiosi, sed passioni corporis ab imaginatione illatæ medicamēta per se operantia addes lauacra, olea &c. vt in 6. lib. c. 1.

4 Diuinum sapiunt, si vltra naturæ limites naturaliter patiuntur à causa transnaturali, vt cum dæmonoplexia afficiuntur, & maleficiis cacodæmonum ope accersitis; morbisque, quorum non est in Medicis per se pharmacum. Dixit Paracel. horum remedium esse in religione, non in schola Galeni; licet in superstitione ille locet: tamen fatetur quid verum à longè. Ptolem.

scripsit

ſcripſit etiam. *Morbos huiuſmodi Venus ſanat oraculis , Iupiter pharmacia.*

5 Nos autem maleficia cognoſcimus arte dæmonis à ſtrigibus illata , Platonicis etiam agnita , quæ religionis exorciſmo tollimus. At quidẽ adhibetur ruta herba,& fuga-dæmon,& aliæ res, quæ quidem non in dæmonem agunt phyſicè , ſed in opus dæmonis:ipſe enim nil operatur imperando:quippe cui natura non obedit,niſi creatori ſuo:ſed adhibendo herbas, lapides,liquores, & res quæ immutant fœdantque temperiem , & vires corporeas per ſe, per accidens verò animaſticas etiam : quibus contraria ſi adhibes,eius opus eludes. Agunt verò vt ſigna,& per accidẽs,in dæmonẽ,dum ſe contemni, & huiuſmodi opus ſuum vinci indignatur. Vnde veteres magi vrinam in eius opificium proiiciebant,& fugabant,non ipſum phyſicè afficiendo,ſed moraliter.

6 Non ergo arbitretur Medicus vana prorſus,quæ in lib. exorciſtarum ſcripta ſunt : nam & Paracel. laudat hæc , vt remedia vera , propriáque. Neque altero maleficio maleficium tollet , vt Paracel. docet , ſed religionis virtute. Fatentur enim ipſi Medici in ſchola Galeni,& Hipp. huiuſmodi remedia haud reperiri.

7 Remedium ergo proprium contra per ſe eſt expiatio culparum animi , cui ſuccedit malum corporis ; & adhibitio ſacrarum rerum,& fides in Deum contra cacodæmones,quibus Deus commiſit vexationem mortalium , vel in exercitium , vel in pœnam:quemadmodum eudæmonibus auxilia,& promotiones, teſte Aug. *in Pſal.* 77. & Chryſoſt. *in Matt.* Adde phyſicas vires contra effectum dæmonis phyſicum.

8 Notare opportunum eſt, quod omnes præfati morbi religione opus habent. Siquidem Romani veteres, & Etruſci contra peſtem ipſa vſi ſunt. Remedia phyſica in 6. lib. ſcribimus Hic intimaſſe ſatis , quod omnes morbi diuini quippiam implicantes, diuino ſimul remedio indigent : phyſici phyſico : miſti miſto. Multum etiam prodeſt fiducia , quæ vires patientis hominis , & regionis , & ciuitatis excitat , roborátque. Vnde Auicenna dixit. *Confidentia de bono Medico ſanat ægrotum.* Idémque Galenus agnouit in morbis non vulgaribus. Vide de ſenſu rerum : & quæ ſuperior hic docuit ſermo.

Finis libri Quinti.

MEDI

MEDICINALIVM LIBER SEXTVS.

IN QVO DE MEDENDIS morbis totius hominis singillatim.

DE MORBIS SPIRITVS.

Non esse à spiritu per se morbos vllos, sed ab obiectis, vel subiectis.

CAPVT I.

1 IN spiritibus morbi nulli originem habent à primalitatibus sese ad exercitium actuum agentibus: sic enim à sua natura alienari non possunt; sed ab obiectis, vel subiectis causis ad specificationem actuum, & refectionem sui, & conseruationem facientibus, efficiuntur morbi. Etenim ab his alienari possunt à sua natura; maximè autem à subiectis, quorum medicatio est & spirituum medela.

De morborum ab obiectis appetitiui medicina.

ARTIC. I.

1 OBiecta appetitiui in spiritibus multam facientia alienationem spiritus à se in ipsa morbos efficiunt grandes: quorum alij subito occidunt, alij paulatim: siue sint obiecta amoris, vel odij, bonorum externorum, siue corporalium, siue animasticorum.

Sicut cibus vincens vires natura alienat ipsũ à se ad illam, & facit ex hoc morbum: ita obiectũ vincens alienat, fac'que morbũ primo

2 Vidimus enim presbyterum, qui seipsum linteo suspensum suffocauit in vineæ ædiculæ laqueari, propterea quod vuam optimam fures rapuissent. Et auarum quendam de fenestra se præcipitasse, quoniam frumenti, quod ad lucrum detinuerat, vilitas

ſucceſſit. Et monachum propter id, quod in Muſica cum concineret cum aliis Muſicis, emendatus ſit rationabiliter à minus perito. Sunt etiam exempla innumera Catonis, & Lucretiæ, & M. Antonij, & Saguntinorum, & aliorum, qui ſeſe honoris ac libertatis, regnique cauſa, occiderunt. Qui autem propter amorem libidinoſum quotidie multi inueniuntur ſibi mortem conſciſcere.

Cura. Horum curatio vnica eſt religioſa moralitas, docens hominem, & inſtituens in fide verorum bonorum poſt hanc vitam, ſi iacturam præſentium alacriter ferat: nec bona caduca æternis anteponat; & inhonorationes iuſtas eſſe pœnas purgatiuas: iniuſtas verò occaſionem præclariora merendi. Qui hanc doctrinam radicatam habet in animo, is caducis bonis non vincetur, nec malis, etiamſi præpoſteram venerem ab Æthiope cogatur pati. In quo defecit magnus Origenes: ſed non defeciſſet mirifica Lucia. Et profectò qui honores ac vituperia ab hominibus, & bona temporalia à mundo, & vitam, & mortem in corpore floccipendit ſpe meliorum, nec ſpontaneam mortem mala tollere, ſed augere credit: hic ſolus habet medicinam contra omnes affectus odij, amoriſque iam dictorum.

3 Nil negem, & quæ poſt mortem in hac vita ſequuntur, vim medelæ tenere: quando Locrenſes virgines noſtrates, quæ ſibi quibuſcunque de cauſis mortem inferre conſueuerant, cum vidiſſent vnam in pœnam ſuſpenſam nudam turpiſſimè, à tali facinore ceſſarunt. Sed religio fortius eſt pharmacum. Scimus enim hanc anthropophagiam, & ſpontaneas mortes, & iras ſæuas, & vitia, animum, & corpus peſſundantia, extirpaſſe in noſtris, & alienis regionibus, quamuis à cælo in contrarium inclinatis, vt SS. Cyrillus, & Clemens conſiderarunt.

Animaduerſio. 4 Quæ autem obiecta minori religione vetantur, aut in primis motibus vehementer mouent, horum non eſt medela. Quis enim medicabitur mulieri aſpicienti filium viuum, quem putabat eſſe mortuum, ne nimio gaudio pereat? vt de Romana Liuius, & de Polona Struthius teſtantur. Etſi enim philoſophia, & religio exceſſum amoris vetent: tamen in his ſpectaculis difficile frænamur; quando nec Chilon philoſophus cohiberi potuit, ne gaudio de filij victoria moreretur; nec Pindarus, ne riſu videns aſinum ficus ſuper menſam manducantem, diſrumperetur.

retur.

retur. Optima tamen medela est instituere se intra mediocritates affectuum, ita vt nec subitanei possint fieri excessiui.

5 Cum verò affectus paulatim crescentes distrahunt spiritum à corporis gubernatu, & alienant à seipso: tunc principiis obsta, alioquin peribis. Propterea Sapientia dicit, vt non modo abstineas ab aliena vxore, sed etiam à visu libidinoso, & primo affectu. Et hoc faciliùs fit, quam cum laxare frænum libidini cœperis. Quod si Antiochus erga Stratonicen seruasset, haud ægrotasset ad mortem. *Cautela in principio.*

6 At cum eo deuenerit affectus, vt seipsum cohibere nequeat: duo sunt remedia. Primum rei optatæ fruitio, cuiusmodi affertur ab Erasistrato; quod tamen in Amone filio Dauid potius nocuit, cum amor in odium versus sit; attamen ab infirmitate conualuit. Alterum, vt obiecti mala amanti præ oculis ponantur, bonáque odienti. Sic enim Ouidius stercus amasiæ, vrinam, sordes, excretiones, & alia, quibus etiam inspergi potest de industria à Medico, mitigare insanias amoris docet. Adde prauitatem morum, pericula, turpitudines, infamias, riuales, Dei præcepta aliásque huiusmodi medelas. E contra odienti quod Deus præcepit omnes suas creaturas tanquam bonas amari; quod homo est. Quod bona non sunt vincenda malis, sed bonis, & alia quæ philosophia docet. *Pharmacia infernè.*

7 Et cum ista duo remedia defecerint, vel simula, offerendo illi statuam pro muliere, vtque occidat bestiam, dum putat, pro quo furit, inimicum; vel distrahe in alios cogitatus. Venatio enim, bellum, alea, labores, rixæ, & noua exercitia, præpotentiora priores affectus sopiunt: vt minimarum rerum obliuiscamur, cum magna discere, & admirari cœperimus: & quidquid ab obiectis incipit, per obiecta alia deletur. Quapropter in amorosis quidquid amorem excitat, aut rememorat declinabis: in odiosis verò quidquid odia, iras, bella, &c. In his valdè prosunt contraria contrariis, & historiæ, & fabulæ, & res. Sunt qui nouo amore, & odio curantur. Cura tandem cognoscitiui præcedat. *Postremum remedium.*

De morborum cognoscitiui non organici ab obiectis medela.

ARTIC. II.

1 Similiter obiecta cognoscitiui præpotentiora dimouentia cognoscitiuum à sua natura, faciunt morbos statim, vel

paulatim occidentes. Sicut enim lux valida oculos cæcat, & organicam cognitionem: sic obiecta diuina separant quasi mentem à corpore, & cum ea rapitur spiritus: propterea Deus se nobis in sui puritate non obiicit. Sed obiecta sensilia, & intellectilia duobus modis nocent. Primò si simul affectus malos producunt: omnis enim notitia parit amorem, vel odium sui obiecti, & timorem, & iram, & huiusmodi in potestatiuo, & appetitiuo. Quapropter quidam videntes aliquid terrificum, in quo lædi se posse imaginantur, statim vocem amittunt, & cadunt, & conuelluntur sicco spasmo per spirituum resolutionem: alij canescunt subitò, sicuti in quarto de sensu rerum narrauimus de Fratre perterrefacto à F. Rocho, simulante se esse sanctum Dominicum; & de seruo à conseruo laruato perterrefacto; & de altero ad mortem condemnato. Ex quibus patet non agere in nostrum spiritum obiecta: hæc enim minimè læderent, sicuti falsus ignis minimè vrit, sed ipsas primalitates percipientes hinc occasionem mouendi, & afficiendi spiritum, & corpus nouis prauisque motibus.

Sensibilia dupliciter nocent.

Secundo, si ita vni obiecto sese dedicat cognoscens facultas, vt aliis non vacet. Quapropter læditur aliorum memoria: quando tota cognoscitiua cognoscibili vnico occupatur. Læditur & fides seu credulitas: quidquid enim sentit putat se obiectum illud sentire, & credit quidquid de illo dicitur benè, si benè eo est affectus; & quidquid malè, non credit. Læditur & discursus, qui dum de re vna in alteram discurrit, apparentia illius obiecti intermiscetur, & truncat, aut deprauat discursum. Aliquando etiam sensum afficit, vt videatur videre quæ non videt in illo, & in aliis. Et sicut timens vehementer colubrum, omnem lineaturam in via, & in pariete videns, videtur sibi videre colubrum: sic & iste in cæteris se habet obiectis. Sic etiam croceus oculus omnia iudicat crocea. Quapropter & fides, & iudicium, & discursus, & imaginatio, & sensus immutantur, & alienantur à veris in falsas notitias. Dicitur autem iste morbus delirium; quando fides, & iudicium vitiatur ita, vt credat, & iudicet ita esse res, sicuti sibi apparent, qualiter & somnianti accidit credere, & iudicare. Quando enim videt aliquid repræsentans quod non est, nisi accedat iudicium, dicitur solius sensus, vel imaginationis morbus: iudicij autem, si idola pro rebus accipiat.

2 Medicina contra primam læsionem nulla datur, nisi animi robur, & confidentia in Deo auctore omnium rerum; sub cuius tutela se homo à nulla re posse vinci credat firmiter: tunc enim quicquid obuium venerit siue bonum, siue malum, non poterit immutare primalitates morbificè. Et nisi præcesserit hoc antidotum, omnia obiecta erunt quasi venena si noxia repræsentantur. Si verò vt bona, enecant gaudio, vel fallunt multipliciter spiritum, ac proinde mentem. *Cura 1.*

Contra secundam esto medela animi applicatio ad alia obiecta: videmus enim præ nimio studio Theologiæ spiritus incalescere, attenuari, ac debilitari ita, vt idola pro rebus accipiant & delirent. Obliuiscuntur pudoris alij, & nudi ambulant: & sicut euentus fert: nihil enim considerant, nisi quod altè radicatum habent in animo. Distrahendi ergo ab illo sunt per musicam, & vinum, & alia obiecta mirabilia, quæ effectus potentiores, & placentiores subministrẽt. At etiam spiritus incrassandi modicè sunt, & refrigerandi pinguibus brodiis carnis vitulinæ, & arietis castrati, in quibus flos farinæ, & oua diluantur, & vino generoso aqua frigida commisto. Item viridariorum, & hortorum florentium loca iuuant, & amœnitates, & pulchrarum rerum affectus, præsertim mulierum; sermonésque molles. *Cura 2.*

Applicabis capiti corollas rosarum, & vnguenta refrigerantia, non acutis odoribus fragrantia: & aquis ex floribus arantiorum, & citriorum, & rosarum vtere in vino, & epulis, & facie: spiritus lucidos, & multos, & moderatos in calore, & dispositione generabis.

3 Super omnia memento, cum nouas passiones appetitiui, vel cognoscitiui adiicere, & priores morborum causas infixas delere cupis: tum cum potum, & cibum ministras ægro, imprimè nouas, & mirabiles, ita quod qui ex cibis fiunt spiritus, has subitò, & promptius recipiant, quàm priores, quæ in abscedente præinerant, læsiuas. Sic & Iacob in coitus actu imaginationes ouium per virgarum in potu aspectus immutabat sapientissimè, rationibus dictis in 4. de sensu rerum: sed hic alia ratio ex memoriæ abolitione patebit. *Quomodo Medicus potest passiones immutare.*

4 Quando autem quis videt ante oculos, vel intra cerebrum vigilans, vel paululum conniuentibus oculis quasi facies distortas, truncas, seniles, & alia huiusmodi idola & monstra, nec credit esse res, sed imagines: iste sola imaginatione sensúque languet *Monstrosarũ apparitiarum causa & cura.*

non autem iudicio: acciditque ex spirituum tenuitate, ac debilitate, qui à quacunque specie moueri queant, & vaporibus, & humoribus interioribus, quasi à rebus.

Remedium isto vinum generosum, & epulæ boni succi, ac subito reficientes, nisi alia ægrotatio obstet. At si in somnis ista appareant, tunc spiritus iudicat esse res; Mens enim illi tunc dicatur in ministerio refectionis: nec potest aliter iudicare, sicuti spiritus menti in ecstasi: huius videlicet refectione, cuiusque participat illustrationes. Vnde puncti non sentiunt ecstatici. Nec propterea iudicium dicitur ruisse, sicut in vigilante, sed impeditum esse. Curam tamen eandem exigunt, & læta obiecta: qui enim hilares sunt, & spiritu copioso abundant, talia non patiuntur insomnia, sed gratiora.

Primalitas ad sensilia indiget corpulentia spiritus commoda: ad diuina vero pertenuissima, vel nulla.

5 Primalitates circa obiecta sensilia non rectè se habent, nisi spiritus corporeitas vrgeat, sitque illi commoda: circa diuina vero è contra. Præterea nec expedit sanitati minutissima corporalia contueri: sicut Antipheron propriam imaginem, ob spiritus tenuitatem, & oculorum laxitudinem, in aëre semper videbat; talis enim tenuitas iniuriis patet: nec extra corpus menti seruentur obiecta, quæ corpus tenue spiritus non mouet. His nunc contenti sumus.

Remediū & causa obtusitatis.

6 Cum autem intellectus impeditur ab aucta penetratione rerum ob spiritus turbationes ab objectis, & passionibus illatis: tunc remedium esto cithara, & cantus suauis rationalis: vt sedato spiritu mens liberior arcana rerum attingat: sicuti Elisæus docuit, cum se influxui diuino per Musicam præparauit. Et in templo per Musicam sedamus passiones, & motus inordinatos: quò mens à perceptione & contemplatione diuinorum à spiritu non impediatur. Sicut è contra in bello per tympana, & tubam ad iram excitatur spiritus, & consideratio, & mens turbatur, vt pericula, & mortes non perpendat.

Animaduersio in Medicos in causis, & morbo & subiecto spiritalium morborum.

7 Quapropter cum obiectorum consideratio nimia, & modica, & motio spiritus ordinata, & inordinata: velox, & tarda, ex tenuitate, & crassitie: perplexa, & clara, ex fuliginum interuolantium præsentia, & carentia; varient animæ sensationes, imaginationes, & syllogismos, & iudicia, & intellectiones: Imperitè Medici (præcipuè Arabum disciplinam sectantes) statuunt hosce actus à cerebri temperie fieri: ideóque distinctos, quoniam distinctæ sunt cellæ: ita quod læso occipite, lædatur imaginatio: sincipite, memoria:

moria : medio capitis, discursus : vndè embrocationes applicant pro varietate affectuum capitis variis partibus imperite : vt, cum morbos à subiectis orientes curabimus, patebit.

8 Quorum autem læditur credulitas spiritus tenuis est, vt cuicunque obiecto credat : neque valens est discursus, qui perpendat, an verum sit quod proponitur. Et hæc aliquando ex summa, aut ex multiplici autoritate obiicientium interdum accidit. Sunt enim quibus si Medicus dicat male eos se habere, ideóque decumbant, oportet, & testamentum condant : statim obediunt, ac imaginantur sic esse, & statim incipiunt ægrotare. Dixerunt scholares cuidam quod haberet valde longum nasum quasi palmarem, & cum omnes ita affirmarent credidit ille. Alteri, quòd palleret facie, & morbi præsentis indicia in eo esse : tunc profecto domum alij scholares præmissi dixerunt. Tu es pænè mortuus. Bone Deus, quomodo ambulas, tam mala signa mortis in aspectu ferens ? Qui persuasus vocibus multis decubuit, ægrotauit, & mortuus est. Ergo ex solis obiectis auditus occasionem accipiunt primalitates malè regendi corpus, timendi, & dimisso regimine ægrotandi. *Morbus credulitatis.*

Remedium est credulitatis abolitio per obiecta contraria, dicendo illi delusum esse : & ostendendo in obiecto speculo contraria, & faciem eius colorando pulchris coloribus sanitatis, vt credat. Quod si cœperit ægrotare, dabis ei vinum cum confect. de hyacintho, & cordialibus, & virorum autoritate præditorum, vt Episcopi, Monachorum, & Medicorum, ingeres certam fidem, quod per illud pharmacum sanabitur, & mira deiiciet ; quæ cantharo impones : vt visis rebus deiectis eiusmodi nigris, & fœtidis credat se sanatum. Sic Trallianus mulieri se deglutisse anguem credenti, prouocata vomitione, velatis oculis, in peluim, vbi vomebat, anguem mortuum demisit : quod videns mulier, se illum euomuisse, & sanatam esse prorsus credens, sanata est prorsus. Et viro, qui putabat se esse mortuum, nec comedere volebat, Medicus fingens se esse mortuum, & coram eo edens suasit etiam, mortuos comedere oportere. Horum spiritus est tenuis, & fuliginosus. Tenuitas afficitur nimis obiecto : fuligo discursum impedit, deprauatque. Sunt etiam crassissimi *Cura.*

quidam,

quidam, quibus noua suasio difficilè succedit, nec noua imprimitur: at cum impressa fuerit ab obiecto præpotente aliqua credulitas, non sinit crassities discursum an vera sit formari. Hos autem attenuantibus iuuabis, & obiectis validioribus dissuadentibus.

De morbis potestatiui ab obiectis sine organorum affectu, eorúmque medela.

Artic. III.

A quibus patitur potestatiuum.

1 POtestatiuum non patitur à rebus se valdè imbecillioribus: & cum patitur, non sentit: neque enim pondus milij vnius, aut fabæ sentimus nos, sicuti formica: ergo à solis potentioribus afficitur. At, vt plurima perpendat, non solum potentiora, spiritus dispertitus est per corpus, & alibi tegumento nullo, alibi modico munitur. Vnde frigus quod manus non sentit, patitur inguen; & pondus quod brachium non afficit, afficit digitum vnum: at nunc de passionibus absque organo & subiecto, illatis ab obiecto, sermo est.

Remedium contra morbos à sonis.

2 QVidam enim graues sunt, tundentesque, vt sonus bombardæ, & tympani. Quidam acuti, & stridentes; qui spiritum lacerant, perforantque, vt sonus suberis dum secatur, & rotarum ferro lapidea strata viarum collidente, & campanularum, &c. Sunt etiam quibus dum sulphur lapide teritur, aut manus farinam de tabula dispersam colligit, spiritus inhorrescit, & dentes quasi corrodi, & excuti videntur; quod si pergit, excruciantur, & ægrotant, quamuis discursu nouerint non posse lædi exinde dentes: at re vera læduntur: quoniam spiritum hi tenuissimum habent, & debilem in eo, & communicatio ab auditoriis neruis ad eos, qui in radices dentium descendunt, est multa: non modò quia ipsi nerui omnes sunt ipsum cerebrum deductum, exsiccatumque: sed pororum, & ossis ad mandibulam continuatione: dentes etiam sensitiuo præualent principio vnà cum potestatiuo debili.

Remedium est abesse ab huiusmodi locis; & dentium corroboratio, & constrictio per saluiam, myrtum, lentiscum, sal, & huiusmodi extra confricata, & ore detenta: & spiritus augmentatio per

per potus,& cibos optimos,& aromatica ſtypticitate prēditos,vel conditos,quæ firmitatem ſpiritui communicat. Sed obturatio aurium vera medela eſt contra Sirenas.

Contra affectiones morboſas, &c.

3 CVm vero obiecta ingenerant occaſionem metuendi, iraſcendi,ſperandi, diffidendi, pugnandi ,fugiendi, quæ ſunt paſſiones poteſtatiui : nec niſi à iuuantibus valdè, vel à nocentibus valdè obiectis fiunt; tunc fuga, vel ſequela obiectorum eſt naturalis medicina.

4 At ſi non tantam habent obiecta poteſtatem, quantam præſe ferunt:vnde ſpiritus timet,vbi non eſt timor; & ſperat, vbi ſpes nulla; iraſcitur ſine cauſa cum magna virium jactura : tunc cognoſcitiuum ſimul compatitur, & morbos in poteſtatiuo facit, & ſignat. Videmus enim eos qui credunt ſe ægrotare, incidere in ægritudines, quamuis vires poteſtatiui firmæ ante illud inſtans forent: ſimiliter ab occurſanti larua non moleſtari: ſed quia credunt ſe moleſtari, ſtatim corruere, & ægrotare, & mori. Ægrotantes colligunt feſtucas, & vellunt floccos, quoniam magni momenti rem ſe facere putant, aut quia experiri optant quid valent dum inualidi ſunt, & ponunt ſpem in re parua, tanquam in magna: tum quia viribus paruus eſt in his ſpiritus, & accipiunt paruum pro magno : tum quia ſenſus modicus facilè paruis etiam afficitur.

Poteſtatiu ſi abſque cauſa non ægrotat, niſi cognoſcitiuum lædatur ſe ipſo.

Cur ſpiritus exilis ægrotans vellit floccos, & colligit feſtucas.

Horum medicina eſt cibus & potus generans ſpiritus plures, & firmos. Itemque philoſophia ſuadens, quæ verè timenda, & quæ verè apprehendenda,& amanda ſunt, & vbi confidendum. Ego olim timebam tranſire per ſepulchra, & eccleſias:poſt philoſophiæ adeptionem pro nihilo duxi.Religio itidem validiſſima contra omnes timores : ſuperſtitio verò omnibus timoribus nos mancipat.

Cura.

5 Sed cum præfata naturalia ſunt, vix medela vlla prodeſt,præſertim in primis occurſationibus.Videmus enim mulieres abortum facere, & fugere, & eiulare ad viſum colubri. Elephantes verò ad vocem porci; pecudes, ad lupi vlulatum, adeò quod, & pelles earum in tympano ſonum pellis lupinæ ferre nequeant. Mens tamen humana ſæpè vincit naturam; & ego noui.

Naturalium paſſionum,& in primo impetu vix eſſe curam.

Confidentia vires, at diffidentia conciliat languorem.

6 Confidentia, & spes salutis in ægroto semper erigenda est, roborandaque: spiritus enim fortior ex ea fit contra morbificam causam, & propriam vincit debilitatem, sicut atterritus, & desperans vires amittit, corpus conuellitur: canitie, & aphonia, & pulsus defectione, & tremore deformatur. Puto autem quòd quanta est imaginatio, & fides de proprio damno ad ægrotandum, quamuis falsa; tanta est etiam ad sanandum, quamuis falsa: nisi quod facilius est destruere, quàm ædificare. Multi tamen ex Medici, (vt iam dixi) autoritate concepta confidentia sanati sunt. Idcirco eos, in quibus non valdè confidis, accersere noli. Hac ratione Galenus sacerdotes Æsculapij sanasse quosdam facilius, quam Medicos, narrat; licet causas non satis perpendat. Auicenna verò, qui animam potentia donat super quodcunque corpus, errat. Non enim vltra proprium; & in his solùm, quæ spiritui subiiciuntur animali.

Contra diminutionem ab obiectis.

Causa timoris plurima

7 PRæterea dum spiritus fatigatus ab obiectis minuitur, vt dum ponderat, transfert, annumerat, audit, intuetur. Nulla enim fit sensatio in cognoscitiuo, nisi per passionem in potestatiuo.

Remedium præsentaneum est, quidquid subitò spiritus nouos regenerat, vt odores, vinum, ouum, panis calidus, mentha, vinóque maluatico conspersus. Minus præsentaneum, sed validius, sunt carnes assatæ, iuscula condita aromatibus, columbæ, pisces, somnus, &c. His enim & copia, & robur restituitur, vt cuique notum est.

Contra tremores ab obiectis, & vndecunque motum spiritus lædentium.

ARTIC. IV.

Vt & tremoris.

1 ALiquando motus ipsius spiritus læditur ab obiectis: tremunt enim vbi fatigantur. Item vbi timent; & vbi senescunt: & vbi inebriantur: & vbi aspexerint amasiam, vt Terentius meminit. Ergo tremor non est ob neruorum imbecillitatem, vt dicunt Medici: hoc enim solis pueris accidit, quibus ossa lenta, & nerui molles non possunt sustinere, ac mouere quorsumlibet

bet

bet ſtatuam. Sequitur ergo tremor, vel ad ſpiritus diminutionem, & in ſenibus, & ſub pondere laborantibus, in quibus ſit impar ad onus extrinſecum, vel membrorum & dum onus deorſum, & ſpiritus ſurſum mouet, quaſi ex æquo naſcitur miſtus motus, qui eſt tremor: vel à fuga ſpiritus relinquente onus ex parte, vt in timore, & potu frigido, à quo intus lædi ſeſe ſentiens aufugit; ſicut & in paroxyſmis ab humoribus, & vaporibus mordicantibus laceſſitus fugit ſimul, & armat ſe: vnde ſequitur rigor, de quo in lib. 4. dictum eſt. Vel tremor fit obnubilato grauatóque ſpiritu, non potente craſſitiem vaporis ferre, corpuſque: vt euenit ebriis multo oppletis vino, & reſolutis, conuulſiſque; quibus via ſpiritus à vaporibus & humoribus impediatur, ne poſſit inter neruos ambulare, probéque mouere.

2 Remedium prioribus eſt reſtauratio ſpiritus, & lauacra ex odoratis rebus, ex quibus nerui confortantur, & inambulantes ſpiritus ſimul: quæ lauacra pueris valdè conueniunt, vt cito ambulare poſſint. Si ex vino, roſis, roremarino, ſaluia, cynamomo, &c. fiat; iuuant & olea calidæ naturæ, & aromatica, vt laurinum, myrtinum, roſaceum, &c. extrinſecus. Qui frigidam ſumpſere, ſunt calefaciendi, & odoribus confortandi. Qui timent, aut amant, obiectorum morte, aut fruitione, vel ſimulatis vt ſupra. Qui à meraciori potu, abſtineant à vino, & lentis cibis, & modicis extenuentur, aut vomant: neque impoſterum niſi aquoſi, ſi ſtomachus non fert priuationem omnimodam, vtantur. Interim mulſa cum decocto betonicæ & ſaluiæ, ſint contenti. De febribus infrà. *Cura.*

Remedia contra dolores omnes, ex ſpiritus diſpoſitione ab obiectis immutata, ortos.

ARTIC. V.

1 ACcidit etiam ſpiritus diſpoſitionem ab obiectis affligi dupliciter, vel cum à ſonis obtunditur, aut laceratur, vt de quibus dictum eſt prius: vel dum ab aere auſtrino craſſior fit: à boreali tenuior: & ab aliis odoribus grauatur, ab aliis pungitur, & diſcerpitur: vndè ſequitur in poteſtatiuo grauamen, & debilitas, & tumor, vel diuiſio diſſectióque, & ex vtriſque dolor: vel obtuſus, vel acutus. Patet enim quod *Læſiones plurimæ ſpiritus in diſpoſitione ſeu tenuitate ſibi naturali.*

Rr 2 capite

capite dolemus, & à calore solis, & à frigore nimio, & à ventorum repletione, etiam nihil oblæso cerebro, sicut putant Medici, sed solo spiritu vaporibus grauato, vt aër nebulis, ventis, fuligine, tonitruo, fulmine, &c. Inficitur etiam, fitque venenosus pestilentibus ex causis: quod spiritui accidere talibus temporibus nulli compertum non sit. Ex dispositionis autem immutatione morbifica accidit in potestatiuo imbecillitas: in cognoscitiuo vitium obliuionis, imperceptibilitatis, indocilitatis: labor discursus, & imaginationis[1], & iudicij falsitas, & duplicitas, & alienatio: in appetitiuo prauitas affectionum, aut priuatio, vt nec cibum esuriant. In motu similiter vitium, & functionum naturalium, & arbitrariarum deprauatio, vel priuatio.

Ex electione dispositionis qui morbi fiunt.

Medela contra dolorem à crassis vaporibus.

Cura.

2 PRofectò si solius dispositionis est immutatio, non erit nisi incrassatio, & attenuatio, vel contusio, & laceratio: facileque sanantur. Etenim cum vaporibus crassis repletur spiritus, igne copioso accenso circum circa patientem vsque ad sudorem, soluitur dolor, attenuato spiritu: sicuti contra austros immites, equitanti accidit mihi capitis grauedo, & dolor: ac eo remedio statim ac domum accessi liberatus sum. Prosunt acuti odores, dissoluentes flatum, vt piperis, cynamomi, pulegij, & aceti rosati aspersio in naribus, & mento. Vinum tenue odoriferum, & epulæ siccioris temperamenti. Nec phlebotomia, nec pharmacum absque læsione adhibetur, vt ab imperitis fit Medicis.

Contra dolorem ab acutis.

3 ACutis autem vaporibus, sonísque spiritus laceratur, & diuiditur: iuuatur autem melle, & vino intus, oleo in cute, & vnguentis vnctuosis odoratis, consistentiam resarcientibus, & blandis sermonibus, & melodia. Quæ tamen acrior requiritur in spiritu obnubilato vaporibus vini vel aëris, fidibus cymbali aëreis educta, vt spiritum discutiant motione, ventiléntque, concinnitate verò componant.

De

De doloribus medendis, qui fiunt in ſpiritu à calore.

1 CVm vero immutatur diſpoſitio,& actiua vis in ſpiritu:ipſe ſcilicet calor, vel quia ſupra ſuam temperiem augetur ab obiectis, vel minuitur, & refrigeratur: accidit dolor validior, & morbus, qui rarò non admiſcetur cerebro: quando fit à cauſa exteriori calefaciente, vt à Sole,& fornace;vel frigefaciente, vt borea, & niuibus. Fit enim, & à ſola ira; quæ etiam à frigidis obiectis occaſionem, non cauſam habet: & tunc naſcitur febris ephemera: quæ quiete, & lætis rebus, & nunciis ſedatur: & refrigeratiua modica ſumptione in potu, & cibo. Fit etiam ab exercitio, excitato calore auctóque; quem quies læta ſoluit,&c. *A quibus ſpiritus calor læditur, & quomodo.*

5 Cum à calore externo ſpiritus accenditur, attenuatur valde, & cerebro ſimul accenſo illiſus exardeſcit: & cum citra omnem putrefactionem fit, hæc ſola febris eſt morbus, & non ſymptoma: cogitur enim ab illato calore attenuari, & velocius agitari; & non voluntariè ſe agitat in rem noxiam vincendam, niſi ſimul cum calore ab aëre concipiatur vapor craſſus in cerebri ventriculis. Primus dolor requirit curam in aëre frigido,& craſſiuſculo, à natura, vel ab arte: ſcimus enim intra cubicula ampla flores,& ramos virides populneos, arundines,myrtos, vitis folia, & aquarum ſimulatos fontes, & ſtillantes, poſſe talem efficere aërē. Cibus ſit tenuis, & frigidus ex lactuca, endiuia,& portulaca: carnibus anatum, anſerum iuniorum oua ſorbilia, piſces, pyra, amygdalæ. Potus aqua cynamomi, vel fontana perfuſa modico vino. A Sole,igne,balneis,ira,triſtitia, coitu, frictionibus, motionibus arceatur. Caput oleo roſaceo perfundes, vel chamæmelino, & viridi corona. Poſſunt ſi maiori refrigeratione eſt opus, fieri ex frigidis herbis, & oleis, embrocationes, addito aceto, quod præbeat alas circa frontem ad ſuturas caluariæ. Cauendum tamen, quoniam & frigidis, & calidis cerebrum facilè læditur:magis autem frigidis. *Cura doloris ab excalfactione ſpiritus, & cerebri.* *Cauendum eſſe dolentibus ab ambiente vt calido.*

Secundus dolor, acuta, & frigida requirit remedia eadem: quæ ſemper modico aceto condies vaporem penetraturo, ſoluturóque. Caue à frigidis obtundentibus, & non penetrantibus. *Cura dolentis ab ambiente præcalido craſſoque.*

Contra

Contra dolores à frigore medela.

Signa dolentis à frigore. 1 CVm dolor à frigore accidit, timetur frigus, appetitur calor: oculi, & facies liuent, non rubent, vti à calore dolentes: spiritus dispositio stringitur, sicut aër cum in aquam vertitur, equidem puto vix hoc accidere posse, quin spiritus in fluorem conuertatur, sicut in alembico spiritus vini. Inuenio etiam eos, qui spiritu tenui præditi sunt, salubrius degere in aëre tenui, frigidóque, quàm in calido, crassóque. Frigus enim tenuissimas res purgat, nubeculas cogendo: non autem incrassat, nisi nimium sit valde, & in angustis locis sæuiat, sicut in Islandia aues gelat, quas ver resuscitat. Contrariatur autem prædictis ventus frigidus, quoniam spiritum tenuem concutit, & spiritum per vim introspergit, & sic dolor fit: magis autem propter cerebri infrigidationem, & spiritus irretiti intra fibras, & neruos compressionem; quod Medici non aduertunt. Et cum aër est nubilosus simul, & frigidus.

Nota.

Cura. Remedio erunt aër calidusculus, non calidus: neque enim de extremo ad extremum absque noxa trãsibis. Vina generosa crebro, & modicè pitissata, ne obruant vapore spiritum: sed augeant. Odores aromatici: ignis ex lignis lauri, rorismarini, thymi, & huiusmodi. Embrocationes fotúsque ex oleis, & herbis calidis: & vnguenta, & crassiora in frigore acuto, acutiora in crasso. Nam Galenus solo rutaceo oleo caput frigore obsessum sanauit. Balnea mox calidiuscula prosunt, vt illis frigidiuscula. Adhibentur sacculi ex thure, storace, aloë, caryophyllis, mace, nuce moschata: quæ peruia sunt ingenioso secundum artem in 5. lib. expressam.

Qui verò dolores in subiectis, & organis fiunt, posterius medicinam accipient. Similiter qui oriuntur ex intermistis spiritus functionibus in toto corpore.

Quibus rebus læditur, & curatur lux natiua spiritus.

ART. VI.

Quæ lædunt spiritus faciem. 1 COntingit & faciem spiritus, idest lucem, solam immutari ab obiectis: quod fit vel à simplici tenebra, vel vmbra, vt in nocte: & tunc nil mali accidit spiritui, nisi priuatio boni. Lux

enim

enim Solis adiuuat eius lucem, oblectátque: spiritum amplificat, ornat, honorat: cũ autem abest Sol tristatur spiritus, cogitur, inhonoratur. Quoniam autem ordinaria est in nocte huius priuatio, & carcer obscurus spiritui, non valdè contristatur, sed cogitur ad se reficiendum, propriáque luce vtitur intra opacum corpus in operationibus sibi connaturalibus, vt luce non egeat aliena: sicut citharœdus peritus etiam in tenebris pulsat bene ex arte citharam: imperitus verò minime, nisi digitos, & fides, & interualla contingenda simul contueatur. Tristem tamen esse vmbram, spiritúmque cogere, nulli est ignotum: incommodam verò ambulaturo, & operaturo, nisi somniando operetur vigiliarum opera, vt noctambuli.

Contra hanc tristitiam, & incommoditatem lucerna, & laterna inuentum est remedium. *Cura.*

2 Vel propria lux fœdatur à rebus exterioribus per lucem tinctam spiritum tingentibus, vt crocea perspicilia croceum oculum, ac lucem reddunt: multa enim lux vexat visum: sicuti multa nix spiritum solet, & oculi humores disgregare, atque excæcare. *Læsio etiam à luce externa quâ.*

Contra quam remedium Xenophon militibus secum per niuem gradientibus velum nigrum transparens oculis apposuit: & cum per telescopium Solem aspicimus, ne oculi fabricam, & spiritum deiiciat, vitrum coloratum interponimus: quo lux Solis fœdata imbecillior fit ad oculi demolitionem. Similiter quando res multas nigras, & per arenas, & niues Armeniæ rubras ambulamus, oculus rubescit, & spiritus, ita, vt rubra cuncta cernat, non secus ac qui ocularibus rubris vtitur, aut sanguine multo in capite vexatur. Sicut ægrotus Galeni, instante crisi sanguinea, anguem rubrum in laquearibus se putabat videre.

His ergo occurremus per ocularia oppositi coloris, & aquæ puræ inspectionem.

3 Vel spiritus lux fœdatur non à luce tincta, sed à vaporibus fuliginosis tetris, qui ipsam spiritus corpulentiam tingunt, vt chartam atramentum: & cum ita fit, nascitur morbus, quem vocant melancholiam, cum summa tristitia, & mortis desiderio. Et quidem si totaliter tingitur spiritus, statim mors subsequitur, sicuti cum aquam atramento totam perfundimus, ab aquæ natura remouemus. Vix enim per destillationem remoueri aqua, *Fœdatio lucis spiritus à vaporibus.* *Curatioque nequeat.*

aqua, & ſeparari ab atramento queat. Spiritum autem quis deſtillabit?

Qui queat. Si enim ex parte tingiturnon à ſubiectis, ſed ab obiectis, poteſt ſanari per rerum lucidarum, albarúmque contuitum, & applicationem. Vina dabimus generoſa, alba, & margaritarum pulueres ad potum: carnes iuuenes pingues in cibo, iuſcula cum floribus farinæ, & ouis; lucida, pinguia, lac, butyrum, mel flauum. Res ſaturninas in lib. 5. deſcriptas declinabimus prorſus. Exhibebimus iouiales, & venereas, & ſolares, & præcipuè Muſicam apollineam, quæ ventilat, & mundat ſpiritum.

Cum à ſubiectis oritur rebus vitium vel morbus, fit melancholicus, de quo poſterius erit dicendum.

De læſione omnium conditionum ſpiritus ſimul: ac de peſte.

Capvt II. Pars I. Artic. I.

Conditiones dantur, quædã conceduntur, res contrahit à ſuis cauſis. Has in ſpiritu omnes carbo lædit ardens.

1 Contingit autem à cauſis obiecti ſpiritum in primalitatibus mutari, in diſpoſitione, calore, luce, & quantitate: veluti cum carbo in occluſo cubiculo ardens enecat dormientes, fuligine lucem ſpiritus obſcurans, craſſitie diſpoſitionem incraſſans: calore magno temperatum calorem ſpiritus peruertens: & ſimul per conſequentiam primalitates, ideſt, vires, notitiam, & appetitum. Idem efficit vapor ex terra tetra combuſta in antro Agnanæ, vti experti ſumus in cane.

Opiniones de eſſentia, & cauſis peſtis.

Artic. II.

Opinio Medicorum de peſtis conſtitutione.

1 Videtur autem peſtis eiſdem fieri modis. Aër enim vaporibus paludum, & cadauerum, & macerati lini aqua, peſtem ſolet afferre. Medici dicunt, quoniam temperamentum accipit aër putreſcens contrarium humano, à quo corpora noſtra patiuntur: calidum tamen, & humidum; quod putrefactioni eſt aptum. *Confutatio.* Sed cauſa hæc puerilis eſt, conueniunt enim quod venenoſus ſit aër peſtilens. Venenum autem non occidit ſola temperamenti contrarietate: non quatenus calidus; alioquin omnis morſus ignis eſſet venenoſior morſu viperæ. Nec quatenus frigidus: alioquin nix venenoſior eſſet napello, & fungo. Nec quatenus

tenus ſiccus:alioquin piper, & cicer, & terra ſigillata eſſent venena:quæ tamen venenis aduerſantur. Nec quatenus humidus: aqua enim,& vinum,& oleum humidiora; venenoſa eſſent Nec quia multum vinum enecat, eſt venenum : vaporibus enim replet meatus ſpirituum, ſuffocátque. Neque calida, & humida temperies peſtilens:cum Iupiter, & Venus hanc temperiem fæliciter concilient corporibus humanis. Saturnus autem frigidus, & ſiccus hoſtilis ſit, & peſtilens. Nemo etiam vitam ponit,niſi in calido,& humido: propterea recurrunt alij ad oppoſitam totam temperiem. Sed cum palam ſit, auſtrinam calidam, humidámque,peſtem afferre,quæ temperies humana eſt. Haud ergo contrarium temperamentum. Præterea Veneti, Hollandi,& alij,qui in mari habitant, vbi calor, & humiditas continua, peſte continua non infeſtantur. Si autem quædam humiditas, & caliditas putrida adducatur,non bene loquuntur : non enim cadauera, & paludes ob has peſtem afferunt : ſed quoniam ſimul cum humiditate,& calore aliud adducunt malum,videlicet fœtorem. *Opinio 2.*

2. Propterea Teleſius ſolertior fuliginem tingentem ſpiritum & humiditatem impuris miſtam fuliginibus, quæ diſpoſitionem ſpiritus contaminant,adducit. Manifeſtè enim carbones, ob fuliginem tetram,non ob calorem humidum,ſunt peſtilentes. Putat etiam oppleri meatus fugorum vaporibus, & ſic ſpiritũ interfici,& ſuffocari. Hæcquidem recte dicuntur, ſed non ſufficiunt ad veneni rationem. Videmus enim modicam ſaliuam viperæ corpus humanum totum tumefacere, & occidere. Sic etiam rabidi canis dente inſertum humorem, vſque ad canis naturam conuertere hominem.Culex quoque minutiſſimus,nedum apes, infigens morſum ardorem, & tumorem facit,donec victa ipſius ſaliua à noſtro temperamento detumeſcat : quod tamen viperæ vincit ſaliua, totúmque permutat, non modò quia contraria. Non enim ſufficit contrarij particula modica ſui contrarij magnam vincere:ſicut nec paruus calor multum frigus, liquorémque frigidum, niſi accendatur in eo;quod non poteſt facere : ſicut fruſtum glaciei fornaci,aut fœno immiſſum,non transfert illud ad ſui temperamentum. Adſit ergo contrarietas, ſed non ſufficiat. Adſit fuligo peſtilens : nam in Autumno poſt aduſtam terram,& arefactam, vndo vapor exhalet fœtidus, frequentius, & faciliùs fit peſtis. At quomodo idem fuligo ignis noſtri continua in nobis non præſtat? Et quæ fuligo in cane rabido,& taran- *3. Opinio.* *Videtur inſufficiens.*

tula Apula,& in culice tanta esse queat, quæ tantos pariat venenosos effectus?

Opinio 4. Hip. & Gal. 3 Quapropter Hipp. causas diuinas accersit, idest, ocultas excretiones: agnoscit enim Galenus in aëre draconem; & aëris excretiones quasdam putat esse pestis causas; sed quæ sint ignorat.

Opinio 5. 4 Quidam è sideribus eas accersunt, esseque influxus Saturni, & Martis, luminaria dum eclipsantur in signis humanis offendentium. Quod & nos de peste Coloniensi interrogati scripsimus. Obscuritas enim in eclipsi aërem tingit, & vitali luce priuat. Saturnus, & Mars qualificant eum prauis nostróque temperamento noxiis qualitatibus: serpentino verò, & venenoso, commodis. Interim vapores excitantur tetri, qui spiritum obnubilant, tingunt, & à symmetria sua extrahunt in calore, & dispositione. *Huius insufficientia.* Verum ista mihi non sufficiunt, cum videam culices, & apes venenum infigere insensile, poténsque temperamentum vel ex parte immutare: & vim in venenis non modò replentem meatus, vt in napello, & cicuta: neque comedentem modo viscera, vt in vitro, hydrargyro, & arsenico; sed etiam crescentem, & in sui naturam transmutantem nostram temperiem, non secus ac granum frumenti terram in herbam, & spicam.

Opinio 6. 5 Propterea forsan Fracastorius quædam semina atoma è sideribus, vel è naturæ arcanis educit, quæ pestem pariunt: & non rectè reprobatur à Montano, tanquam atoma Democriti suscitans. *Non rectè confutatur.* Democritus enim qualitates nullas suis atomis adscripsit, præter figuras, & pondus. Sed quomodo ista à sideribus accersuntur, *Vera confutatio.* cum pateat causa in terra? Paludes enim, & cadauera pestem ferunt, & tellus post ardores multos madefacta. An forsan vbique sunt semina ista, vel seminales virtutes, sicuti Patritio videtur, & Platonicis: & à figuris cælestibus ortum, vel vires sumunt? *Obiectio.* Sed cur potius in cadauere, & carbone latebant; aut inde enutriuntur? Item cum palam ex serpentum quorundam temperie venenosa periclitemur, quis semina ista fingat, & non potius contrarietatem? Nunquid vipera hisce seminibus plena? nunquid & homo mortuus?

Propria sententia. 6 His consideratis, arbitror peruersionem qualitatum in qualibet re, seu magnitudinem, esse, vel venenum, vbi in temperamento nobis contrario in vehementiam eleuantur: vel nobile adiumentum, vbi in consimili mirificantur. Videmus enim

viperam

viperam viperæ non esse venenosam, sed homini: cuius sputum è contra viperæ est venenosum: quoniam in contrario illi temperamento fit vehementia aliqua primalitatum nostrarum. Et in omni semine esse hanc mirificentiam patet; quoniam tellurem etiam transmutat in se paulatim. Canes nisi in rabiem agantur, vnde mirificentur primalitates, non habent in nos venenum: nec subito nos immutant, vt aspis; sed paulatim. Hoc autem verum esse antipathia, & sympathia rerum admonet. Magnes enim spirituosus trahit ferrum, & non è contra: & chalybs etiam trahit, & non è contra. Nec stannum, sed ferrum: ita vt vehementia primalitatum, in benefaciendo, & malefaciendo; attrahendo, & pellendo, sit quarundam ad quasdam res vicini ordinis, sicut in lib. quinto dictum est: & inter has tantum fieri contagia morbifica, vel saluifica. Actiones autem esse à rebus, non quatenus corpora sunt, sed quatenus calida, & frigida immediate; sed nec qua calida, frigidáque: sed qua calor, & frigus constant appetitu, sensu, & potestate. Et hæ sunt causæ diuinæ, & virtutes occultæ, quas Hippocrates olfecit, & quæsiuit, & non inuenit. Reuera enim non nisi ab istis omnis operatio, & actio est, vt in Metaphys. probauimus. Et non modò in seminibus mirificantur, sed etiam in cunctis erga res sibi correspondētes. Ergo sicut magnes, & serpens nobis venenum est: sic lapis bezoar, & vinum est iuuamen mirificum. In horum notitia est magia. Propterea enim semel péste liberati difficile patiuntur iterum: quoniam quædam sympathia facta est illis cum re pestifica: & qui vipera morsi sunt, edentes spinam viperæ in puluerem actam, liberantur, & viperas deinde amare, & tractare consuescunt. Vide 4. de sensu rerum. Et Mithridates sapiens venenis vesci solebat, ne posset lædi ipsorum vehementia primalitatum positarum in antipathia. Sunt, & qui gestant arsenicum in pilei cingulo, ne lædantur peste.

De medela præseruante, & curante pestem à contagio retinentium rerum.

ARTIC. III.

1 QVicunque peste corripiuntur, horum prius spiritus inficitur, siue ab aëre incipiat, siue per contagium aliundè deferatur. Etenim semina pestis, panni linei, & lanei, & sericei *Pestis in pannis.*

 tres

tres ferè annos seruant, & si ad sanam ferantur ciuitatem, inficiunt illam: sicuti meo tempore panni ab Algero Messanam pestem transportarunt: Messanâ verò Pracanicam, & Stignanum: vbi Hieronymus pater meus præsidens extinxit eam, séque, ac familiam seruauit, cum ibi exularemus; Baro Pracanicæ detulit. Domus autem per plures menses, nisi igne, & aceto expurgata fuerit, pestem seruat. Vasa lignea plus. Idcirco comburenda sunt. Metallica minus. Sufficit enim si aceto lauentur, vt & monetæ.

Et domibus, & vasis.

Cura communis.

2 Quapropter si contagio solo cœperit grassari, facile cauetur publicos cœtus vetando, & vitando: aërem expurgando, ægrotos seorsum reponendo sub cura eorum, qui de eodem euasere morbo: nec patiantur exire nisi ad sepulturam, aut in ædem extra ciuitatem. Qui sanati putantur, vsque ad quadraginta dies non admittendi in aliorum commercio. Panni crementur, domus expurgentur, & si ligneæ fuerint, crementur. Moyses etiam domos dirui iubet, vbi lepra vaga post abrasionem, & purificationem iterum in ea pululauerit. Vnde pestilentior fuisse illius temporis lepra videtur, quàm præsentes diræ constitutiones aëris. Turcæ autem Moysis præcepta, nedum Medicorum, spernentes pannos seruant. Vnde nunquam Constantinopolis peste carebit. Putant enim se fati iram effugere non debere. Fugiunt tamen, si bellum ingruat, & sese defendunt.

Contra pestem, ab aqua, & aëre præseruatiua.

ARTIC. IV.

Cura pestis ab aere.

1 Si pestis ab aëre putrido natalitio ortum habet, effugere eam impossibile videtur: quando impossibile est non spirare, nisi regionem in aliam migraueris, vbi aer frigidus, tenuis, serenúsque vigeat. Regiones enim montanæ, & frigidæ, à mari, & palustribus locis, vbi ventilatio aëris est modica, remotæ, minus peste infestantur. At si cogeris viuere vbi grassatur, tria seruabunt te ad victum, conuersationem, & antidotum spectantia.

Tria seruant.

De cibo seruanto.

Primò cibi, potúsque parcitas. Vbi enim modici humores, & exsiccata est temperies, semen pestis non iactat radices, etiamsi spiritus afficiatur: statim enim solo aceti odore, & aromatum dissoluitur. Item cibus siccus, & frigidus, facilis digestionis, aceto, macere, alliis, & cæteris aromatis conditus. Vinum sit odoratum, nec nimis aquosum: aqua arantiorum, rosarum, citriorum

Potus.

stilla-

ſtillatitia dilutũ: quibus etiam te ſæpè lauabis: magis autem aceto, & acidis prædictorum partibus. 2. Ignem in domo inceſſanter habebis, etiam ſi tempus calidum ſit: ſed ex lentiſco, myrto, lauro, thymo, roremarino, iunipero, terebintho, abiete, aliiſque herbis odoratis nutritum: quibus ſi careas, cauebis carbones, ſed in ligno ignem habebis: cui ſuperiniicies cortices citriorum, arantiorum, & acetum, & vinum, & pulueres odoratos, & manipulos origani, betonicæ: folia lauri, roremmarinum, maioranam, abſinthium, rutam, mentam, thus, myrrham: caryophylla, maſticem, pineas, & huiuſmodi: quibus etiam domum, & parietes ornabis, & ſuccis acidis, & odoratis ſtillabis. Præſtabit autem ædiculam fabricari in horto propinquo inter lauros, & roremmarinum, & res odoriferas, ad Septentrionem ſpectantem, & vnde venti puri feruntur. *De ignis ratione.* *De Aedibus.*

Dormies in mundo lecto, & odorato, clauſis feneſtris à craſſo aëre. *Lecto.*

In publicum non exibis, niſi ſereno cælo, & borea flante, & colloquium non inibis cum homine, à quo ventus ad te flat, ſed ſi à te ad illum, vel medius præteruolet. Deferes autem poſt lauacrum faciei in aceto aliquid odoriferum contra peſtem, collo appenſum. *Conuerſatio.*

3. Præterea purgato corpore ante egreſſum prodeſt interius muniri bolo armeno in aceto, ruta, ficu ſicca, & nuce vna, vel theriaca, vel mithridatio; vel catapotiorum Ruſfi dragma vna: quæ aliis ex croco & myrrha ſolis concinnantur. Addunt tamen alij, & aloën. Fiunt & pilulæ ex iecoraria, myrrha, agarico, croco, bolo armeno, ſemine citri, maſtice, pimpinella, & aqua roſacea. Faciunt alij electuarium de nucibus vocatum; vbi terra lemnia, & myrrha, nux vomica, mel, &c. incorporantur. *De antidotis.*

Bonus tamen Medicus poteſt ſuo arbitrio multa inuenire hiſque miſcere, cum ſciat, quæ cordi, quæ capiti conferunt, & quæ venenis obſiſtunt: & probauerit, num magis in vno membro, quam in altero ſoleat peſtis ſignaculum apparere, maleficiumque ſe exerere.

Curatio ciuitatis, peſtilentia iam affectæ.

ARTIC. V.

Ciuitatis autem curatio in qua aër, vel aqua peſtilens eſt, primò tractanda. Si ergo in aquis prius fuit corruptela, de- *Cura aquarum.*

moliendi sunt fontes, aut lacus exsiccandi, si potis est, & ignes grandes circum circa accendendi. Primalitates enim ignis copiosæ, & robustissimæ, omnia maleficia soluunt, etiam à diabolo consarcinata. Vtitur enim diabolus rebus antipathiam cum homine gerentibus, vbi præualent, peruerso modo primalitates: hasque dat maleficis ad aëres, & fontes contaminandos: sicuti Deus Moysi lignum ad dulcorandum aquas. Nec mirum, quando ex arcula vna in Babylone à militibus aperta, vbi putrefactum erat cadauer, & aromata simul in venenum redacta, prodiens fœtor milites occidit, & prouinciam peste infecit, & quocunque etiam *Aeris.* in Africam venti fœtorem illam detulerunt, pestis facta est. Ignis ergo purgat omnia: & si arca in fornacē magnam coniecta fuisset, pestis semina, & fœtor dissoluta fuissent. Fiant etiam ignes in omnibus viarum stratis, & portæ aperiantur; & fiant, si non sunt, ad boream, & respondeant aliis portis ita, vt ciuitas tota ventiletur, nec ventus gurgitem, & retrocessum faciat. Et hæc mane & meridie semper.

2 Præterea campanæ fluoribus thuris, & aromatum incrustatę, semper sonent septies in die, & homines super tecta, & pueri, & mulieres statutis horis egredientes, dato signo simul conclament altissimis vocibus. *Misericordia, ò Deus, tua super nos, & auxilium contra diabolos hostes tuos*: sic enim purgatur, & attenuatur aër, & vocibus religiosis animi captent fiduciam, & potestates aëreæ diabolicæ depelluntur. Nullum enim malum fit contra homines etiam Deo iubente, absque diabolorum ministerio, vt Augustinus, Origenes, Chrysostomus, & alij doctissimi docent, & Platonici olim & Zoroaster, vt Plutarchus, *in lib. de Isi. & Osyri*, etiā refert. Confert etiam rumor bombardarum, & archibugiorum, & percussorum vasorum æneorum. Quæ omnia simul cum vociferatione fiant ter in die.

3 Aquæ insuper destillentur, aut modico aceto, aut vino iniecto meliorentur. Fontes lignis aromaticis, & lapillis. Res acidæ omnes pesti aduersæ, quoniam concretiones pestilentes acumine penetrant, dissoluuntque.

Ex Astrolog. 4 Expedit etiam huiusmodi in actionibus bona stellarum configuratione vti. Videlicet luminarium inter se, & ad Venerem jouémque aspectibus amicis in bono situ angulares. Maleficis verò ab angulo cadentibus, &c.

Curatio indiuiduorum, peſte affectorum.

ARTIC. VI.

1 CVm aër ſit ſpiritus nutrimentum, & ſanguinis arterialis, in cor inſpiratus, & arterias, conſors: & ab ipſis arteriis & extrinſecus attrahatur; procul dubio ſi extrinſecus peſtilens eſt, ſtatim occidit ſpiritũ: ſicut vapor carbonis & antri Agnanæ. Sin vero non omnino corruptus, nec peſtis ſemina valdè dira, afficiunt ſpiritum, & paulatim creſcendo perimunt; & dum ſpiritus grauatur, & dolet, ægrè ſui generationem, & ſanguinis exercet, expurgatque. Vnde ſanguis partim propria fuligine, & cinere: partim ſemine peſtis corrumpitur. Et quidem ſi ſpiritus validus eſt, incipit febris magna, id eſt, pugna contra noxia ſemina, & putrentem ſanguinem; ſi verò debilis eſt ſpiritus, & purgare non poſſit, moriuntur abſque febre, pulſu ordinario Medicos decipiente; & aliquando poſt febres, facta quaſi pace: cum tamen non ſit victoriæ pax, ſed ceſſio. Vnde cum videntur conualeſcere pereunt, vel quia ſpiritus impar eſt prælio: vel quia nouo ab aëre ſemine peſtis grauatus pugnam deſerit.

Cur aër inficit. *Quid corruptus ex toto.* *Quid ex parte.*

2 At ſi cum ſpiritus præualet in principio pugnæ, apparent puſtulæ, ſeu bubones, vel in auribus, quorum cerebrum prius magiſque læſum eſt; vel ſub alis, quorum cor magis afficitur; vel in inguinibus, quorum viſcera inferiora plus patiuntur. Quibus autem iſti abſceſſus non fiunt, pericula inſunt grauiora: ſignum enim eſt, ſpiritum non præualuiſſe ad cauſas morbificas pellendas; tunc ex aliis ſymptomatibus peſtis præſentiam cognoſcimus. Videlicet grauitas capitis, ſiccitas, & ſitis in ore vehemens: punctiones adſunt in toto corpore. Exteriora frigent, ſpiritu ad cor contra inſpiratum venenum accurrente; ergo & interiora vruntur. Difficultas adeſt reſpirationis, vomitus creber, vigiliæ, & deliria, ſi in capite eſt morbus. Alibi fit propenſio ad ſomnum: qui tamen non eſt ſomnus, ſed ſpiritus è capite ad locum morbi receſſus. Aſpectus eſt toruus; vrina fœtida, & quaſi ſubiugalis ob humorum conturbationem. Solet rigor febrem præcedere continuam, cum longis compreſſionibus pulſus, & modicis dilatationibus inordinatis.

Quando puſtula, & vbi. *Agnitio peſtis ex ſignis. ſi primo lædis caput, aut alibi.*

3 Horum cura non à venæ ſectione, vti placet Medicis, ſed à ſpiritus, vnde incipit morbus, confortatione incipiat in aula

Cura vniuerſalis.

purificati

purificati aëris per odores optimos cor, & cerebrum confortantes. Sed cum humores infecti sunt, secabis venam correspondentem loco bubonis, vel maioris afflictionis, si bubo non exiuit. Cucurbitulæ adhibeantur, & scarificentur, quibus sectio obest venæ. Deinde propinabis theriacam, mithridatium, & bolum armenam, in electuario mista: vel potione, in aqua rosacea, buglossæ, & scabiosæ quantum sufficit, vt defendantur vitalia, & venenum arceatur, pellaturque. Alij dant electuarium vocatum de ouo: quod miræ virtutis probatur. Alij, pulueres boli armenæ, terræ lemniæ, myrrhæ, aloës, jecorariæ, tormentillæ, zedoariæ, betonicæ, gentianæ, pimpinellæ, croci, mastices; miscent ex arte, dantque ægrotanti dragmæ pon 'us in aqua rosacea. Sunt etiam alia remedia iam dicta. Sed quidquid venenis obest, & confortat cor & spiritus, potest sumi, & pro Medici iudicio confici in medelam. Quam multa commemorat Ficinus? Ex hac sumptione ponitur in linteis mundis ad sudandum; quo facto abstergatur, & surgat.

Cura topica. 4 Locum bubonis ita curabis, vt venenum extrahas lanceola, & cucurbitulis, & emplastris de ficubus, passulis, sale, althæa, fœno græco, lilio, diachylone; cum oleo chamæmelino. Melius autem theriaca cocta intra cæpam simul: eius enim est extrahere ob viperæ carnes: sicut caput viperæ morsui viperæ applicatum attrahit ad se venenum. Pellit autem & confortat ob alias misturas. Iuuat ad ruptionem bubonis fimus anseris in oleo.

Cibus. 5 Cibus esto à sudore duabus horis, iusculum gallinæ conditum acidis, & aromatibus, & carnes pullorum cum agresta, vel limone, vel amarena: & huiusmodi acidis. At parum, & sæpè comedatur, vt spiritus continuo reficiatur, & nunquam oneretur.

Potus. Potus esto iuleb, & aqu e destillatæ: & acetosis succis arantiorum, & limonum commistæ, & modicum vini ex his temperati. Contrariatur pesti vinum generosum, sed absque aqua suffocat, & vincit spiritum, à quo statim vinci oporteret, ne a prælio contra morbum distrahatur.

6 Si papulæ apparuerint, procurandum est, vt suppurentur perfectè, malæ autem sunt nigræ: sed melius est, si malum exeat; quam si lateat: ideò & quod latet eliciatur, vt potis est.

Nota

Notabilia.

1 CVm febris pestilens est ephemera, indicat nondum sanguinem esse infectum; dum putredinalis, iam est infectus; cum sit hectica, desperandum: totum enim temperamentum pessundatur. Hic autem transitus fit subitò in peste: in lue venerea paulatim. Item in aliis contagiis pro vehementia seminum, & patientis habilitate.

2 Memento ex prædicta doctrina intelligere, cur alij morbi contagiosi sint, & seminales: alij non contagiosi, nec seminales: & cur aliis quidem temperaturis naturalibus, & accidentalibus sic: aliis verò non. Sicut idem semen in vna terra germinat, in alia non germinat. De quibus singulis suo in loco. Neque enim omnes à spiritu incipiunt, vt patet de scabie; licet multi videntes alios suam scabiem scalpere, vapores illorum attrahant, & spiritu ab infecto sanguine polluantur; & alij fascinentur, alij minimè. Morbus à rabioso cane incipit ab humoribus, difficillimum enim est vapore eorum solo affici, sicut quod granum odôre solo germinet: quod tamen accidit in humentibus. Si ergo spiritus in his afficitur, vtique non liber, sed quatenus succulentus afficitur.

3 Ex his etiam liquet quod venena occidunt, aut fumositate nimia opplendo vias spiritus, & suffocando, vt cicuta, opium, fungus, &c. Aut ariditate, & acutie rodendo & penetrando viscera, vt vitrum, adamas, hydrargyrus, calx, gypsum. Aut rodendo, & simul vapores noxios ad caput efferendo, vt arsenicum, strimonia, &c. Vel in sui naturam, & temperiem nostram vehementia primalitatum conuertendo, seminali ratione, vt viperæ venenum, aëris constitutio, canis rabidi saliua, menstrui sanguinis fæx. Aut suffocando, & temperiem spiritus simul euertendo, vt carbonis vapor. Antimonium verò etiam fabricam, & dispositionem partium, humorum, & spiritus sola vehementia euertendo operatur; cum multum est, nec præparatum. Helleborus idem habet in minori vehementia; additque suffocationis per vaporem fœtidam vim. *Quotuplex venenum.*

4 Futuræ pestis præsagia in Astrologicis posuimus constitutiones maleficarum in signis venenatis, & humanis, in cardinibus anni, & eclipsium, & cometarum de ipsarum natura, in trigono, & a hereticis locis regionum. Item plantarum, & bestiarum nobis proficuarum mortalitatem, noxiarumque multipli- *Præsagium futuræ pestis.*

cationem,& vigorem.Item diuturnas serenitates, quibus superuenit pluuia,nisi tunc venti boreales aliò fuliginosos vapores ferant, vt etiam post bella ex cadaueribus, & paludum insolationes,& vbi diu flauerint austri crassi, & non bene olentes.Cætera ibi vide, &c.

De spiritus morbis à subiectis causis.

Capvt III. Pars I. Artic. I.

1 CAusæ subiectæ, vnde spiritus contrahit morbos, duæ sunt: humores, ex quibus nutritur, & corpori continuatur: & organa appetitiui, cognoscitiui,& potestatiui, à quibus, & cum quibus patitur. De prioribus primò dicendum.

De morbis appetitiui à subiectis causis: & medela.

Artic. II.

De sordida appetentia.

1 MOrbi appetitiui ab humoribus sunt exorbitantiæ & deprauationes amoris,odij,risus,planctus,metus, &c.

2 Quando igitur spiritus cupit sordes, & sepulchreta, & vasa vrinarum,& stercoris,& in his versatur, & delectatur,sicut sæpe vidimus:hi atrabili vitiato sanguine, & fœtida pituita corpus infectum habent:non tamen febricitant,quoniam connaturalia facta sunt hæc; sicut cum hostes fiunt ciues,bellum contra eos non armat ciuitas. Horum remedium,est pharmacum purgans prædicta omnia,quale antimonium,helleborus,cum rhabarbaro,senna,agarico,& scammonio:præeuntibus præparatoriis.& minoratoriis earum specierum,quæ his valdè aduersantur.Præterea balnea aquæ dulcis, odorata: & vnctiones oleorum aromaticorum, penetrantium totam statuam corporis. In primis autem jecoris rectificatio suo loco dicenda: & vasorum recipientium excremēta,vt lienis,cystis fellis, renumque apertio,& purgatio:vt possint excrementitios humores à se sequestrare, ne vnà cum sanguine inficiant corpus. Medicamenta sint fortia,qualia laborantibus venerea lue,etiā in ossibus:& diuturnæ vnctiones. Cibi boni succi,& multæ substātiæ incorruptæ,vt potius trahant tēperamētum in sui naturam,quàm vertātur in ipsum;vt pauonis,cerui, medullę ossium bouis,leonis, arietis. Vinū generosum subdulce. quale maluaticū,& montanum Patauinū. Si autē digestiua vis re-

Curatio.

nuit,

nuit, pauca, & frequentia erunt cibaria. Quod si à natura inest hæc praua dispositio, temperamentum vix mutabis, tamen rectificabis vel ex parte.

3 Qui rixas, arma, & rumores sectantur; minaces, insolentes, intolerabiles, bili infestantur. His prodest purgatio bilis, mitium conuersatio, cibi frigidi, potúsque humidi: Vini priuatio, vomitus, & quæ dicemus pro delirantibus. *De appetentia rixarum rerum. Curatio.*

4 Sunt & qui futilia, & vana nimis amant, sempérque rident, & quacunque de causa in risus prolixos aguntur, magnarum rerum cura prorsus vacui. His sanguis abundat multus, spiritus tenuis, & lucidus, & leuis, facile flexibilis, & inanis. His sanguis subtrahendus est, & vinum, & carnes, nutriendíque sunt melancholicis, saturninisque rebus: stypticis etiam, quæ firmitatem spiritui concilient. Curæ, labores, & anxietates imponendæ: necessitas acquirendi sibi necessaria. *De appetentia ridiculorum. Cura. Curatio.*

Verùm aliquando non est causa sanguis, sed humor melancholicus, & fuligo, atque spiritus tenuitas; qui cum propria fuligine intus pugnare renuens, foras effunditur, & in risus dilatatur; & hi timidi: illi securi: hi melancholico habitu hispano; illi sanguineo gallicóque sunt aspectu: illi plus salis habent in verbis, hi plus licentiæ. Ergo cibis vtantur isti fuliginem non gignentibus, & crassiusculis, qualis arietina caro, & vitulina, cogantúrque non parasitari, nec de alieno viuere. *Exceptio & cura quod ex melanch.*

5 Contingit morbus circa voluptates venereas ab humoribus & appetentia profusa, ita validus, vt delirent cum priuantur, & dæmonoplexia teneri appareant: acres enim vapores, & humores praui in semine retento fiunt; qui spiritum pungunt, infestantque: maximè autem morbus iste virgines vexat: quas quàm maturè viris coniungendas Hippoc. consulit. Galenus viduam ex hoc vteri strangulatu affectam, titillatione, seminísque emissione sanauit. Sed de his cum vitia, & morbos ex instrumentis subiectis simul curabimus. Aliæ voluptates non sunt ita validæ ad ægrotandum. *Ex venereo morbus. Sub finem lib. de morb. virg.*

De cura doloris ab ebrietate.

1 Dolores autem multiplices fiunt ab humoribus in spiritu, & vaporibus: quorum primus qui fit ex largo vini meracioris potu, & ebrietate, cuius vaporibus grauatur spiritus substantia, & caput ipsum, & membranæ premuntur; & cũ larga *Quis affectus à vino.*

est copia, obstruuntur meatus, suffocatur spiritus, & fit mors, quasi à veneno. Remedium est, vt vomant, & refrigerentur hi, quibus prodesse citò possumus. Quæ vomitum excitant aquæ, succi, olea, pennæ iniectio in fauces, dicta sunt in lib. 5.

Cura.

Refrigerat rosacea caput: ventriculum fontana cum conserua borraginis, & linguæ bouis.

Munimen contra ebrietatem.

Curatio.

2 At si vinum coqui cœpit, etiam vomitus iuuat: post coctionem verò rosaceam cum succo brassicarum, & hederæ dabis, ne vapores caput infestent: quod brassica, & hedera coronabis, ob magnam, quam habent cum vino antipathiam. Præterea, qui ad conuiuia Germanica vocantur, præmuniunt se succo, vel tyrso brassicarum, & amaris amygdalis; cum & ista sint vitibus inimica. Quidquid ergo vitibus aduersatur, per magiam contra ebrietatem valet: quidquid amicum, vt cito inebriet, sicut dictum est in lib. de sensu rerum. Vtitur & Aëtius verbenæ semine, cornu ceruino, decoctione centaurij minoris contra ebrietatem præsentem.

3 Dormire conuenit ebriis, vt spiritus vapores vini vincat: deambulare passim vbi non dormiunt, quatenus discutiantur.

4 Cibus erit lactuca, & res frigidæ sine aromatibus, modicæ, & coctæ, potiusque olera, quàm quoduis aliud. Potus aqua modica, vel succus granatorum, vel iuleb. Vtendum balneo dulci ieiunis; & cum impacti fumi excuti è capite nequeunt, detrahe frigida, vteréque oleis aperitiuis ex parte.

De cura doloris spiritus ex vapore ventriculi.

1 FIt dolor in spiritu vaporibus exhalantibus è ventriculo, prauis, acribus; impactisque in eo crassis humoribus: quod nausea, & mordicatio ventriculi indicabunt. Hos si purgabis hiera picra, & abrasiuis pharmacis, vbi vomitus non prodest: statim capitis dolor sedabitur; sicut qui fit à vapore cloacæ, vbi discesseris ab ea, &c.

De cura doloris vertiginosi.

Vnde vertigo.

1 VErtigo fit in spiritu pariter, vbi vapores praui ex ventriculo in cerebrum ascendunt, super quibus spiritus supernatat, ac cum sint mobiles, & sequatur impulsus subter, vertuntur in gyrum, exitum non nacti, ac simul spiritum vertunt

& pre

& premunt, præsertim quibus caput paruum, & tempora stricta. Remedium est expurgare ventriculum crassis humoribus secundum artem: etenim si tenebræ, & fuligines fiunt ob oculos in capite, atram bilem purgabis; si grauitas, & nausea, pituitam: si acuti dolores, bilem, &c. Morabitur æger in aëre lucido. Rotas, & fluentes aquas, & ventos non audiat, neque aspiciat, neque de his loquatur. Vomitu, si potest, vtatur sæpè, & clysteribus diuersiuis. Cibis nullatenus vaporosis vtatur: sed aquoso austero vino, *virdisco*, vocato Neapoli, & Surrentino; quod quasi vappa generosa est. A cibo pyris, cotoneis, & rebus vapores eleuari prohibentibus vtendum. Caput confortabis iuxta Medicorum doctrinam. Potius autem cibis spiritum stypticis obfirmabis. *Curatio varia.*

Arbitrantur etiam fieri vertiginem absque ventriculi vitio ex lento, crassóque humore in cerebro, conuertibili in vapores: quod si verum quoad substantiam, non tamen rotabunt absque fumo infernè, vel aspectu rotabilium. Hos pilulis expurgabis: præsertim de aloë, & agarico: masticatoriis, gargarismis, & sternutatoriis prouocabis: purgabis etiam nitro, nigella, oleóque mistis per nares. Embrocatio capitis, & sub auribus proderit. Cætera patent. *Alia causa vertiginis.* *Cura.*

De spiritus doloribus in capite ab humoribus multipliciter.

1 CVm caput succis, & vaporibus repletur etiam vtilibus, necessario dolet spiritus, ob compressionem à tunicis in ipsum, & vaporem grauantem insuper, & affligentem. Et quidem cum in solo spiritu est morbus, facilè excutitur igne, sudore, sternutatione prouocata piperibus, sinapi, aceto, aliisque acutis pulueribus.

2 Cum verò & spiritus tunicarum, & fibrarum, & neruorum dolet, totum caput succis, & vaporibus repletum esse infestis, oportet, vel nouis in doloribus, nouis: vel antiquis vt in cephalæa vocato dolore: vel dimidium, vt in hemicrania dicto. *De cephalæa, hemicrania, Xaqueca.*

Vidimus etiam qui mense quolibet semel, vel bis capitis dolore torquebatur, quem Hispani vocant *Xaqueca*: præsertim vbi Auster flauerit, aut ignem odorati fuerint; maximè autem ex carbonibus: qui in tenebris absque cibo, & potu quiescentes in 24. horis, sponte sanantur: mox succo amygdalarum, in quo panis in aqua rosacea coquitur albissimus, refocillati resurgunt liberi. *Curatio.*

Vnde videtur ista esse cephalæa extemporalis. Neque ex cerebri imbecillitate, sed spirituum tenuitate nimia, quia facile patiuntur ex vapore quolibet, præsertim fuliginoso: sunt hi saturnini, & mercuriales. Saturnus enim mihi cognito ascendebat nascenti in Libra, & Mercurius in quarta in Capricorno cum luminaribus correspondebat, commutatis dignitatibus.

3 Cum autem temperies cerebri, & spiritus, qui membranis inest affecta sunt, in his durat perennis dolor: idest cephalæa: ita etiam, vt ab odoribus lædantur, & lucem fugiant, quasi rarefacientem ad dolorem, & compressionem: & diuturno confecti morbo absque adstantium aduertentia moriuntur, vt in Ioanne Baptista Præstinacio expertus sum.

4 Qui autẽ confirmati non sunt dolores, alij putantur à Medicis sanguinei, alij biliosi, alij pituitosi. Melancholicos non adducunt.

Dolor capitis sanguineus, eiusque indicia. 5 Cum enim sanguis in capite abundauerit cum cæteris humoribus, ipse tamen præualens facies, & oculi rubent: venæ tenduntur ita, vt prominere etiam exiguæ appareant. Temporum venæ etiam pulsant: vrina subrufa, & crassa, pulsus magnus, & vehemens, tunc dolor grauatiuus ex plethora fit. Horum causa sunt cibi multi succi, intermissa exercitia, vacuationes sudoris, & cæteræ, suppressæ. *Cura.*

Dolor biliosus. 5 Dolores autem erosiui, & pungitiui mordicantes indicant humoris biliosi copiam, & acrimoniam vaporum. Accidit etiam his oris amaritudo, siccitas: súntque dolores iuuenum, & sollicitorum negotiosorum hominum, sicuti priores pigrorum. Præterea inedia, vigilia, ira, dolor, labor, anxietas, quibus bilis acuitur, solent præcedere dolores istos: & vsus piperis, alliorum, porrorum, cæparum, sicuti illos pinguium, & carnium, & polentæ, & huiusmodi infarcinantium.

Dolor pituitosus. 6 Dolores obtusi, & graues pituitosi putantur: quod facies alba, & humida attestabitur: præterea causa præcedens, videlicet humor crassus, frigidus. Potus aquarum nimius, cibus humidus piscium, lactis, olerum. Ocium, somníque præcedentes, locáque madida, & vmbræ.

Dolor inflammatorius pulsatilis. 7 Dolor pulsatilis arguit inflammationem, & febrem prædictis additus, præsertim membranarum.

Dolor tensiuus. 8 Dolor cum tensione citra grauitatem, & pulsum flatus, & cruditates indicat: præcessit autem victus ex leguminibus, & crassi venti haustus, & fœtorum.

9 Dolor cum timore, & cognoſcitiui læſione ex fæce ſanguinis eſt. *Dolor ex fæcibus.*

10 Hi dolores in ſuperficie paſſionem membranæ, caluariam tangentis indicant; & ſpiritus qui in ea. In profundo autem capitis, membranas cerebro appoſitas pati. *Distinctio ſuperficialis, & profundi doloris.*

11 In dextra, vel ſiniſtra fiunt hemicranici per ſuturam caluariæ diſtinguentis in exteriori, intus verò per duplicem cellam frontis; quæ niſi diſtinctæ eſſent, dolor in vtrumque latus ſerperet. *Hemicran.*

De cura ſingulorum enumeratorum dolorum: & primo qui ex flatu.

1 HOrum cura ſic erit. Dolores, qui ex flatibus fiunt, tolluntur igne, ſudore, odore, & purgatione humorum, ex quibus eleuantur, iuxta prius dicta. *Cura doloris tenſiui.*

Cura doloris ex plenitudine.

2 QVi autem ex plenitudine, per venæ capitis ſectionem prius minuuntur: clyſteres diuertent; & ſi grauitas exigit, fiat potus ex decoct. bugloſ. roſ. viol. 4. ſem. frigid. myxariis, paſſulis, tamarindis, myrobal. citrinis, indis, chebulis, embl. belliric. fumaria, glycyrrhiza, capil. vener. ſenna, polypod. agar. &c. prout videbitur conuenire. Quorum decoctionis vnciæ 4. diluculò ſumantur. Prodeſt manna, caſſia fiſtula, diaphœnic. &c. Sed nil inedia melius, & tenui cibo, ex endiuia, vel portulaca, priſana, &c. Carnes, & oua, quæ augent ſanguinem vitabis. Vinum etiam: pro quo aqua veniat, in qua cynamom. incoquatur. Aër frigidus, ſiccúſque prodeſt.

Cura doloris acris, ſeu bilioſi.

DOlores bilioſi requirunt frigidum humidúmque aërem, eiuſdémque qualitatis cibos: cuiuſmodi ſunt lactuca, piſces ſaxatiles, cucurbita, pyra, priſana; res autem venereæ; vt in lib. 5. Potus aqua cynam. Somnus procurandus mediocris, lætitiáque, & turbationum ceſſatio. Præparetur bilis ad purgationem ſyrupis ipſam reſpicientibus, vt ſuo in loco deſcripſimus. Purgetur abſinthio, aloe, hiera picra, & rhabarbaro, quantum quis fuerit. Clyſteres ſemper boni, ſed vomitus melior in doloribus capitis, &, à tenuibus humoribus factis.

Cura obtusi, seu pituitosi doloris.

PItuitosorum dolorũ prius causa præparanda extenuandaque oxymelle, rosaceo melle, hyssopo, betonica, maiorana, saluia, vt dictum est in lib. 5. vbi omnes syrupos descripsimus. Purgabitur autem pilulis de agarico, de hiera, alephang. turbith, myrobal. & aliis. Clysteres hic validi iuuant. Purgatio repetatur, quia viscosi fiunt in capite. Vteris masticatoriis, gargarismis, & sternutatoriis, quæ ex staphide agria, pyrethro, pipere candido, mygetta, struthia, helleboro albo, tritis cum terebinthina, & cera, &c. Intra corpus subtiliantia: aromatica attenuatiua conferunt, in aëre calido, siccóque, seu sulphureo, qualis Puteolanus; quem in cubili potes effingere. Suffumigia ex thure, roremarino, & huiusmodi prosunt valdè, vt in catarrhis. Carnes assatæ ex carnibus volucrum conueniunt, pomáque cocta, saccharo condita; vinum dilutum aqua cynamomi, &c.

Cura cephalææ, & hemicraniæ.

IN cephalæa, & hemicrania considera qui humores peccent, & quam inhæreant capiti; & vbi, & an indigeant, & qua euacuatione. Eandem enim habent curam, quam dolores iam curati; sed assiduam sedulámque magis, & diuturnam. In primis autem aër eligendus purus, tenuis, odoratus, qualis Puteolanus.

Addes euacuationibus embrocationes in capite, & purgationes per nares, & aures procurabis validas. Si dolor ex causis frigidis, verbenaca, euphorbium, & olea stillatitia ex his, valde prosunt. Si ex causis calidis, rosacea, endiuia, psyllium, &c. In doloribus diuturnis prodest quinta essentia vocata aqua, quæ extrahitur alembico ex congruis simplicibus: hæc enim penetrat, desértque vim medicamenti vsque ad ossium medullas. Dicitur Paracelsus hisce vsus. Sacculi odorati semper naribus, & fumi leues odoriferi per cubiculum spirent.

2 Nondum expertus sum quod Aëtius narrat, euphorbium si aceto dilutum, ac dextræ capitis regioni vbi, sinistra dolet; vel sinistræ, si dolet dextera, applicetur maximè conferre certa ex naturæ proprietate. Itidem prodesse lumbricos terræ tritos, & cochlearum carnes lateri patienti applicatas. Alij nucleos persicorum tritos, & parti affectæ applicatos, laudant.

Tu verò causas morbi discute ex arte; neque ista neglexeris, & quæ

& quæ pharmaca dolores ex intemperie requirunt, prius declarati, hic applicato, prout videris qualitates causarum correspondere.

3 Cucurbitulas ceruici, hirudines ano, contra capitis dolores, ex humoribus ortos, valere nulli dubium: & diuturnis doloribus, si hæmorrhoides aperiantur, optimum. Fæx enim sanguinis morbifica eò confluit, si rite extrahere malum, & bonum didiceris. Mulieribus autem dolentibus menses prouocabis.

De cura morborum cognoscitiui in spiritu, & subiectis ortorum causis.

CAPVT III. PARS II. ARTIC. II.

Variæ sententiæ de morbis, & deliriis animæ, à subiectis: & reprobatio.

1 HAud rectè Medici (Arabum præsertim placitis addicti) triplicem cognoscitiui morbum statuunt. Aut enim, inquiunt, læditur imaginatio, læsa parte cerebri anteriore; aut discursus, læsa media: aut memoria, læsa posteriori: vel omnibus simul læsis magnus exoritur morbus. Probat hoc Galenus, quoniam Theophilus Medicus ægrotans putabat se audire tibicines incessanter canentes in angulis domus. In cæteris benè discurrebat, & recordabatur: & cum sanatus esset, quidquid dixisset ipse, & adstantes, de tibicinibus, & aliis rebus, recordabatur. Ergo in isto sola imaginatio læsa erat, discursu memoriáque integris. Idem probat de se, cum velleret floccos, quos se videre putabat, & fallebatur imaginatio: dixit autem integro discursu adstantibus de hoc loquentibus, vt sibi subuenirent, ne phrenitide corriperetur. Præterea Romæ (ait) phreniticus vasa singula vitrea de fenestra proiecit, plaudentibus prætereuntibus; & interrogatis ab eo, num iuberent hoc, & illud post vasa proiici: & tandem, Vultis ne puerum proiiciam? quibus iubentibus, etiam proiecit. Constat autem in hoc solam rationem læsam fuisse, cum memoria vasorum, & nominum imaginatio, & quid vellent notitia, integrè starent. Item in lethargo ratio, & memoria aboletur. In peste Atheniensi omnes cognoscitiui partes, testibus Thucydide, & Galeno, & Lucretio,

Triplex cognoscitiui læsio, ex Galeno.

Probatio.

solam memoriam in senibus etiam ruere sæpe videmus vel ex parte.

Causa læsionis memoriæ ex Medicis frigus.

Cōtradictio.

2 Memoriam à frigore aboleri autumant, sumpto argumento ab eo, quod in morbis lethargicis, & soporiferis semper memoria læditur, aut perditur: & cum Galenus interdum ab humido lædi, & siccitate seruari doceat: nihilominus frigore, vel humido, vel sicco lædi ipse, & sequaces docent, in tractatu de memoria abolita curanda. Verum cum scribunt de phrenitide, secum pugnant, docentes à biliosa inflammatione memoriam sic lędi, vt nec matulam, dum mingunt, se in manu tenere recordentur patientes æstum nimium. Vbi verò de mania loquuntur, quæ magnus effrenisque furor est: ducunt eam à sanguinis copia oriri cum Aëtio: & furentioribus addunt bilem assatam; nec indicant quid in his lædatur: cum tamen omnes, vel quasdam operationes constet lædi easdem. Deinde aliam speciem delirij sine febre faciunt ab humore melancholico, triplicem, vel à toto sanguine atra bile infecto: vel ab eo tantum, qui in capite: vel cum hypochondria submittunt flatum dirum in caput, ad delirium trahentem. Horum autem communem esse tristitiam, metum, auersionem hominum perseuerantes: horumque varias esse imaginationes ita, vt alij putent se esse gallos, & cantent cum gallis, brachia quasi alas vibrando: alij vrnas: alij se mortuos: alij diuinos: alij plorent semper: alij rideant: alij imaginentur se lupos esse, & in sepulchris, & immundis locis conuersentur: alij dæmoniaci appareant; alij cum Luna mutentur. Quomodo autem ista fiunt, nesciunt, quoniam primalitatum doctrinam ignorant.

Triplex delirium melanch. Medicis.

Opinio Peripat. de deliri. Siby. & Prophet.

3 Multi ad Aristotel. recurrunt, qui *in Problem. section.* 30. persimile esse in atra bile naturaliter, atque in vinolentia accidentaliter; quemadmodum enim qui inebriantur alij rident, alij lacrymantur, alij pangunt carmina, alij diuinant, alij amant, alij vomunt, & sordescunt: alij fiunt eloquentes, alij balbutiunt, & obmutescunt: sic esse, ait, in habitu atrabilioso. Quibus enim frigidior est bilis, ij torpidi, & sordidi: quibus mediocriter incalescens, hi sapientes, qualis Socrates, Callimachus, Hercules, qui omnes morbo comitiali ex atrabile laborarunt, Poëtæ, Philosophi. Quibus autem multa inest & calida hi amatores, & alij vates periti, ad omnem motum prompti, & sic fiunt Sibyllæ, & Prophetæ, qui diuinitus inspirari videntur: quod

quod tamen est falsum : quia naturali accidit intemperie. Hinc Auicen. & Pomponat. & alij, Prophetas fieri ex atra bile calida putarunt, non à Deo. Vnde flatus antri Colophonij, & Deli prophetiam inspirabat, quod Plutarchus rectius interpretatur dispositiuè.

4 Ficinus autem videns atram bilem ad hæc munia ineptam, scribit ex octo partibus sanguinis, duabus bilis atræ, & duabus flauæ bilis, fieri spiritus firmos ad memoriam, celeres ad discurrendum, & imaginandum; subtiles ad sentiendum: ex sanguine solo fieri hilares & fatuos: ex bile flaua furiosos: ex atra stupidos, stultosque. Hic supra cæteros melius philosophatur. *Opinio Ficini.*

5 Aristoteles quidem insipientissimè loquitur: Neque enim atra bilis stupida res, carens sensu, & ratione in suo dogmate, carmina pangere, & prophetare, & amare dabit. Neque vinum. Quomodo enim Isaias per atram bilem nomen Cyri ante 70. annos ab eius natiuitate præsciuisset: & Christus ruinam Ierusalem, & Euangelij victoriam, & signa in Sole & Luna, & stellis iam præsentia, & quæ discipulis, & sibi euenerunt? Neque Aristoteles aliquid probat, sed per vnum exemplum obscurius declarat obscurum, & contrarium. Atra enim bilis nigra fæx mœstaque, vino hilari generosóque liquori, & non fæci, assimilari in re tanta non potest. Secundò declarandum erat, quomodo vinum hoc faciat, præsciat, & doceat, vt ex inde de atra bile idem probet: quæ in suo dogmate declarari nulla possunt via: immò neque quomodo hilaritatem faciat, cum stupidum sit, neque animæ compar. Ficinus rectè spiritui ista omnia tribuit, non autem composito ex bili vtraque, vt sic, sed quatenus ex primalitatibus constat, quibus menti copulatur, & seruit. Immò quo minus ex atra fuligine constat, eo clarior, & superioribus mentibus accommodatior; neque res est, quæ constet ex sanguine, & bili vtraque, cum sit tenuior illis, & melior, compositionem corporum non admittens. Si qua enim tenuitas ex bile educitur, illa non est eius pars, nisi sit vapor, & fumus eius: spiritus enim superioris est, & tenuioris conditionis: à fumis autem bilis læditur, mordicatur, & furit: ab atra terretur, & obscuratur. De his alibi prolixius. *Confutatio Arist. 1.* *Examen Ficini.*

6 Galenus autem, & sequaces cæcam hic tradunt physiologiam: neque enim quomodo atra bilis tot imaginationes varias inducere queat; neque quomodo stupida cerebri temperies

imaginari, discurrere, & recordari valeat, cum hæ sint tenuissimæ, & velocissimæ rei actus, non autem crassæ, non se mouentis, nec ad obiecta diffundentis, prout spiritus facit etiam Galeno; cui ex oculis ad alterandum aërem, & videndum, etiam egreditur.

Falsitas cellarum Auic & aliorum. Cellæ quoque illæ fictitiæ sunt. In anteriori enim parte adsunt duæ duobus oculis, & duabus naribus, & duabus auribus respondentes, eidem vsui dedicatæ, scilicet spatianti, & mouenti se spiritui ad notitias. Sicut nec oculus alter alteri dedicatur officio, quam suus compar. In medio nulla est cella discursus, sed fit in anterioribus. In posteriori parte est quasi cubiculum: vbi potius contemplari, & se ab exterioribus fastidiis retrahere habet spiritus: non autem ibi memoria, cum vbicunque spiritus, ibi memoria. Cella inferior ergo porum spinæ manifestè dicata refectioni videtur in retiformis mensa, sicuti in Phys. probauimus. Præterea idem spiritus, seu anima, cogitat, sentit, memoratur. Si autem essent diuersæ cellæ, tuc non posset memorata imaginari, nec imaginata memorari; sicut oculus non potest audire, nec auditus videre, quoniam diuersis actibus dicati sunt. At spiritus, qui videt in oculo, idem in substantia audit in auribus; alioquin non conferret visa auditis, & essent sicut ego, & tu. Ergo idem memoratur, & cogitat, & imaginatur in quacunque: non enim cellarum est actus cognitio, sed habitatoris: neque oculi est videre, neque fenestræ, sed spiritus in oculo habitantis, quo abeunte in somno, & deliquiis, non videt oculus. Nonne etiam, & Galeno teste, accurrente spiritu ad vterum strangulatione affectum, remanet cerebrum sine motu, sine sensu, sine memoria, sine imaginatione? Ergo spiritus, & non cerebri isti sunt actus.

Propria sententia de læsionibus spiritualibus, & deliriis à subiectis rebus.

1 PORrò sciendum plures esse actus cognoscitiui, vnam tamen cognoscentem substantiam animalem, subditam menti, eique obiecta subministrantem sensilia. Sentire autem esse præsentis obiecti perceptionem: memoriam sensum anticipatum: fidem consensum, seu sentire per alium: imaginationem esse idoli, non rei sensum, sed rem repræsentantis:

ratio-

rationem sentire in alio:id est,in noto ignotum: & discurrere ex illo in hoc:intellectum penetrationem,& iaculum vsque ad rem, quæ non sentitur:iudicium omnium notitiarum decretum. Cum ergo sentimus, aut sentire aliquid putamus, necessariò vel rem, vel idolum rem illatam repræsentans sentimus. Nihilum enim non potest mouere sensum, neque rationem,neque intellectum. Quando ergo Theophilus apud Galenum cantores se audire, ac videre putabat,necessariò extra se aliquid videbat,vel in cerebro sonus aliquis erat, ex quo speciem cantorum imaginabatur: neque imaginatio fallebat, sed fides, vel credulitas.Non enim quia imaginor Centaurum,aut hircoceruum,imaginatio fallitur:verè enim idolum. Centauri in se fabricat; sed fallitur fides, vel iudicium, si credit ita esse in re, sicut imaginatur anima. Sicut cum dormimus videmus in somno plurima, nec imaginatio fallitur: nam vere videt,veréque imaginatur:sed fides, & iudicium asserens eas res imaginatas esse tunc extra cerebrum.Nec mens huic errori subuenit, quoniam operam dat spiritui se reficienti,& ista simul somnianti:Non enim disiuncta est, sed informat. Sicut nec sensus,cum videt remum in aqua fractum,fallitur,aut delirat;sed iudicium, si putat sic esse, decernítque: nec cum omnia pallida per ocularia crocea videt, fallitur: verè enim videntur crocea propter medium: sed fallitur iudicium, si extra se esse putat. Quoniam autem imaginatio non sponte sua, sed ita mouentibus vaporibus intra cerebrum format species falsas, dicitur decipi, quoniam quæ non sunt repræsentant: & ipsa falsum offert iudicio:sed re vera non decipitur:deceptio enim est solius iudicij. Et hoc in Theophilo fallebatur, credente foris quod erat intus. Oculus videns foris cantores, etiam non fallebatur, quoniam intra spiritum oculi erant idola, & referebant foris: sicut & in somniis, & visionibus etiam externis accidit.

Respons. ad arg. Gal.

2 Iudicium autem fallitur vel ex imperitia, quia alias, & per alios sensus aliquid non est expertus, vt quando prima vice videt remum in aqua quasi fractum, putat esse fractum ob imperitiam, seu inexperientiam:vel ex inaduertentia,vt cum scio statuam esse ligneam, cum tamen primo occurrit, & non aduerto, videor videre hominem viuum, & iudico viuum: & sic fallimur in somno; quia anima non potest aduertere tunc esse tempus somni & visiones imaginum, non rerum. Inaduertentiá.

Non sensus, nec imaginatio, sed iudicium fallitur, vel ex imperitia, vel inaduertentia.

tia autem fit impedito discursu, vel non exercito; & sic quicunque delirant, & credunt se videre quæ non sunt: & se esse Reges, & canes, & lupos: in his vera est apparentia, sed non vera existentia. Vidi ego iuuenem calore æstiuo tabescentem, qui aspiciens pepones putridos, imaginatus est se similiter putrescere, & propterea sudare; & statim credidit se esse peponem tabidum; & ita asserebat. Erat pulcher aspectu: habitu tamen atrabilioso, in cuius spiritu fuligines volitantes, simul ac putauit se peponem, impedierunt aduertentiam, & discursum: passioque non cessans, fecit perseuerare in sententia, quod esset pepo: & quanto magis hoc cogitabat, tanto magis specie peponis afficiebatur: & talē sese credidit per aliquot dies, donec calor aëris cessauit. Non ergo melancholicus humor præstat fallaciam imaginanti; sed occasionem imaginādi, & non aduertendi impeditionem. Similiter qui putant se esse gallos, & venas, & res alias, falluntur iudicio, & credulitate: quidquid enim illis primò occurrit cum sunt in passione aliqua, in eo figunt credulitatem. Putauit ergo cantores se audire & videre, quoniam sonum in cerebro habebat Theophilus; & ille Argiuus Horatianus; *qui se credebat miros audire Tragædos.*

Melanch. humor non causa, sed occasio interdu.

Qui autem ægrotant sicut qui dormiunt, facilius decipiuntur, cum tanta est passio morbi, vt non sinat eos animaduertere, an quæ imaginantur, & putant se videre & audire, vera sint: præsertim phrenitici, & cerebro affecti. Vnde qui vasa, & puerum proiecit è fenestra, credebat se benefacturum, si illis obediret, qui proiici iubebant: nec præ passione poterat considerare proprium delirium, & mala, quæ actui inerant suo.

3 Quod autem omnis passio ingens iudicium tollat, febricitantes ostendunt, qui in feruore, augmentóque paroxysmi delirant: eóque transacto, sedantur, nec credunt visis, vt ante. Studio etiā multo dediti non aduertunt etiam cum vocantur, & res alias necessarias negligunt. Propterea in somniferis passionibus discursus, & memoria læditur: quoniam passio illa magna sopit priores passiones, & memorias earum, sicut magnus superueniens motus in aëre, minores: nec sinit alijs motibus discurrere amplius, donec maior ille cesset.

4 Quando autem memoria totaliter perditur, vt nec post morbum præteritorum recordentur, passio fuit valde ingens, vt pestis Attica, quæ dum spiritus exhalat, non permittit renascentibus

tibus spiritibus aliam passionem & scientiam communicari, vt dictum est sæpè.

Quapropter memoria, & discursus, & sensus impediuntur à quacunque magna attentione,& passione magna: non tamen tolluntur nisi per mortem: memoria verò totaliter sola, quando totus exhalauit spiritus nil communicans successori, nisi præsentem, magnamque passionem.

Frustra ergo ad frigus confugiunt, aliasque qualitates: omnis enim passio magna ista facit & etiam in sobriis: & ego enim contemplando oblitus sum matulæ quam manu tenebam, & minxi foras.

Nihil autem facilius, quam impedire iudicium, vt patet. Sensus enim & imaginatio semper insunt: est enim imaginatio sensus absque præsenti obiecto.

Causæ singulorum deliriorum, & passionum à bile atra, & vino, & calore, & aliis accidentibus.

OMnes quidem humores apti sunt, dum morbos faciunt, etiam spiritui in cognoscitiuo incommodare; sed atra bilis etiam sine morbo, citra febrem: quoniam sua caligine obscurat spiritum, & interuolante fuligine eius discursiuos motus impedit. Nam spiritus melancholicorum tenuissimi sunt: sicuti fumus ex lignis benè combustis est tenuissimus: qui autem ex viridibus, crassus: ex semicombustis, tenuis: ex adustis, tenuissimus: proptereáque aptus est passionibus à quacunque parua re: ergo & scientiis occultis: idcircóque auersantur consortia, quoniam præ sui tenuitate ab omnibus læduntur. Si autem accesserit impuritas fuliginum,& tetri humores ex adustis sanguinibus, necessario insaniũt. Vidẽt imagines diras,& quidquid imaginãtur credunt esse verũ: non enim possunt discernere præ fuligine. Sensitiui sunt, atque sagaces, memoriaque labiles; quoniã tenuis spiritus subito, continuóque volat, nec venienti satis communicat. Prophetizant, quoniam passiones futurarum rerum præhabent in causis, & præparationibus aëris cælestibus, & terrestribus: in eis præuident absentia futuraque, sicuti aues ex aëris passione pluuiam. Sunt & apti ad supranaturalem prophetiam, licet Deus absque naturali aptitudine possit illam dare. Qui autem plurima crassaque bile atra donati sunt: hi sordidi sunt, stupidi, amant sepulchra, plorant, appetunt mortem: spiritus enim mutatur.

Ratio cur melancholici talia patiantur varia, qualia narrat Aris.

mutatur in tetrum,& consimilia cupit: sicuti qui patitur cittam. Philosophiæ & poëticæ apti sunt; quibus purior spiritus, tenuisque,& modica fuligo, vel nulla, in spiritum irruit.

2 Ergo Aristoteles ignorans spiritus naturam, tribuit vino, & atræ bili; quæ spiritus tenuitati,puritati;crassitiei,& impuritati,& mistis eius qualitatibus tribuenda erant. Vinum modicum exhilarat,quoniam multiplicat,calefacit, attenuatque spiritum: acutum reddit ad sermones,& poëmata,ad motiones videlicet concinnas afficiens. Vinum multum obnubilat, sopit, ad ploratus ex fumo concreto factos ciet, & pro qualitate spirituum alios affectus inducit.Non sic autem atra bilis,quæ non est, nisi signum,& fæx,spiritus tenuitatis.Scientiæ non confert,nisi quia nigrore suo terrefacit, & reuocat spiritum intrò, & vnit ad contemplationem. Deliria tamen facit, cognoscitiuum impediendo, fœdando, obscurando, & terrendo ita, vt dæmones,& serpentes se videre credant. Diabolus quoque hoc ad vexandos homines vtitur humore,vt & lunationibus,vti docet D. Thomas.

3 Sunt qui hyeme sobrij,in æstate insaniunt; quando fuligo à calore multa fit,& simul flaua bilis mordicans spiritus,sicut in febricitantibus,augetur:spiritus quoque attenuatur,& fit aptior ad passiones eiusmodi.

Conclusio preambula ad rationem deliriorum.

4 Quoniam ergo eadem deliria accidunt sanis, & ægrotis, excepta totius memoriæ obliuione: quæ tamen etiam quibusdam senio confectis multo,accidit: quando totus spiritus immutatus est; & exilis modicus, qui remansit à senili affectu obrutus, omnium præteritorum notiones & passiones, notasque dimiserat: facile erit intelligere causas deliriorum per consimilitudinem, atque mederi. Præterea quoniam eædem passiones accidentales, quæ delirantibus sunt perennes, vel per tempus aliquod insunt quibusdam naturales, quoniam præditi spiritu tenui valdè sunt, labiles memoria, & sagaces in sentiendo, & argumentando statim: non autem valet ratiocinatio eorum prolixa: quoniam antequam finiant discursum longum, à fuligine turbantur,vel exhalante spiritu tenuissimo deficit,& degenerat: vnde eorum subita consilia valent, non quæ excogitantur diu, nec studia.Qui autem crasso sunt spiritu,stupidi sunt ad sentiendum,& imaginandum ob crassitiem, & impassibilitatem spiritus: retinent tamen memoria quæ didicere magnæ passionis tantum obiecta diu:& ad discursus sunt inepti,& ad inuētiones,imaginationesque

Spiritus tenues.

Crassi.

tionésque inualidi,& simul plura discernere impotentes. Qui autem mediocriter tenui, lucido, & puro prædit sunt spiritu: hi egregij ad omnes scientias & virtutes, iudicio non falso ab apparentibus, nec memoria labente, nisi sopiri nata in diris passionibus,& magnis attentionibus. Omnis autem generis spiritus apti sunt magna superueniente passione, & obliuisci, & vitiari iudicio, & imaginatione, ab imaginatis non discernere; vt etiam in somno. Consequens est, vt hic deliria intelligamus: quæ nihil aliud sunt, quàm affectus ingentes accidentales. *Mediocre.* *Quid delirii.*

Medela furiæ irascibilis.

IRa enim breue delirium est à causa occasionem habens infestantem, & cogentem: ergo qui delirant irascentes valdè, in alios irruentes: horum spiritus bile flaua,& acribus vaporibus, aut ingenti calore mordicatur: & quod interius patiuntur ab humoribus & vaporibus, iudicant ab exterioribus obiectis, & inimicis pati. Quapropter hoc sit primum delirium irascibile. *Delirii ira.*

In hoc prius sanguinem extrahes, si habitus corporis permittit, vt bilis,& calor cesset ex parte. Qui enim inedia macerati, & sicci sunt, sola venæ apertione tentandi erunt. In cæteris missione multa, vel repetita, est opus. Deinde caput rades,& rosaceo oleo, & aceto inunges, aliisque frigidis multum, vel parum, pro passionis ratione: dabis & soporiferum pharmacum; quoniam vigilia nimis spiritum attenuat, & acuit bilem, & fuligines acres creat, vnde ferociores fiunt vigilantium furores. Diacodion cum succo ptisanæ laudatur: quod perendie repetes, prout videbitur proficere. Dant alij oleum violarum cum lacte muliebri. Embrocatio prodest ex foliis salicis, lactucæ, papaueris, rosarum &c. Clysteribus vtere,& si non purgati fuerint pharmaco choleram purgante, vt in libro quinto. Et prout maior, vel minor ferocitas, & ira; maiora aut minora erunt pharmaca iam dicta: nam ex solo sanguine furentes plerumque rident. His sufficit venæ sectio, & refrigeratio capitis. Cibus humidus, boni succi, & aqua cui rosacea sit mista, vel juleb, &c. Sin verò plus effrænentur, adest bilis; contra quam vt suprà. Si maximè irascuntur: assatur bilis, & fuligo acris adest: idcirco remedia sunt eiusdem generis; sed potiora. Nec dulcia balnea obliuisceris. *Curatio.*

Medela insaniæ torpidæ.

Delirium torpens. 1 ALia insania est acediosa, pigra, cum stupidi sunt & obliuiosi, & quasi somniantes vigilant, & sordibus delectãtur. Horum medela est purgatio per pharmacum detrahens crassos humores, vnctio cum oleis calidis: aër calidus, & siccus. Similiter cibus ex assatis columbis. Potus ex vino tenui, non vaporoso, & aqua cynamomi. Oleum rutaceum, castoreum, piper, baccæ lauri, & huiusmodi caput cingant. Masticatoriis, sternutatoriis, &c. caput purgetur.

Frigus non lædit memoriam. 2 Solet post soporiferos morbos memoria lædi: idcirco Medici putant à frigore, quod tamen sola passio fecit in spiritu adhuc remanens: frigus verò adest resoluto calore: propterea calidis iuuantur: videmus tamen spirante borea, memoriam roborari, lædi austris. Ergo non frigus est causa, sed consequens signum in prædictis: vnde corroborato corpore, instauratisque viribus, memoria instauratur: etenim, & peruigiles, & soporosi, & calefacti, & frigefacti, memoria læduntur: tu causam passionis amoueto.

3 Cum quis repente memoriam perdit, signum dicunt apoplexiæ; nos dicimus cuiuscunque magni morbi, ad cuius causas arcendas spiritus reuocatus, omnes curas, & præteritas memorias amittit, vel intermittit.

Medela insaniæ tristis, seu ab atra bile.

Atrabiliosi ex toto temperamento qui. 1 DElirium ab atra bile, quod & tristitiæ dici potest: est enim tristitia diuturna ex fuligine, & nigrore intus effecta, quæ iudicium impediunt, & quamcunque imaginationem falsam admittunt: pro copia, & robore atræ bilis curandum. Alij enim toto temperamento attrabilioso apparent, videlicet graciles, subnigri, adusti, hirsuti: & cute & pilis secundum naturam: & hi timidi, superstitiosi, sordidi: eiusmodi deliriis, & incantationibus fœdari sæpè solent. *Qui ex accidenti.* Alij ex accidenti fiunt atrabiliosi, ob inedias, vigilias, anxietates, cibos melancholicos: ob hæmorhoïdum, menstruorum cessationem, amatissimarum rerum amissionem, & qui ex amore insaniunt, aut alio quocunque magno fraudati desiderio. Ex studio litterarum non raro: quod spiritus vnit, calefacit vnione, exacuitque attenuatione; cruditates vnde sequuntur, & vapores infestantes spiritum, iudiciumque alia passione detentum iterum impedientes. Omnia tamen reducuntur

cuntur ad nimiam passionem, vel ab obiectis, vel à subiectis: quam vapor, aut humor superueniens, præpeditumque in illa iudicium iterum lædens, quascunque imaginationes, vt admittat, retineatque, est in causa. Propterea etiam Medicis ex hypochondriis vitium delirij deriuatur. Cum enim cruditates factæ fuerint ex negligentia occupati spiritus, aut alia ex impotentia, vel ingurgitatione: necessariò ructus, ardor, flatus plurimi succedunt: & inflammatio, & conuulsio hypochondriorum, & eleuatio vaporum huiusmodi in caput, & vertigines, & saltus, & puncturæ flatus in toto corpore, & ventres sicci ex accensione caloris in putrefactis cruditatibus.

2 In his cunctis inspice causas. Si enim suppressio menstruorum, aut hæmorrhoïdum præcessit, adhibe pharmaca vuluæ, & ano educentia, de quibus suo loco. Propinabis quæ animum lætificant, & fuligines atras discutiunt, & sanguinem purificant in pharmaco, cibo, & potu: & quæ spiritus lucidos, & plures generant. *Cura ex causis auspicanda, & primò ex suppressione menstruorum & hæmorrh.*

3 Si causa est ab hypochondriis: purgabis clysteribus aluum; & pharmaco cruditates corruptas purgabis vomitorio, ex raphano, & aliis. Et in grauiore, & longiore ex helleboro albo, & raphano simul in infusione positis: deinde helleboro dempto virtute eius relicta. Decoctio pulegij nunquam deficiat in potu ante, & post pharmacum: & in comestione, quæ ex pullis erit, aromatibus impositis. Absinthij decoctio iuuat mirifice stomachum, & contra putridas cruditates, & vrinæ ciendæ. Cataplasma ex pulegio, calidisque, tenuibúsque prodest hypochondriis valdè: & ex anetho, absinthio, origano, serpillo, lauro, &c. aniso, apio, cumino: quæ flatibus discutiendis etiam in cibo adhiberi possunt: multa enim est fœniculi, anisorum, cumini, anethi, &c. vis contra flatus ventriculi, &c. *Cura delirij ex hypochon.*

4 Delirium ex temperamento toto atrabilioso accidentali sedatur si causæ auferantur: cessent studia, anxietates, expleantur desideria, vel officiosis simulationibus, vt dictum est in cap. 1. Cætera curabis, vt in atrabilariis. *Cura delirij ex toto temperamento accidentali.*

5 In quibus si caput solum, nec multum infectum est, non secabis venam: si totus sanguis, secabis larga sectione. Deinde humores præparabis decoctionibus fumariæ, scolopendriæ, passularum, tamaricis, radicis capparis, petroselini, glycyrrhizæ,

thymi,epithymi, & huiusmodi, secundum artem; vel horis matutinis accipiendo vncias quatuor, vel carnes talium brodiis, simul elixando. Prodest endiuia, cichorea, borrago, lactuca, buglossa,melissa,&c.

Pharmacum purgans esto antidotum hamech, diasenna, catapotia inda, lapis armenus, & alia, quæ contra bilem atram per attractionem valere in quinto lib. scripsimus. Fiunt etiam decoctiones myrobal. embl. chebul. folliculorum sennæ, polypodij: oxyphœn. prun:damasc.ad purgandam bilem atram. Item dilutum epithymi,dilutum diasennæ in sero caprino: ipsum quoque serum quotidie sumptum.Idem decoctum cichoreæ,&c. Addũtur pro tempore clysteres ex simplicibus bilem nigram purgantibus. Adde balnea dulcia purgatis: valde enim iuuant, & capiti embroc.ex althæa,viol.nymphεæ flor. sem.lact.& endiu.& similibus.Item olea chamomil. viol.rosac. &c. Prodest singulis septimanis,dragma vna de pulueribus epithym. lap. arm. agar. scam. præparat.caryophyl.&c. prout videbitur. Viuant in aëre sereno, aperto, in hortis viridibus atque florentibus. Adsit Musica,res lætæ,ludi nullius attentionis,& omnia venerea,& iouialia. Prodest coitus modicus, &c. Saturnina purgant. Iouialia restaurant secundum artem. Cibus sint carnes caponum,gallinarum, vitulorum,& animalium venereorum, & iouialium iuuenum, iuscula pinguia,pisces saxatiles:condimenta ex butyro, & melle flauo,& modicis aromatis, ne assatio fuliginem faciat. Panis albissimus non adustus. Lac cum vino prodest:omniáque alba, dulcia, mollia,contraria atræ bili amaræ siccæque. Vinum album generosum aqua mistum, ex tophis,vel argilla manante. Qui autem in lycanthropiam,& pessimos habitus transierunt, fiunt ludus dæmonum: hos religione munies contra dæmones, & simul fiduci m salutis præstabis in imaginatione: Deinde remediis prædictis vteris in cibo: vix alia via sumunt. Pharmaca erunt fortia exhibenda,& res,quæ spiritus lucidos pariunt. In his enim fœdata est lux valde. Conaberis temperamentum mutare sudatoriis, & syrupis depellentibus per sudorem fuligines,& pharmacis per aluum attrahentibus,&c.vt in c.21.

Externi habitus melanchol.

Medela

Medela contra phrenitica deliria.

1 PHreniticum delirium ex subiectis humoribus, & organis occasionem trahit: fit enim inflammato cerebro, eiusque membranis. Vnde spiritus inhabitans attenuatur, & mordicatur, & vndique abigitur, nec quò se vertat habet, vndique ignem timens: sicuti homo, cuius domus vndique ardet. Hinc sequuntur apparitiones falsæ, quibus iudicium reluctari nescit: & præ passione memoria, & ratio impediuntur, & omnis notio. Accidit somnus difficilis, vigiliæ diræ. Si dormire incipiunt, mordicato spiritu surgunt, turbati exiliunt, vociferantur, loquuntur absque sensu verborum, & ordine: interrogatique varia respondent temerè absque certitudine: antequam enim forment vocem exprimentem conceptum, alij conceptus ex aliis passionibus continuis in spiritu formantur, & aliæ, vt nullas perficere, neque declarare, neque considerare queant. Sicut puer verberatus dum vult respondere, aliis verberibus ad alia verba, & lacrymas fertur: propterea etiam lacrymantur, aut arescunt oculi siccato iam humore; süntque cruenti, squallidique: aret lingua: sanguis è naribus stillat: pulsus parui, languidi, duri, ob causas in quarto lib. spiratio rara.

Quibus ex causis phren. delir.

Symptomata.

Causam statuunt Medici abundantiam sanguinis, vbi risus adest, sed hoc phrenitis non admittit; addunt bilem simplicem, si delirium mite; assatam, si effrænatum, vt non nisi vinculis retineantur. Ast hoc non accidit, nisi spiritibus multis vigentibus, quibus labore, & vigilia diminutis: mitiores sunt motus effrænati, sed non deliria. At quidem plurimos videmus cerebro calefactos causis externis non delirare: aliis humoribus plenos non febricitare. Ergo nisi vapores acres, & humores fluctuantes adsint, delirium tale non fit, nec febris, nisi putrescant in parte: cum enim totum corpus occupatur, non est vbi bellum incatur, sicuti alibi dictum est. Propterea absque purgante pharmaco vix vltra tres dies protenditur passio ingens hæc, vaporibus diris quippe excussis, finitisque.

Causa huius delirij ex Medicis.

Correctio.

2 Secabis venam primò cephalicam, si per ætatem, & temperamentum licet: vel cucurbitulas collo, & spinæ cum scarificatione adhibebis. Iuuant in ano hirudines. Adde clysteres magistrales diuersiuos ex fol. maluæ, viol. cichor. hord. decoct. sem. cucurbit. pepon. cucumer. decoctione; cui infunde medullam

Cura.

cassiæ recent. oleum viol. sal. secundum artem: purgabit magis addita hiera picra. Capiti nec frigida nimis applicabis, ne obstruatur exhalationi nocenti exitus; nec calida, ne crescat inflammatio. Conferunt quæ substantiæ sunt frigidæ calefacta modicum, vt oleum rosaceum cum aceto, & succus frigidorum tepefactus, &c. Adiunge soporifera vnguenta, & embrocat. non dormientibus: valde enim prosunt, & post tertium diem, quæ morbi reliquias excutiant, vt embrocatio de florib. viol. rosar. rub. nymph. papauer. adiecto oleo chamæmel. alth. melis. aneth. &c. capiti applicato, vel catulum, vel gallinam per medium scissam, vt calorem, & morbi reliquias ad se trahant calore, & humectent sanguine caput. Balnea dulcia mirum in modum prosunt: caput tamen non lauabis. Vigiliæ, & res iram mouentes arceantur: adsint amatissimi amici, iucunda loquentes, & admonentes. Teneatur, aut ligetur delirans, ne motibus turbatis minuat spiritum, aut occidat quempiam, vt nuper accidit Cioccio del Tupho. Potus vini obest, antequam cœperit mitescere, quando & dilutum album dabitur: prius autem syrup. viol. & nymph. & aqua hord. vel &c. erunt potus. Cibus verò mica panis in mulso, cremor ptisanæ, olera refrigerantia, & lætificantia, vt buglossa, endiuia, cucurbita, malua, pisces saxatiles: postea carnes modicæ, & elixæ in olerum iusculo.

De medendis morbis potestatiui in spiritu à subiectis humoribus, nec sine instrumentorum consensu aliquando.

Capvt III. Pars III. Artic. I.

1 Afficitur spiritus potestatiui, & in capite habitantis, & in toto corpore, multipliciter ab humoribus subiectis, tam in viuendi, quam operandi potestate: & pro modo, & loco, & causá affectionis varij morbi generantur.

10. læsiones potestatiui spiritus in capite ab humoribus.

Quorum primus est lassitudo; quando omnes vires languent, & vix vectare corpus possunt. Secundus, incubus, cum in somno grauantur humoribus quasi ad strangulationem. Tertius, syncope, quæ præceps virium lapsus est. Quartus propriè in capite spiritu oppresso fiunt; lethargus, caros, catalepsis, coma, apoplexia, epilepsia; quæ vires, & motum tollunt, & consequenter sensum. At si humor ex capite destillat ad

In aliis membris.

lat ad inferiora, extrinſecus impedit ſolas vires operatiuas: fit enim conuulſio in neruis, paralyſis in membris, in iuncturis arthritis. In certis iuncturis chiragra, iſchias, gonagra, podagra: de quibus ſingillatim ſermo medicatiuus ſubſequitur.

Medicatio laſſitudinis poteſtatiui.

ARTIC. II. PARS III.

1 SPontaneam virium laſſitudinem non ex labore, aut vigilia, aut aliquo voluntario exercitio, ſed ſponte, curabit phlebotomia, & corporis per diætam extenuatio. Fit enim ex humorum abundantia vbique comprimentium diffuſum per corpus ſpiritum. Adde ſudores, exercitia, balnea, quorum intermiſſio eandem ſcilicet laſſitudinem facit: & vnctionem, iuxta Maurorum non ineptam medicinam; ſed in frigidis regionibus ſi vrget periculum, ad purgatiuum etiam pharmacum recurre.

Medicatio incubi.

ARTIC. II. PARS II.

1 EX crapula, & continua ventris cruditate, oriri ſolent vapores craſsi, frigidi: qui cerebri ſpiritum affligunt, meatus obſtruendo, ne ad motum, & corporis regimen, & ſenſificationem effundi queat. Vnde ſequitur difficultas, ſuffocationis, & mortis imago, & quaſi ab aliquo ſe premi ſuffocarique putat. Tollitur vox, & inarticulatè profertur, & grauamen ſentitur. Mox poſt anxietatem ſpiritus vincit, ſeſe effundit, & per meatus rediens ad vigiliam reſtituitur. Mulieres putant ſe à dæmone incubo premi. Aſſerunt multi docti; negant Medici; ſed principium eſſe apoplexiæ dicunt, niſi humores iſti attenuentur, & expurgentur. Ideò phlebotomiam ſuadent, & purgationem, ſi cacochymia adſit, pharmacis reſpondentibus humorum qualitati. Victu, potúque tenuibus vtendum, ſpiritus copiam, & vires augentibus, nullos flatus, nulláſque cruditates inducentibus. Sed profectò diabolos ita illudere hominibus, ego non ſemel ſum expertus. Omitto hiſtoriam ſancti Romoaldi, & aliorum, qui grauedinem ab eo paſſi ſunt ſæpè; quam ſola religio abſque pharmaco ſæpè fugauit. Immo aduenientem vmbram ipſe vidi, non inani imaginatione deceptus, vel re; & aggredien-

Cauſa, & ſigna incubi.

De dæmonoplexia.

gredientem, & ad crucis, & ad Iesu nomen fugientem: nec supinus modò, & dormiens, sed in latere, & vigilans. Quidam etiam sanguinem in cor redundantem facere hanc illusionem putant: sed inaniter. Aliquando enim in pectore, & aliquando in corporis medietate quasi amplectens; aliquando aliquod membrum tenens; aliquando partem tergoris: immo & loqui dum vigilans homo orat, audit dæmones illudentes. Istæ non sunt credularum vetularum imagines: sed longo tempore reluctantium philosophorum experientiæ. Morbum hunc diuinum diceret Hippocrates; & sola religione curat Paracelsus. Ast si humores instrumenta dæmonum, etiam pharmaco purgandum.

De syncope multigena, eiúsque medela.

ARTIC. III. PARS III.

Quadruplex causa syncopes. 1 IN syncope vires deficiunt, vel nimia spiritus diminutione, vel compressione, vel suffocatione, vel disiectione formaliter, prout occasiones, vel causæ agentes ferunt.

Quatuor particulares causæ syncopes ex diminutione. Qui fit. 2 Alij enim post sanguinis immodicas effusiones, vel alui inanitiones, vel sudores multos, vel exercitium ingens, statim animo linquuntur: quoniam spiritus simul exinanitur, & diminuitur apertis viis, & quæ modica eius pars remanet, intrò aufugit, quasi totalem ruinam auersans, aut aliquo vapore infestata illi par non est: proptereáque extrema frigent, corpus totum resoluitur, nitor cutis perditur, pulsus succedit obscurus, languens, *Signa.* rarus, & cum ad deficientiam non reciprocantem redit, mors adest, quam tamen ex sola minutione non fieri puto; nisi & pars remanens item infestetur. Manifestum est autem, quod humor vnit spiritum cum corpore, & poros claudit, ne totus elabatur. His ergo apertis, & deficientibus humoribus, est necesse spiritum à corpore separari: vel minutum, nec refectum quacunque causa debellari. Vigilia quoque, & attentio multa spiritus vnit, exacuit, & resoluit suo calore, refectioni non dat tempus, neque expulsioni fuliginum, ideóque tandem deficit corpus, sustinere non potens modicus, & à fuligine infestatus cedit.

Syncope ex compressione. 2 Compressione perit spiritus, vbi ingens terror, & metus spiritum inuadit: statim enim fugit intrò, & vnitus valdè quasi suffocatur, & minuitur; sique nimia est compressio, moritur: si modica, statim reuocatur, vt accidit multis in phlebotomia: quorum

spiritus

ſpiritus ſanguinem fundi, ſuam ſcilicet ſubſtantiam, videns, ſibi timens intrò fertur, ſoláque compreſſione eneruatur. At ſi modica eſt effuſio, etiam diminutione. Præterea dolores ingentes ab obiectis, & ſubiectis rebus, ſtatim ſyncopem efficiunt. Spiritus enim ad loca doloris confluens, comprimitur, vt patet in vteri ſtrangulatione, & vulneribus: aut ſe infortunatum ſentiens ab euentibus extrinſecis, comprimitur, & deſperat, & relinquit ſimul corporis munia, & diſſoluitur.

3 Suffocant ſpiritum, occidúntque, fœtores nimij: quos dum fugit, comprimitur: fœtórque inſequens eius diſpoſitionem grauat, & calorem immutat, & lucem fœdat, obnubilat interimitque: vt ebrietas, & fungi, & huiuſmodi declarant. Idem prorſus efficit ventriculi ſyncope: etenim dum humores crudi ipſum infeſtant, rodúntque; ſpiritus ad ipſum confluit, & à vaporibus ventriculi diris ibi & in cerebro ſuffocatur. Vnde hypochondria in ſyncope ſtomachica inflata ſunt, & totum corpus turget flatu, & mordicationes, & vellicationes in ore ventriculi habent: alij ſuccis crudis in toto corpore: alij tenuioribus ſuccis, & exhalationibus infeſtantur ab intus, non ſecus ac qui fœtoribus corruunt, in quibus facies Hippocratica ſtatim apparet. Etenim & diſiiciuntur, & lacerantur ſpiritus acutis fœtoribus, ac ſimul comprimuntur partes diſcerptæ, & periclitantur. *Ex ſuffocatione.*

4 Diſiectione etiam diximus ſyncopem fieri, cum videlicet ſpiritus in varias partes trahuntur, & diuiduntur, & minuuntur. Hoc patiuntur amantes cupidiſſimi in conſpectu amaſiæ iratæ, & non ſperatæ: & in formidati, & venerati Regis aſpectu. Siquidem ſpiritus ob reuerentiam intrò fugit, & ob deſiderium foras confluit, & diſiicitur. Nimio etiam in gaudio fit compreſsio confluentis, & diſiectio. Præterea magnæ inflammationes morbificæ, & interdum ob extrinſecos calores, vt ſæpè accidit in lecto multis percalidis tegumentis calfacto. Calor enim ſpiritus attenuat, aperit poros, & educit diſiiciendo, & ſic minuendo. Accidit & hoc multis propter balneationem, & in coitu, ſpiritibus confluentibus ad voluptatem, reſolutiſque diſiectione. Syncope cordis, & à nimio calore diſiiciente fit, & à modico, quem inſpiratio accendere non valet, & vapores obruunt, & à venenatis vaporibus, & prauis ſuccis officinam ſpirituum occupantibus, & natalia interrumpentibus. *Ex diſiectione.*

Medela syncopes ex diminutione spiritus.

Cura syncopes ex diminutione. 1 QVi spiritus diminutione propter euacuationes syncopem patiuntur; iis aperiatur etiam per vim os: & aquę vitæ modicum in ouo sorbili, vel iure carnis odorifero infundatur. Naribus odores pulli assati siccique, & vini maluatici, & menthæ, admoueantur, & mica panis calidi muscatello vino conspersa; & omnia ea fiant, ex quibus spiritus subitò refici, augerique possunt, vt in Phys. dicebamus. Ad reuocandos spiritus vtuntur Medici ligatura stricta digitorum, & extremarum partium sed hoc nihil prodest si spiritus est modicus, nec totum corpus potest absque disiectione sui sensificare. Nihil ergo melius, quàm ipsum augere, & euacuationes prohibere, & motus. In aëre frigidiusculo, & sicco in aula odoramentis, & liquoribus odoratis conspersa, absque rumore, & Musica, nisi suaui, & submissa. Quomodo euacuationes sanguinis, & alui reprimuntur, alibi dictum est. Addes inunctiones odoratas. Sed cum exudatione fit syncope, erit oleum astringens, vt myrtinum, & cotoneorum, rosaceúmque: odorésque erunt styptici, non acuti, vt rosarum, cotoneorum, nymph. sant. camph. &c. Si per odores spiritus non reuocatur, & sorbitiones, certum est intus pugnare cum aliqua causa: quæ pugna necessaria si est, turbanda non est, vt in capitis, & cordis obsessionibus. Sin minus necessaria, immò ex ea spiritus minuitur, nec omissa vitæ periculum affert; vt in vteri passionibus, cuius etiam amputatio neque mortem affert: reuocandus est frictionibus, ligaturis, & fumis fœtidis; vt ad sedem suam tuendam reuertatur, & ad se insuper reficiendum. Propinabis etiam quæ sanguinem augent, vt nutritus ex eo spiritus, atque corpus simul, non separentur. Caue ab omni sectione venæ, & prouocatione euacuatiua.

Curatio syncopes ex compreßione. Item ex suffocatione.

Contra compres. 1 IN syncope ex compressione, si aqua rosacea frigida non reuocatur spiritus, deliquium est dirum. Adhibe ligaturas, vellicationes, fœtores, si detinetur inani metu, aut labore: non autem si necessario. Adde læta nuncia, etiam falsa, in syncope à metu citharam, & cantum. Item confection. lætificant. Galeni, & de hyacintho, propinabis, & suaues odores. Potum vini cum aqua arantiorum, & foliis auri. Si compressio est à dolore, volu-

ptuosa dabis: si dolor est ab humoribus, & sanguine impuro, purgabis, & frictionibus vteris. Si à vulnere, curabis vulnus. Si alicuius membri afflictio, vt vteri, aut colli, aut pedis, aut &c. illi simul ex arte succurres. Si à fœtoribus, eos amouebis, & odores admouebis in clauso loco: te odoriferis, & aceto, & aliis armabis. Porro syncopem stomachicam curabis per euacuationem alui, aut vomitum eorum humorum, qui orificium ventriculi vellicant. Cum autem fuerint succi crudi per totas venas dispersi, à quibus vbique spiritus afflictus laborare contra eos desperat: tunc odore solo ipsum pasces, & mulso. Corpus autem frictionibus exercebis, tum in pectore, brachiis, cruribus, & in spina; vngésque oleis aperitiuis, non Aringentibus, singulis diebus continuis, data requie, somno modico, & cibo. Nec purgatio, nec phlebotomia prodest, nisi clyster cum supprimitur aluus: per transpirationem enim melius est curare. Vnde hoc tempore Mauri sola vnctione, & frictione in cunctis vtuntur morbis, atque diæta. Nec enim cessat syncope propter purgationem. Prodest autem cunctis odor; vino infusa medulla panis, quæ solos spiritus alat. Et horum salus non desperanda, quamuis sit omnium pessima syncope, nisi inflammatio adsit in iecore, aut ventriculo: & pulsus inæquales, languidi, & parui, vt suo loco diximus: tunc enim prognosticum mortis, iuxta sermones quarti lib. facies.

Varia species compressionis, & cura.

Cura syncopes ex disiectione spirituum.

1 SYncope ex disiectione, si à tenuibus humoribus, & exhalationibus fiat, lentam vel nullam frictionem, vt exhalent admittit; sed vnctiones adstrictiuas: cibum modicum, & crebro repetitum, facilisque transitus requirit: sed firmiorem, vt alicā, panis micam in brodio, luteum oui, fructus non molles, vt pyra, mala appia, præsertim cocta; vinum generosum aqua dilutum, lætos sermones, Musicam vnitiuam, &c.

Cura syncop. ex disiect.

Disiectionem ab amore curat amasia, vel species eius: aqua rosacea faciei iniecta, &c. A coitu verò nisi plurimus fuerit, qui sanguinem eliciat, ouorum sorbitio, cum oleo cyna. & pineæ, & pistacia, brodia pinguia benè condita caryophyl. mac. &c. cum modico aceto.

A calore frigidorum applicatio, saccharum in frigida, flabellum, mutatio vestium mollium, non calefactarum; &c. Caue ne frigus nimium penetrans adhibeatur. A phlegmone verò

Cura syncop. à calore.

Cura à phlegmone. consimilia: & phlegmones curatio secundum artem, & membri pasſionem.

Ex balneo. In balneo deficientes; extrahes, aqua inſperges, in ſindone repones munda: adſtrictiuis, frigidis vnguentis, odoratiſque vnges; ori iniicies, quæ ſubitò reſtaurant.

Cordi ſyncopanti ſubuenies per calida, vel frigida; paſsioni contrariantia, & cordialium rerum aquas, & res, vt ſuo in loco dictum eſt; vbi, quæ communia ſunt aliis ſyncopis, peregeris.

Fœtus demortui ſuſcitatio. Obſtetrices etiam nouerunt fœtum mortuum allij odore viuificare; & flatu gallinæ per anum immittentis roſtrum, & aërem per os obturatis naribus, & auribus, vt non iis viis reuertatur, ſed recta in cor ſufflet, & ignem excitet, & ſpiritus recreet ex ſanguine. Idem iuuat in cunctis deliquiis huiuſmodi.

De læſionum poteſtatiui à ſubiectis, & primo organo, multiplicitate, & ſymptomatibus, & cura.

CAPVT. IV.

De his, quæ accidunt, eorúmque cauſis, in lethargo, caro, catalepſi, comate, apoplexia, epilepſia.

ARTIC. I.

1 EX his quæ accidunt in poteſtatiui læſionibus, melius fortaſſe cauſas, quàm ex Medicorum decretis inueniemus.

Symptomata lethargi. 2 In lethargo, qui obliuionis interpretatur captura, quædam dormiendi neceſsitas reperitur; & ſtimulati clamoribus reſpondent modicè: aperiunt oculos, ac ſubitò claudunt: oſcitantur, hiant, & quaſi os claudere ſimul obliti tenent apertum. Porrectam matulam, dum mingunt, obliuiſcuntur: febri lenta laborant: pulſu tamen magno, raro, vndoſo, ſpiratione languida, rara.

Accidentia in caro. 3 Qui autem caro corripiuntur, nec reſpondent, nec aperiunt oculos, etſi ſentiant. Sequitur caros febrim, & alias paſsiones: lethargus præcedit. Spirant tamen non perperam.

In catalepſi. 4 At in catalepſi fit ſubitò priuatio vocis, & ſenſus ita, vt nec audiant, nec reſpondeant: & ſpiratio quaſi penitus tollitur. Remanet pulſus paruus, languidus, creberrimus, permanéntque in ea corporis poſitura, in qua dum corripiuntur, erant, ſiue ſedentes, ſiue iacentes; ſiue clauſis, ſiue apertis oculis. In

caro

caro autem perpetuo clauduntur: Aluus, & vrina supprimuntur; facies aut liuet, aut rubet.

5 Coma videtur somnus profundus: nec enim aperire valent oculos, & excitati subitò obdormiscunt, vt accidit in multis febricitantibus, demissa inferiori mandibula. Dant etiam Medici coma vigilans; in quo enormia loquuntur, incompositi iacent, claudunt oculos spe somni; haud tamen dormire valent: nec vigilare. *In comate.*

6 Apoplexia verò statim priuat omnes corporis partes motu, & sensu. Pulsus deficiens. Spiratio consimilis, & intermittens. Accidit hic morbus senibus plerumque. Est malum incurabile, aut difficile. Præcedit dolor capitis multus, acutus, vertigo, splendores oculorum: iugularium elatio venarum; extremarum partium refrigeratio; difficilis motus, stridor dentium in somno: vrina æruginosa, pauca, nigra, cum farinaceo sedimento. Iacent correpti vti mortui. *In apoplexia.*

7 At epilepsia puerorum est plerumque; soletque circa 25. annum solui: si autem vlteriùs perseuerat, vsque ad mortem comitatur. Cum inuaduntur, alienantur, non priuantur motu, & sensu; sed vitiantur prorsus: concidunt, conuelluntur, vociferantur: tremunt, circumaguntur: spumam emittunt ex ore; interdum stercus, & semen inuoluntariè. Præcedere solet capitis dolor, obliuio, tristitia spontanea: somnia turbulenta, pallor, &c. *In epilepsia.*

Medicorum sententia de causis prædictorum morborum.

ARTIC. II.

1 HOrum omnium causas Medici faciunt humores cerebrum lædentes, quod principium est sensus, motúsque. Sed pro diuersitate lædentis causæ varietatem discriminant: etenim in lethargo, aiunt, pituita frigida & humida imbuens cerebrum, peccat. *Causa lethargi secundum Medicos.*

2 In caro humor frigidus, crassus, viscosus: quod est idem. *Cari.*

3 In catalepsi sanguinis copia, ait Aëtius; vel frigidus, siccusque humor melancholicus; cerebri præsertim posteriora molestans. *Catalepsis.*

4 In comate irrigatio cerebri, vt in ebriis; vel vapores calidi, & humidi, vt in febri; vel solum frigus, vel frigus cum humiditate. In vigilanti comate pituita commista bili. *Comatis.*

Apoplex. 5 In apoplexia pituitosus, frigidus, crassus, lentus humor cerebri ventriculos principalissimos vna vice cumulatim replens: qui à nimia cruditate, vel ebrietate solet oriri; vel ab ictu capitis; ad quam confluunt humores, vel aëris frigiditas humores adstringens, excrementáque.

Epileps. 6 In epilepsia pituita crassa, lenta: vel atra bilis spiritus meatus in cerebro obstruens; neruorum principio seipsum agitante, vt noxium excutiat. Aliquando per consensum oris ventriculi ab humoribus corrosiuis ob exquisitum sensum patientis; cū cerebrum ea, quæ submittit, excutere nititur. Proptereaque, ait Galenus, quidam Grammaticus dum vehementer docebat, irascebatur, cogitabat, ieiunabat, passione epileptica corripiebatur. Item ex aura frigida, quam aliquando crus, aut membrum aliquod, submittit ad cerebrum: patientes enim inde aliquid moueri, & cum in cerebrum irrepit, cadere se agnoscunt, eodem Galeno teste.

Examen sententiæ Medicorum.

ARTIC. III.

Prima ratio contra Medicos, ex eo quod eadem passiones accidunt in aliis morbis, non ab eisdē causis.

AT quidem non videntur Medici eorum, quæ eueniunt hisce in morbis, reddere causas; sed quasi diuinare: etenim omnia tribuunt affecto capiti; cum tamen nil læso capite, eadem euenire in syncope, & vteri suffocatione, & coli, & ventriculi, aliisque ingentibus doloribus, experiamur; videlicet deliquia, sensus, & motus priuationes, & mortes subitas, & tremores, & torsiones, & occupationes animæ: ita vt vix fœtoribus, aliisque timoribus reuocari ad suæ sedis defensionem queat. In ecstasi quoque, siue amatoria, siue admiratiua, corpus riget in ea positura membrorum, qua fit raptus, permanens: nec frictionibus, & vocibus, & punctionibus reuocari potest: nec sentit, nisi finita ecstasi. Similiter qui in Lapponia, Noruegia, & Sueuia, putant suam à corpore animam exire, & ad mundi partes quascunque, vt nuncium eorum, quæ illi scire cupiunt, qui eis pro hac re pecunias soluunt, afferant, vagari, & redire: iacent exanimes, sicut apoplectici, & catalepsi affecti. Igitur has passiones non solus humor facit, neque capitis, vt caput est, sunt; sed quatenus spiritus in eo afficitur. Præterea cur puerorum epilepsia, apoplexia verò senum magis sit: non

Secunda ratio quod etiam ecstaticis.

3. Alienatis sponte.

Conclusio.

Quarta, quoniā ex datis causis Me-

non reddunt causam ex dictis, cum in pueris plus succi, & læsionis esse debeat. Et si succus hoc facit, vnde illa tenuis aura ex crure idem operatur? Et cur pæonia hoc morbo laborantes collo gestata, sic iuuat, vt nihil patiantur, teste Galeno, de puero quodam; eáque ablata iterum recidant? Et cur post annos 25. est insanabilis? Item quomodo idem morbus à calidis, & frigidis fit humoribus? Et cur in catalepsi humor calidus sanguis plus somni inducat; quàm pituitosus frigidus in lethargo? Et quomodo in comate solum frigus aliquando somnum facit, plusquam in cæteris ab humore, cum boreas vigilantes, auster dormientes reddat? Et cur minor passio ventriculi, & ira, & inedia faciebat in Grammatico epilepsiam, quam maiores passiones aliorum in ventriculo non faciunt? Et quomodo frigidus & siccus humor facit catalepsim, vti calidus, & humidus Aëtio? Et cur in aliis pulsus, in aliis respiratio, plus læditur eiusmodi passionibus? Hæc, & alia quæri possunt, vt in lib. 4. perscrutari poteris.

dicorum non potest reddi ratio, cur pueris epilepsia, & senibus apoplexia propria sit.

5. Nec cur præcedit aura in crure.

6. Nec cur pæonia prodest.

7. Item cur idem morbus à calidis fit, & à frigidis causis.

8. Quia non datur ratio differentiarum lethargi & comatis.

Nec accidentium in epileps. cuiusmodi Gram.

10. Nec aliarum differentiarum.

Propria sententia de causis prædictorum morborum.

ARTIC. IV.

1 NOs autem arbitramur, hos morbos omnes esse passiones quidem spiritus, sed in sua principali sede. Nam quando alibi fit, alibi sentitur dolor, & spiritus illorsum recursus, vt patet in colicis, & hystericis: esse tamen eiusdem penè modi, quamuis in capite plus compressionis; alibi plus disiectionis, prout de syncope loquentes diximus: causam tamen formalem generationis eorum esse magnam spiritus occupationem ad pellendum morbificam causam, suarum operationum impedientem, in qua dum occupatur necessariò omittat pulsationes, & spirationes, habet ex toto, vel ex parte: ideóque in his esse alterationes magnas, motus vero arbitrarios, etiamsi prorsus deficiat, nihil mali offendit. At naturalibus illis intermissis, dum spiritus occupatur in morbo vincendo, minuitur compressione, & dolore, nec pulmo flatu excitat calorem in corde, vt ex sanguine spiritus reficiantur. Propterea ergo sequitur mors necessario in omnibus passionibus his, si durabiles sut, spiritu altero resoluto, & diminuto, alteróq; successore nō genito. Propterea Medici tot frictionibus, & odoribus, & fœtoribus reuocant animā, nescientes ad

Subiectum prædictorum morborum esse spirituum sedē caput, sicut consimilium alios.

Cau. à formali, & finalis.

Cur defectus pulsationis & spirationis noxius magis, quàm arbitrariorum motuum.

Disciplina Medicorum cæca in his morbis.

ad quid ista valent: quæ quidem fiunt, vt spiritus ad propria munia, vnde reficiatur, nec totaliter desinat, reuocetur. Qui autem subito pereunt, dira spirituum compressione nullo reficiendi dato tempore ab ingenti dolore, & causa eos suffocante, vel disiiciente pereunt, vt de syncope loquentes aduertebamus. Causa autem materialis, quæ & quasi actiua habetur: vt sunt fluores vitiosi, & flatus: concausa autem angustia organorum & loci: item dolor implantati in eis spiritus: ad quorum iuuamen spiritus liberior accurrit, vt diximus loquendo de pulsibus.

Cur alii subito pereunt.

Causa materialis cum actione materiali concausa, causa finalis ex parte.

Quid sit alienatio in prefatis malis.

2 Alienatio autem fit, vbi à sentiendo, & pulsando, & respirando, & mouendo, seu gestando corpus, cessat spiritus: vel insequens mentis ad alia raptus; vel suas ad necessitates distractus, sicuti in somno, & doloribus magnis.

3 Quemadmodum enim ex capite fluores destillantes efficiunt in membris subiectis anginam, arthritim, podagram, chiragram: sic vapores ab inferioribus partibus vicissim submissi in caput; efficiunt epilepsiam, apoplexiam, &c. vnà tamen cum fluoribus: sunt enim flatus succulenti, & succi flatulenti.

De epilesiæ causis, & cura, iuxta proprium dogma speciatim.

ARTIC. V.

Nomen.

1 EPilepsia igitur, quæ sacer morbus, & comitialis dicitur: quoniam in sacro capitis membro, mentis templo, & in sacris personis sæpius fit, & in comitiis solet infestare: generatur à succis flatuosis, vel flatibus succulentis, caput occupantibus non ita, vt cellas obstruant prorsus, neque neruorum poros obstruant prorsus; sed ex parte. Spiritus enim eos excutere volens, in caput confluit, & conflictatur: proptereáque fiunt motus illi varij distorti, & tremores. Vidimus tandem mox saliua multa, & fluoribus non viscosis, sed lubricis ex ore eiectis spiritus vi, tunc cessare passionem. Spuma illa flatum indicabit. Fluor vel vaporem conuersum in fluorem in angustia capitis, vel mistum à principio fluorem: vtrumque enim fieri probaui in cane ad Agnanæ antrum proiecto: qui statim epilepticos motu, & spuma imitabatur: & tamen solus vapor fœtidus in caput per nares ascendens, fuit causa passionis.

Essentia.

Probatur ab effectu.

Ab exemplo

Cur infantiū epilepsia magis.

2 Infantes propterea hoc morbo afficiuntur, quoniam succis abundant

abundant

abundant flatuoſis, & cerebri, & neruorum poros anguſtos habent ita vt facilè vapore craſſo impleantur. Cum autem tranſierint annos pubertatis, fiunt latiores pori: & per tranſpirationem humor diſſolutus educitur, & in pilos conuerſus, qui eſt craſſior. At ſi hoc tempus non ſoluit morbum, perſeuerat vſque ad ſenium. Natura enim non potuit tantum aperire meatus neruorum, & tranſpiratorios, & flatus exſiccare, quantum requirebatur, ne opplerentur, & emitterent, & non fierent: proptereáque videbis vt plurimum eos, qui tali afficiuntur morbo, pilos non emittere, niſi paucissimos, fuligines enim reſtant miſtæ humoribus ad malum peragendum: & cum Luna aſpectum Solis, & Saturni ſimul incurrit, magis affici, vndè & lunarici dici ſolent. Luna enim, & vapores, & humores tunc commouet, vt probatum eſt in Aſtrologicis, & in libro quinto huius voluminis, tàm intra hominem, quàm in aëre, & aquis extra; cuius ope dæmon etiam vtitur ad vexandum, vt patet experientia, & Theologia quoque admonet.

Cur perſeue- [illegible]

Cur epilepti- ci minus piloſi.

Cur epileptici lunatici.

3 Si autem in capite hi eſſent humores perennes, perennis eſſet paſſio; ſed fit vt podagra ex deſtillatione, quoniam deſtillat ad pedes aliquid à capite. Sic epilepſia ex eleuatione ad caput flatulentorum ſuccorum, vt plurimum tamen melancholicorum: quoniam hi aptiores ad terrefaciendum ſpiritum. Hinc eſt quod Grammaticus ille apud Galenum ex ſola ira, & vehementia in docendo patiebatur: humores enim, eorumque fæces, agitata vehementi motu flatum efferebant, opplentem cerebri cauitates. In aliis hoc non fit, quia non tantus flatus, nec faciles meatus ad aſcenſum, neque fæx ſanguinis fluctuans ineſt ad ipſorum generationem. Inedia quoque idem efficiebat. Cuius rationem Medici ignorant, nobis quidem peruiam. Etenim vacuo ventriculo eructat lien fæcem melancholicam, vnde flatus eleuabatur. Ergo non paſſio ventriculi hoc facit, ſed paſſio ſpiritus in cerebro à flatibus, ſicut in cæteris. Puer quoque ex crure auram aſcendere in caput ſentiens, noſtram confirmat ſententiam: etenim in vapores redacti humores eò confluentes ex agitatione, aſcendebant, repercuſſi; nec exitum ibi nacti: ſicut in aliis aſcendunt ex ventriculo, liene, aliiſque viſceribus, & ex fuliginoſo ſanguine in plexu retiformi, per pilorum nutritionem non ſatis expurgato.

Cur flatus ex membris aſcendens epilepſia afſert paſsionē.

Cur pæonia iuuet. 4 Pæonia quidem solaris herba spiritus solares reficit, roborat, & flatus fuliginosos, ne ascendant, reprimit primalitatum mirificentia. At nescio an in confirmatis morbis hoc idem possit ex toto sola gestatione: neque enim tantulus magnes multum ferrum mouet.

5 In coitu quid simile epilepsiæ quidam patiuntur. Spiritus enim disiicitur pars in semine abiens; quæ autem in capite remanet, agitatione vapores commouente, quasi vincitur illorum compressione. Vnde in posteriori parte, ex qua fit defluxus per spinam, sentiunt dolorificam deficientiam.

Curatio.

Infant. epil. cura. 6 PVeros ergo expectabis donec pubescant: ætate enim soluitur in eis epilepsia. At ne consuetudo pariat perennitatem, *Amuletum.* nec pereant nimiis conflictationibus, ipsorum collo pæoniam alligabis, & rebus solaribus assuefacies. Caput oleis calidis exsiccantibus sæpè vnges, scil. irino, anethino, & pulueribus maioranę, *Cibus.* thuris, cyper. &c. Dabis ad lingendum dulcis amygdalæ succum cum saccharo, & mel. Nutrix verò cibis lac exsiccantibus vtatur, nec flatuosis; abstineat à coitu, & tristitia, & crapula. Quidam occiput inurunt ignito ferro, vt nimia humiditas non occidat infantes.

Adultorum. 7 Adultos vero arcebis à leguminibus, alliis, porris, cæterisque flatuosis. Similiter à carnibus, præsertim senilis animalis, & atrabiliosi, & humidi. Auiculæ montanæ prosunt, & olera caput confortantia: cappares, & buglossa, malua in modico iure. Sed exercitium, & frictiones, pectinatio, & rasura quotidiana, & alia laxantia. Inunctiones, & capitis insolationes exsiccatiuæ. Venatus, lætitia valde prosunt. Vinum tenue aqua dilutum, album, vel mulsa: modicus coitus, modica balnea odorata, non tamen capitis. Cum passio inuadit nequaquam mouendos putarim, sed solis odoribus iuuandos. Mox distorta, & conuulsa membra reformabis: os aperies etiam claui, & penna; aut digitum dilutum oleo irino iniicies, vt pituitam adhærescentem extrahas, vel per vomitum. Sunt qui in ipsa passione castoreum, aut laserpitij succum dent cum oxymelle. Clysteribus cum excitantur acribus purgandi, & hiera picra, & aliis rebus pituitam, & atram bilem respicientibus, & flatum..

8 In

8 Inueteratæ epilepsiæ fortiora sunt adhibenda medicamina. Galenus secat venam primò; rectè quidem si abundat humoribus, & viribus, & si à poplite; vt sanguinis fæces descendant: laudo tamen magis hæmorrhoïdum apertionem etiam artificiosam, & menstruorum. *Veteris epilepsiæ cura.*

Dant syrupos Medici extenuatiuos: Tu adhibe etiam solutiuos flatuum; & misce cum aquis absinthij, hyssopi, stœchadis, betonicæ, maioranæ, &c. etiam fœniculi, apij, petrosel. cumin. pæon. aquis, vt peccantes minuant humores, faciantque aptos trahi à pharmaco, & non trahere, iuxta doctrinam lib. 5.

Phamacum sit colocynthidis infusio cum puluere aridi hellebori nigri. Sunt qui dant pilulas coccias, & de agar. &c. prout pituitam respiciunt. Tu flatum simul & pituitam mucosam, & fuligines considera: & quantum potes obstructionibus occurre, & dilatandis viis spirituum stude. Propterea balneum, & frictiones laudo, & aperitiuorum applicationes intus, & foris: cucurbitulas spinæ & hypochondriis non ineptè addunt Medici: & capiti cataplasma panis in mulsa, cum calamentho, serpillo, vel mentha, &c. confortant enim cerebrum, & viam faciunt fuligini, & cineri. Addunt deraso capiti consimilia: & post aliquot dies purgant hiera; & sternutatoria sequuntur, & masticatoria. Iuuant per antipathiam radix pæoniæ, ceruinum cornu, viscum quercinum, os caluariæ humanæ: quæ præfatis medicamentis misceri possunt.

Emendare non cesses ventriculum, ne vapores mittat, cruditates non faciat: nec cibos flatuosos admittas. Similiter lienem expurgabis; & sanguinem purificabis, & membrum, vnde aura solet exurgere, confortabis: vel cauterio munies. Purgatio singulis annis repetatur, ne morbus regrediatur, vel deterioretur.

De apoplexiæ causis, & cura.

ARTIC. VI.

1 APoplexiæ autem causa est humor multus, non quidem sanguineus, sed excrementitius; qui neque per transpirationem exire, eo quod attenuari nequit; neque per aluum, & cauteria naturæ, cum multus sit & interiora teneat, expurgari potest. Quapropter cum redundat in infimo cerebri ventriculo, *Causa, & sedes, & ratio apopl.*

obstruit porum spinalis medullæ, per quem spiritus distribuitur: atque neruorum, qui à capite procedunt Itaque spiritus accurrens, laboránsque pro suis vasis & vita, derelinquit nedum motus arbitrarios, sed etiam pulsationes, ac ipsam respirationem: & si plusculum immoratur, nec vincit, imminutus, & non refectus perit.

Cur senum apoplex. 2 Idcirco ergo senum est plerumque iste morbus, quorum spiritus pauci, & excrementitiæ sordes multæ, vt expurgari nequeant; flatus autem non multi: rimosi enim sunt, sicuti parietes antiqui, & facile emittunt quod tenue est, quod verò crassum, remanet. Ideo non epileptici ex vapore, sed apoplectici fiunt. Est etiam ebriosorum, comedonum, ociosorum, quorum cruditates multæ & excrementitij fluores validi: qui in neruorum principiis impacti, ægrè discutiuntur. Sobrios autem, & ad motum impigros, laboris amantes, nunquam videbis apoplexia vexari, nisi fortè ob casum, ictúmque capitis: quorsum humores accurrunt, & spiritu laborante contra morbum augentur. Et horum apoplexia sanitati restitutorum curatur facile, non autem ociosorum, & senum. Fit etiam pororum angustia; difficilè curabilis.

Symptomata & accidentia. 3 Præcedit autem dolor capitis ex compressione cumulatorum humorum, tenebræ & splendores in oculis ex spiritus agitati scintillatione, & fuliginum volatu. Vertigo, quoniam & flatus intermiscetur, quo feruente in caput ascendunt; venæ inflantur iugulares, & à copia humorum eleuantur. Extrema frigent, spiritu ad auxilium se conferente introrsum: strident dentes ex conflictus præparatione. Vrina æruginosa, pauca, nigraque, ex crassitie humorum, & ex assatione, vel fæce sanguinis: modica tamen, sicut omnes res crassæ, quando præsertim spiritus inualidus fit ad ipsorum eductionem.

Quantitas morbi & læsionis & loci agnitio. 4 Pro spirationis læsione maiori, vel minori considerabis potentiam morbi, id est, humorum crassitiem, & locum læsionis, qui est principium neruorum omnium, quibus spiritus mouet viscera; sed necessitas derelinquendæ suæ refectionis elucet in hoc verius. Intermissio enim, & difficilis *Iuuenum & senum.* tractio, illa mortem expectat: ista cum morte conflictatur. Si hæc iuueni, & in æstate aderunt, cum sit morbus senum, & hyemis, inexpugnabilem copiam causæ morbificæ indicat,

cat, & mortem cum hyemauerit: vel si sanantur, paralytici fiunt.

5 Horum cura venæ sectionem renuit, ne calido sanguine abeunte frigidi humores remaneant: sed comedonibus, & plethoricis senio affectis clysteres acres prosunt, de betonic. ruta, saluia, hyssopo, calamentho, polypodio, agar. colócynth. diaphœn. benedict. laxat. hiera, &c. cum sale, & oleis calidis secundum artem. Item suppositoria ex helleboro nigro, agar. colocynth. in puluerem actis, & melle exceptis. Fiant vnctiones, frictiones, cucurbitulæ, odoramenta, sternutamenta, sinapismi, emplastra in capite; vomitiones penna in os immissa, & cætera, sicut in veteri epilepsia. Addunt capiti sartaginem percalidam. Victus sit mel, butyrum, & res eædem cum epilepticis. Potus mulsa, & aqua coriandr. & cynamom. Herbæ attenuantes, & calefacientes spiritum multum, & modicam crassitiem minimáque excrementa generantes, sunt cibus huiusmodi ægrotorum. *Cura int.* *Extra.*

Cum autem in paralysim transierint, magno naturæ fauore subsequentur ea pharmaca, quæ paralyticis conueniunt, vt in seq. cap. docebimus.

De catalepsis causis, & cura.

ART. VII.

1 CAtalepsis proxima est apoplexiæ, quoniam respirationem tollit, solo modico pulsu remanente. Et quoniam quemadmodum in ecstasim raptis, neque muscæ, neque minaces digiti oculos, aut palpebras aliquid mouent: sed sicuti incepit raptus, aperti, & quasi congelati manent absque spiritu, quippe qui totus ad mentis visiones raptus est: ita etiam accidit catalepsi detentis. Vnde Medici hunc morbum congelationem vocant: propterea arbitror ingenti passione detineri, qui hoc morbo corripiuntur: ita vt totus spiritus in illius locum feratur, & oculi remaneant, sicuti in mortuis, & ecstaticis, absque spiritu vllo, sicuti in vtraque passione experti sumus. Eadem ergo ratione, & totum corpus riget, & pulsus modicus remanet ad reficiendum. Periculosa ergo, feréque lethifera passio, quæ tantoperè cogit spiritum deserere vasa functionésque vitales. *Accidentia catalepsis.*

2 Causam passionis Galenus facit humorem frigidum, & sic- *Causa ex Galeno.*

cum. Ego autem puto, quidquid magnam passionem afferre potest, nedum obstructionem capitis, & spinæ, ac suffocationem potest afferre: quod Aëtius probauit in sanguineo iuuene dies tres detento passione isthac, donec plurimo sanguine de naribus erumpente liberatus est prorsus. Sanguinis ergo copia, & humor in retiformi, & capitibus venarum abundans, cerebrum infestabat, & spiritum ad eam vocabat passionem. Quare non est iste morbus proprij humoris, sed passionis grandis à quocunque fiat humore: atram bilem tamen plurimum posse in ea puto, quoniam terrefacit spiritum, & passione imaginosa insuper detinet, nedum corporaliter noxia.

Correctio.

Cura.

3 Igitur ex corporis habitu, & ætate, & tempore, & victu, & præcedentibus agnosce causam passionis, & qualia requirit medicamina, talia adhibebis.

De caro, cuiúsque cura speciatim.

ARTIC. VIII.

Causa ex Medicis.

1 Post catalepsin minor ordine noxa est caros, in quo cæteris cessantibus functionibus, respiratio tamen integra manet. Et quoniã non est morbus à se incipiẽs, sed sequitur post epilepsiam, & post febres diras, & caluariæ, & membranæ ventriculos cerebri ambientis compresionem, & læsionem: propterea nequaquam, vt Medicis placet, eius perpetuò causa sit humor viscidus, frigidúsque. Decipiuntur enim ex hoc, quod putant omnem ad somnum propensionem fieri à frigore, & pituita, cum sæpè contrarium ostenderimus: neque somnus sit in caro, vt ipsi putant, sed occupatio spiritus contra lædentes causas intrinsecus. Et quoniam respiratio remanet, neque morbus de se incipit, puto passionem esse modicam, sed spiritum esse diminutum ex præcedentibus causis, sicuti reliquiæ exercitus inualidæ sunt etiam contra reliquias belli. Non ergo somnifera causa facit carum, sed passio occupans spiritum in sui expurgatione; propterea discernenda est causa passionis: nam in comitiali, flatulenti succi sunt reliquiæ: in febribus causæ putrentes ipsarum: in ictibus affectio membranæ, vel ossis. Et talia exhibebis remedia, qualia iubent causæ, & non sicut Medicis placet, qualia lethargus requirit: nisi ex causa lethargica relinquatur incrassata pituita frigida. At cum in lethargo plus lædatur respiratio, quam in caro: & in caro plus sensus, & motus, quam in lethargo, & hic per se incipiat, carus autem sit reliquia alterius mali: palam fit, quod diminutio

Correctio

Cura.

nutio ſpiritus plus loci habet,quam cauſa paſsionis,in caro:in lethargo è contra,vt dictum eſt.

De lethargo,eiúſque cura ſpeciatim.

ARTIC. IX.

1 Fit ergo lethargus ex cauſa pituitoſa cerebrum tenente, & implantatos ſpiritus afficiente, ad quorum auxilium vnitur ſpiritus liber,& ad poros aperiendos, & pituitam attenuandam. Vnde reſpiratio minuitur,cum liber non ſatis eleuet folles. Somnus grauat,quoniam ſpiritus detinetur contra cauſam morbificã, & ſtupeſcit implantatus,ſicuti in manu compreſſa,& humoribus irrigata craſsiuſculis: vidimus enim iuuenem ægrotantem adeo vigiliis afflictum, quamuis in cæteris benè valeret, vt ſe vel ex hoc putaret mori:cúmque caput multa aqua partim tepida ei lauiſſent per horæ quadrantem, ita ſomno captum eſſe, vt vigilare non poſſet,& cum cibaretur,etiam in ſomnum propendebat. Ex quo apparet, humiditatem poros occupantem implantati ſpiritus, cauſam eſſe ſomniferam valde. Vbi autem putreſcit, ſimul febrem acceſſere. Spiritus enim contra eam inſurgit: maximè autem ſi cum ſanguine prodit. Obliuio autem ſequitur neceſſariò, ſicuti in dormientibus; dum enim paſsione grandi detinetur,non niſi illam nouit, attendítque, ſicuti dictum eſt prius. Idcirco & poſt lethargum ſolet memoriæ defectus ſequi.quod quomodo fiat & curetur, in ſuperiori capitulo declaratum eſt. Porrectæ matulæ non meminere, quoniam dum ſpiritus huic negotio operam dat, reuocatur à paſsione in aliud,huiuſque proinde obliuiſcitur. Subiugalis vrinæ craſsitiem, & turbationem humor indicat. Pulſus rari,atque vndoſi cauſa eſt humiditas,& occupatio laborioſa,vt dictum eſt in tractatu de pulſibus.

Cauſa lethargi.

Ratio accidentium in lethargo.

2 Propterea ergo conueniunt lethargo cibi attenuantes, incidentes,multi ſpiritus,& exilis craſsitiei,& leuis:quales volucrum carnes velociſsimarum,pectora,& alæ gallinarum:aſparagus,fœniculum,oreoſelinum,cichorea; quibus adde origanum, macim, cuminum,apium,pulegium,cynamomum, caryophyll. & huiuſmodi. Potus ſit mulſa,vel album auſterum, aquoſum vinum,vel aqua aceto emendata,vel floribus roriſmarini. Paretur aula calida,ſicca,lucida,odores, thuris, & ſulphuris. Venam non ſecabis, ne calore exeunte remaneat pituita: ſed circa pedes tentabis, vt craſsi humores diſcedant,ſi vires,& cætera permiſerint.Propterea etiam clyſteres acres ſubminiſtrabis ſæpè deſcriptos.

Cura

3 Poſtea

3 Postea frictiones cum sale, & aceto, vt attenuentur humores. Item ligaturas, vt spiritus excitetur: propteráque pilos euellere, & bitumen, sulphur, galbanum, fumum extinctæ lucernæ, sagapenum, abrotanum, fumum cornu, & huiusmodi adhibent naribus Medici ad excitandum spiritum à somno. Ego tamen non à somno excitandum puto, sed reuocandum ad sua munia, videlicet ad respirationem, & pulsum perficiendum, ne totus absque successore moriatur. Cæterum hos fœtores valde nocere puto ad reliquias spiritus extinguendas. Melius erit in aceto origanum, pulegium, thus, cynamomum, coriandr. & huiusmodi incoquere, & naribus admouere, & caput rasum inspergere, vt penetrent, exsiccent, excitent, & augeant spiritum. Sternutatoria etiam fortiora addes; & ori per vim inijce theriacam, mithridatiúmque in aceto. Confert maximè castoreum cum oxymelle potum. Cucurbitulæ, frictiones, scarificationes, & vnctiones acutorum oleorum, & aqua vitæ: quæ etiam confert in passione positis per infundibulum ori iniecta, & capiti.

Quid fœtores prosint.

4 His in morbis plurimum possunt *quintæ essentiæ* vocatæ rerum calidarum, in quibus nulla crassities, & spiritus multus. Nec dubitarem potum aquæ corrigere aqua vitæ, & arantiorum. Cochlear quintæ essentiæ cynamomi optimum. Ego enim doctissimum M. Matthiam Aquarium lethargo detentum, & comate, modica hac destillatione vigiliæ, sensui, & sermoni, restitui. Olea M. Ducis Etruriæ, sunt quædam efficacissima, vt fiat fœdus cum morbo in ipsa passione. Sed postea omnino victus, balnea, exercitia, gestatio, equitatio, purgationes, & attenuationes aliæ sanant ægros, & præseruant sanos, ne in huiusmodi cadant morbos soporiferos ex fluoribus frigidis: non autem à caro; quoniam passionis præcedentis est genitura. Valent tamen vesicantia multa, quasi cauteria totius corporis et purgatiua, vt in me experientia docuit.

[illegible] vesicantia. [illegible] sanitatem [illegible] Autori hoc morbo [illegible] affecto [illegible] item 6 19.

De comate speciatim: eiúsque cura.

ARTIC. X.

1 COma verò à lethargo nihil differt, nisi quia non à principio semper de se est. Et si pulsus vndosus est, eandem causam indicabit.

2 Solo autem frigore fieri haud credas, nisi vapores, aut fluores crassi in cerebro adsint, quos frigus constipat, duriusculos reddit;

Causa.

reddit; vel introagat alias per repercussionem, vt in catarrho; vnde sequatur aliqua passio, ad quam amoliendam spiritus accurrat, & occupetur.

3 Fieri autem puto à causis lethargi, & ab omnibus crassis vaporibus, & humoribus irrigantibus cerebrum; nisi valdè calidi, acrésque sint, qui phrenitim cient. Ebrij autem, & febricitantes ob pituitosos humores, & seniores præcipuè, & fatigati, cum biberint, & flante Austro, comatosi sunt: sed non erit morbus, nisi & læsio adsit, vt spiritus nedum circa vapores, sed circa malum illatum occupetur.

4 Cura ergo eius sit, sicuti & lethargi. At si à febre, vel vino, vel aliis causis, quales requirunt tales causæ. *Cura.*

5 Coma vigilans ad phrenitim pertinet: fit enim à bilioso humore: nec somnus ob mistam fit pituitam, sed ex debilitate spiritus volentis quiescere, nec potentis; & ob occupationem. At si quando mista causa adsit, quod euenire solet, medicinas misce-bis phreniticorum, & lethargicorum pro rata. *De comate vigili.*

De sopore quadrimestri, &c.

Appendix.

1 A Frigore nimio sub boreali ferme polo correpta animalia glaciantur in mense Nouembris, & sub Martij finem reuiuiscunt. Quod & hominibus in antris sopitis per tot menses, non quidem ex crassitie vaporum, vt gliribus, & taxis dicitur accidere: neque comate miro; sed quoniam omnes partes corporis rigent frigore, gelantur humores, & spiritus intra cerebrum, & neruos, vel nimio frigore, & strictione tenetur, vel in tenuissimum liquorem transit, qui superueniente veris calore iterum attenuatur in spiritum, corpus viuificantem motu, sensúque. Humores liquescunt, partes corporis soluuntur; quod in calida regione fieri est impossibile: calor enim educit spiritum, & qui remanet putrefacit corpus. Consimile accidit apibus apud nos, pulicibúsque necatis aqua, ita vt nullum organum destruatur; ad Solem enim reuiuiscunt, vt in Physic. docuimus. Ex his Medicus plurimas medicamentorum, & passionum intelligat rationes.

De morbis organicis à deſtillatione poteſtatem operatiuam lædentibus, aut impedientibus.

CAPVT V.

1 DE poteſtatiui morbis continuantes ſermonem, etſi qui organa poteſtatiui vitalis infeſtant ſingillatim dicere oporteret: deinde qui organa appetitus lædunt: poſtremo verò qui operatiua, diſponebamus. Attamen cauſa analoga iſtorum poſtremorum cum morbis in primo organo, & ſede ſpiritus, nos ad ſermonem de his trahit.

De catarrho, podagra, gonagra, iſchiade, arthritide, chiragra, paralyſi, & conuulſionibus; eorúmque cauſis generatim.

ARTIC. I.

Ex aſcenſu, & deſcenſu qui morbi.

1 QVemadmodum ergo ſomniferi morbi, & qui eclipſant quaſi vitam, fiunt è flatulentis ſuccis à ſuperioribus ad inferiora delatis. Sic podagra, chiragra, gonagra, ſciatica, conuulſio, paralyſis, fiunt ex humoribus, in quos vapores in capite concreſcunt, ad inferiora deſcendentibus, & operationem eclipſantibus. Horum primus eſt catarrhus, cuius deſcenſio ad guttur. Quæ enim fit ad pulmones, miſtam, & alteram habet conſiderationem, ſicut & angina, cuius potior cauſa eſt inflammatio, quam deſtillatio.

Differentia prædictorum morborum ex deſcenſu.

2 Medici loquuntur de his morbis tanquam genere diuerſis, cum tamen eadem res ſit in cauſa, differens loco & magnitudine. Etenim humoris fluxio, ſi in articulis pedum conſtiterit, impedit viam mouenti ſpiritui, & neruos comprimit; ac proinde ſpiritum inambulantem, & implantatum: doloréſque ſic adducit. Idem facit in manibus, vertebris, coxendice, cæteriſque articulis. Et cum etiam neruos replet, tollitque mouenti, & ſenſificanti ſpiritui tranſitum, facit paralyſim: interdum in media corporis parte dextra, vel ſiniſtra; alias in vno membro, & in lingua, ore, crure, veſica: & cum muſculos replet, & neruos, ad eam partem, & affectum torquens, & relinquens, in quem ſpiritus non impeditus agebat, dicitur ſpaſmus. Quo alij recto inflexibiliter cullo tenentur: alij ad anteriora: alij ad poſteriora

capus

caput inclinatum habent, & eo in situ remanent affecti spasmo, & correspondent catalepsi in capite. Eadem enim passio est, loco differens. Sed in spasmo cerebrum non læsum, neque spiritu occupato, sunt vigiles. Dolent autem in loco passionis.

3 Omnes hi morbi reciprocant, cum destillatio creuerit, non secus ac epilepsia; renouanturque ascensu succulenti flatus, nisi origo causarum tollatur, vel via ad patiens mẽbrum. Hæc autem ita se habere ipsa fluxio declarat: quæ sentitur deorsum vbi vigilant, descendere: maximè autem tempore catarrhi, quando etiam non patientes articulorum dolores, sentiunt in musculis humerorum, & brachiorum tensiones, & dolores obtusos ab inambulantibus fluoribus, si contingat eos per subcutanea, & non in fauces tantum, illabi.

4 Cum intra neruos succus abierit omnes, priuat sensu, & motu. Etsi enim sentiat membrum illud resolutum, conuulsúmque, vti declarat nutritio: haud tamen communicat sui passionem spiritui vniuersitati: propterea videtur insensilis, sicut ecstaticis accidit: & dum pili resecantur, sicuti in Phys. docuimus. Cum vero intra neruos, & cutim, vel carnes fit transitus, tollitur mouendi commoditas, sensus nequaquam: quoniam adest patiens spiritus dolores ingentes, sed temporis successu cum abierit, & articuli replentur tostis fluoribus, in gypsum versis, & tophum; tunc manent rigidæ manus absque sensu, & motu, vt sæpè probauimus.

5 Quomodo autem spiritus intra neruos inambulet, diximus in Phys. & nuper de pulsibus loquendo: componuntur enim nerui ex filis multis, intra quæ spiritus incedit: vt porus spinalis medullæ, quæ neruus est mollior; & optici nerui, manifestè indicant. Præterea nerui rotundi semicocti in aqua, statim capita in quædam fila discernuntur: quæ & perforata videntur palam, licet cæcutiant Medici in hoc, & inter eos Vesalius. Haud tamen credam fluores intra spiritus vias ferri, sed intra filorum contiguitates, & compagines, & ex hoc conuelli neruum, & spiritus compressos resolui, aut in suum principium redire coactos: haud tamẽ negem poros etiam intrare latiusculos. Manifestè enim intra spinæ medullam, & principia neruorum eius, in apoplexia intrant; & in opticorum poros. Vnde posset quis tueri, tunc modo sensum penitus perdi; sed sufficit si spiritus non adsit: licet Galenus multa contra philosophiam hic loquatur.

De catarrho, eiusque veris causis, disputatio speciatim, & curatio.

ARTIC. II.

Catarrhi causa & accidentia, itẽ raucedinis. 1 Catarrhus ergo destillatio est fluoris in fauces. At cum in nares procumbit, obstruens facit grauedinem; cum in arteriam vocalem, raucedinem, vocis viam impediendo. Tollitur appetitus, quoniam in ventriculi os vsque porrigitur aliquando. Accidit & febris, pugnante spiritu ad fluoris vias expediendas. Aliquando & suffocatio; cum multi, viscosique fluores obstruunt vias, & arterias vocis, & comprimunt neruos, replentque ad cor descendentes. Et hi vocantur catarrhi suffocatiui.

Aliquando transacto catarrho, remanet perpetua raucedo, qualem multi Medici in Abbatissa Stylensi per plures postea annos tollere non potuerunt.

Causa catarrhi secundum Medicos. 2 Medici causam destillationis dicunt infrigidationem temperiei cerebri. Hæc sola non valet, nisi ad stupefaciendum. Addunt alij, quod frigus stringit humores capitis, exprimítque deorsum: sicut manus spongiam premens madentem. In hoc etiam errant. *Correctio.* Frigus enim humores glaciat, indurátque, redditque fluxui, & motioni ineptos per suam compressionem: non autem foras promit, sicut cuilibet est notum. Non enim eius est vllo pacto disgregare, & separare: sed omnia congregare geláréque. Deinde dicunt oppositam rationem: quod calor dissoluens humores cerebri destillationem creat: sed profectò ex hoc sequitur, quod frigus cogens humores, destillationem impedit. Nec ista est ratio catarrhi à calore: calor enim humores attenuat, & partem attenuatam educit, remanentem incrassat, redditque inhabilem fluxioni. Deinde adducunt pro causa repletionem capitis factam à vino, & ciborum cruditatibus, & vaporibus. Hæc quidem vera est causa, sed modus causandi est illis ignotus. Multi enim inebriantur, & cruditates generant, & catarrho non afficiuntur, sed aliis morbis, & solo capitis interdum dolore, & somnolentia.

Causa ratioque vera catar. perpenditur. 3 Quoniam igitur videmus homines per loca frigida ambulantes, & milites hybernis noctibus super muros excubantes, catarrho non affici, nisi certis vicibus; quas cum explorasse inueni, vbi calefacti nudãt corpus, aut caput ad frigidum aërẽ. Propterea manifestũ est catarrhũ fieri ex illis vaporibus, & humoribus, qui ad cutim feruntur expurgandi; ast à frigore poros apertos intrare

prohi-

prohibiti, & repercussi, ad centrum cerebri, & totius corporis reuertuntur, ibíque in fluores redacti stillant inferius. Hæc passio in capite est catarrhus; in cæteris membris efficit fluxiones alui: qui enim nudatis pedibus in frigida aula paulisper incedunt, siue morantur: alui incurrunt repercussione hac fluxum, & diarrhœam: in toto autem corpore obtusitates, & dolores grauantes sentiunt: quod in aëris malignis constitutionibus pestilens est. In flatulentis catarrhus, & febriculæ; & nouus morbus, vulgo *il Castrone*. Confert tamen ad catarrhi magnitudinem, si alij vapores, & fluores sunt in cerebro: atque vna deorsum procendent.

Catarrhus autem à calore fit non qualicunque: etenim messores, & rustici tota die Sole torrefacti catarrhos nullos patiuntur: sed vocis claritatem, & capitis exonerationem. Sed à blando calore excitatur catarrhus, non quia dissoluit cerebri humores, sed quia generat in corpore vapores, nec eos potest dissoluere: calefacit caput molliendo, non vsque etiam exsiccando. Igitur vapores caput replentes, à quo calefacto etiam, sicuti à cucurbitula trahuntur, & non educuntur, sed spissantur compressione, & loci angustia, & in fluores vertuntur: qui proinde destillant in fauces: & hoc neque multi vapores faciunt, vt patet in ebriis, nisi frigus repercutiens accesserit. Et talis fluor calidus, & ardens esse solet, & virides, & flauos mucores facere pro natura & assatione humoris. Idcirco vulgo dicimus Solem veris mouere, & non resoluere; & Lunæ lucem esse catarrhalem, non autem ignẽ, et æstiuum Solem, qui catarrho contrariantur. Ebrij ergo, & patientes cruditates, & comedones: & qui allia, porros, cæpas crudas manducant; vapores, & succos ingenerant, qui in capitis angustiis vertuntur in aquas, & quocunque minimo frigore catarrho corripiuntur: absque quo somno, & grauedine, & dolore tantum affici solent. Hi etiam nutriunt podagram, & chiragram ex stillatione: & tamen catarrho vacant. Ergo catarrhus non est a destillatio, sed ad fauces, & per repercussionem additam à frigore, vt dictum est.

Catarrhum fieri post incalefactionẽ, à frigore.

Curatio.

IGitur catarrhos ex repletione vini, & ciborum factos cum repercussione, sanabis inedia, & vini priuatione per aliquot dies, saltem duos. Nihil prodest venam secare, sed obest, nisi ple-

Cura exterior.

thora adsit humorum multorum cum sanguine in catarrho, præsertim suffocatiuo. Potus esto deinde aqua, in qua mel, & semina coriandr. parum ebullierint. Caue à niue, & frigidis Cibus erit ius calidum cum oleribus tenuis substantiæ, & odoribus paucis, sed acutis. Fuge panem, & carnes, prȩter auiculas, aut modicum vitulinæ post duos dies, & micas. Si vinum addideris propter stomachum, dilues feruenti aqua, more maiorum, & Persium nostrum instaurato. Nihil enim magis obest in hoc morbo, quam frigus, & cibi corpulenti, & vaporosi, acrésque, quales porri, allia, vinum, cardui, quæ tamen cocta prosunt; & nihil, neque pyrum, aut pomum manducabis, nisi coctum. Adde saccharum. Manè parum edes, sed in nocte vel nihil, vel confectas saccharo amygdalas, seu cucurbitas, vel oua duo recentissima sorbebis. Hȩc enim pectus aperiunt, & fauces: nec caput vapore infestant. Aula erit calida siccáque.

2 Pharmaca clysteres ad diuertendum. Thuris, & sulphuris suffitus: caput linteis mundis thure suffumigatis operies. Quidam bracellis propriis calidis clunium calore, caput operientes noctu, surgunt sani de lecto mane. Medici aqua calida caput lauant, absterguntque non inutiliter: sic enim frigus excutitur, & vapores extrahuntur. Sed caue ne humiditas relinquatur in capite, aut aërem vel modicè frigidiusculum aspiciat. Frigus enim facilius regreditur introrsum per apertos poros. Vnges caput oleo rutaceo, aut irino, aut &c. calidis, vbi frigus multum conceperit. Si autem modicum, sufficiunt iam dicta absque lauacro, & vnctione. Frictiones totius corporis valdè vtiles sunt; & cucurbitulæ absque scarificatione, nisi fuerit suffocans, & anginosus catarrhus. Item embrocationes & emplastra, quæ diximus de dolore capitis agentes, in deteriori catarrho adhiberi possunt.

Cura intus & extra.

3 Considerabis etiam an destillatio sit insipida, pituitosa, vel atrabiliosa, flaua, viridis: similiter & mucores. Et clysteres subministrabis, & cibos contrarios. Gargarismi, & sternutatoria valdè prosunt. Item sacculi de origano, pulegio, roremarino, lauro, betonica, nuce moschat. caryophyl. cynamom. secundum artem. Item quæ destillationem prohibent, vt tabacci puluis, & cuminum deustum, nigella torrefacta, pulegij sicci flores panniculo alligati ad odorandum. Item suffitus prædictarum rerũ, quas sacculis dicauimus. Adde aloën, santala, ambar. eosque

pastilos,

pastillos,quos Lusitani afferunt, carbonibus impone.Hæc omnia in suffocatiuo auge,præsertim frictiones, & scarificationes, masticatoria,sternutatoria,& clysteres, vt fiat diuersio : & si tempus datur ; adde cauterium occipiti.

4 In cauterio antiqua purgatio per pilulas de agar. & aloë, &c. præcedant. Aperiantur aures, & nares prouocatoriis, vt destillatio discat reuerti ad fontes natiuos. Qui enim sic afficiuntur, è naribus nil purgant. Butyro & oleis fauces intus,extraque laxabis: cibis attenuantibus, melle,& cauteriis adnitere,&c. *Cura rauced.*

De paralysi, & eius cura, speciatim.

ARTIC. III.

1 CONtestantur Medici,quòd fluores neruos alterutrius lateris,vel cuiuscunque particulæ,obstruentes,crassi videlicet lentíque,sic,vt facultas animalis mouens,sensificansque transire non queat,causa resolutionis sunt. Sed quid resoluitur,cum potius religentur membra, non dicunt; nec quomodo obstrui queant si poris carent. Puto autem spiritus exhalantis, vel refugientis,vel membrorum à suo recto situ excompaginationem,dici resolutionem. Hæc quidem in cerebro obstructionem incipere toto : alioquin esset apoplexia ; sed in spinalis medullæ, vnde originem laterales nerui habent,hinc vel inde influxum obstruere:aut aliquot parium septem neruorum à cerebro incipientium, vt patet cum os,aut lingua resoluitur. *Causa paralys.ex Medic.* *Cur dicitur resolutio.*

2 Victus ergo primo corrigatur, ne fluores faciat, sed tollat. Deinde ventriculum,ne submittat fumos ; deinde caput, ne demittat : deinde locum patientem, vt quos habet emittat, liberetúrque. *Cura in victu.*

3 Vinum primò prorsus non bibat, sed melicratum : cui saluia,& cynamom & rosmarinus incocta sint, & coriandr. semina. Faciunt alij potum cum zinzibere,pipere longo, galanga,cardam. nuce mosc.caryophyl.decoctis in aqua mulsa,&c.Mensuram pones pro effectus requisiti ratione. *In potu.*

4 Cibo primis diebus, vel tribus abstinebis,melicrato contentus,aut prisanæ succo,& odoribus pullorum,non carnibus:inedia enim & febris paralysim,(& spasmum facilè tollunt,humores exsiccãdo, & nouos non adiiciendo.Postea vtetur cibis multi spiritus,& modicæ crassitudinis,vt ouis sorbilibus, pincis,amygdalis, auiculis, *In vtrisque.*

auiculis,&c. vt in catarrho. Somnus modicus & nocturnus, semper tamen sit in cubiculo dies per faces accensas: vmbra enim noctis auget fluores. Sero paucum, mane aliquantulum esto nutrimentum. Fuge panem & consimiles ei cibos, vtere herba, sinapi, brassica,&c. incisiuis, subtiliatiuis. Moriuntur Romani hoc morbo & consimilibus, quoniam omnia pulmenta de pane, seu pasta, conficiunt.

Quid missio sanguinis. 5 Sanguinis missio mihi suspecta est in his morbis, ex quo manum, & pedem sciatica laboranti mihi conuulsit. Indigemus sanguine ob calorem, & humorum crassorum eductionem. Validi sint clysteres, vt ventriculi, & intestinorum sordes, mittentes vaporem sursum, extirpentur: ac fluxus inuitet alios ad centrum humores. Adhibe vomitum prouocantia, &c. quæ ventriculum emundant. Clysteres fiant ex malua, althæa, calam. mercur. saluia, betonica, cynamo. stœchad. ruta, fœnic. bened. lax. mel. ros. oleis calidis, laurino, irino, rutaceo,&c. sale gem.

Syrupi & pharm. 6 Syrupi fiant deinde pituitam respicientes, & crassos humores, vt sæpè diximus. Medicina purgans sit ex agar. & pilul. fœtidis, Arab. assaieret. & ex his, quæ respiciunt caput: nam repetere sæpius oportebit. Dabis exinde theriacam, & mithridatium. Addes suis vicibus sternutatoria, masticatoria,&c. Sic enim corriges caput. Idem odoramentis confortatiuis, & linimentis ex castoreo, menta, irino, & laurino oleo: quibus semper modicum aceti ad penetrandum, & incidendum, addes. Rades etiam caput, & inunges.

Particularis pharmacia.

Exteriora pharmaca. 7 Mox radices neruorum affecti lateris curabis oleis calidis, vt anethin. chamomill. laurin. liliac. de spica,&c. Item balneo, in quo decocta sint rosmar. saluia, hypericon, maiorana,&c. lauabis, & perfricabis latus, & neruorum initia: & pelle vulpina, vel agnina operies. Sacculos exsiccatiuos addes de rosis siccis, thure, milio, maior. castoreo, & similibus. Addunt vnguenta Aregon. Martiat. Agrip. cum oleis costino, vulpino, de castoreo, de vermibus, de pulueribus piper. betonic. salis, euphorb. & cera: ex quibus secundum artem in vnum redactis vngitur locus affectus. Possunt eiusmodi multa addi, & componi, prout res postulat, & morbi magnitudo,&c Item cerotum de stæchad. beton. sab. nigel. euphorb. castor. verbasco, sinap. pipere, terebinth. & oleis præfatis, & cera. Item cucurbitulas absque scarificatione, vt trahant sanguinem, & calorem ad locum patientem. Frictiones quoque,

& agi

& agitationes, vel modicas. At sulphureæ aquæ & aluminosæ, quales Puteolanæ, maximè prosunt: consimilisque aër Item sudatoria Tritolis vocata, & arena calida operire membra vsque ad sudorem: sed medicata, qualis in insula Pitachusa, & vinaceis recentibus, sæpè repetitis. Eadem remedia applicabis resolutionibus localibus vesicæ, cruris, linguæ, oris, præcedente purgatione, & rectificatione ventriculi, & capitis; & victus, & potus.

De conuulsione speciatim.

ARTIC. IV.

1 Conuulsiones quoque easdem habere causas arbitramur; musculorum scilicet, & neruorum obstructionem, & spiritus abscessum. Siuè sit rigor ceruicis, siuè inclinatio ad anteriora, vel ad posteriora: nam etiam quæ per consensum fit, vt aiunt, & agnatione ad conuulsum membrum, siuè ictu venenati animalis afflictum, abscedente spiritu fit: & dolorifica causa intrante per communicationem vaporosam, & inflammationem. Videmus etiam eos, qui à iudicibus torquentur brachiis suspensos fune, nullis confluentibus ad manus humoribus, sed potius recedentibus, inflari manus, & conuelli, ita vt spiritus in eis esse non videatur. Perseuerant alij per annum, alij semper cum rigore manus, & stupore ita, vt eis vti nō valeant. Ergo sanguinis in venis & extra venas, aliorúmque humorum à calore attenuatorum, inflantur flatibus: spiritus vero compressis, & quasi exsiccatis neruis, recedit: vel si adest, eos mouere non potest, à sua symmetria per contractionem alienatos. Quos etiam frigus corripit, rigidi moriuntur. Item & quos fulmen tenuissimum absorbens, depascénsque humores, & spiritus.

2 Haud tamen propterea asseremus, omnes spasmos fieri repletione, vel inanitione, vt Medicis videtur, exemplo fidium neruosarum: quæ vel arefaciente calore, vel infusa aqua seu intrante, contrahuntur. Nullum enim tali arefactione fieri spasmum in animali viuo intelligere possumus. Hoc enim si esset, maximè hecticis eueniret: quorum nedum humor adnatus, sed etiam innatus neruis, & adiacens, consumitur, Medicorum omnium testimonio. Nihilominus nunquam spasmo sicco affici visi sunt, neque hoc nisi à frigore sæuo, omnes humores, atque spiritus cōstipante, densanteque fortiter ita, vt moriantur, vel à calore vehe- *An detur spasmus siccus.*

menti, absorbente spiritus, & humores, inuenio. Nam qui per arenosam Lybiam ambulant exsiccatissimi, ipsíque & hectici, & senes centenarij, nunquam huiusmodi conuulsione afficiuntur. Ipsos quoque neruos si secabis quorumcunque aridorum, madefactos intus, & extra inuenies.

Respons. ad rationem contrar. 3 Cum ergo dicunt, quod à crapula, & à cruditatibus & catarrhis sequitur spasmus humidus, sanabilis per exsiccationem: ab euacuationibus verò sanguinis, & alui immodicis, & à sudoribus, sequi siccum spasmum, destitutis neruis humore euacuato: nequaquam istud probant experimentis: semper enim ros, & inungentes liquores perseuerant circa neruos, dum viuit animal. Si quando autem istiusmodi spasmi succedunt febribus, & euacuationibus, lethales, credo, sunt. Etenim abeunte spiritu ab aliqua parte, statim riget, vt in ecstasi probatur, & in profundissimis somnis. Tanto magis autem si & humorum euacuatio præcessit. Cruciatæ manus in tortura, organorum afflictione, & contusione, & extensione nimia tenentur, ita vt spiritui libero non valeant implantati obedire: oleis deinde, & brodiis pinguibus, præsertim intestinorum animalium, quæ neruosi sunt generis, lota, & perfusa brachia, & manus instaurantur: nerui enim pinguedine aperiuntur à compressione, & neruoso decocto reficiuntur: & spiritus implantati odoribus, & vino confortantur ad pristinos vsus. At ex solis sudoribus, & febribus, & fluxionibus alui posse tales fieri inanitiones radicalis humoris neruorum, non intelligo. Testatus est & Medicus eruditus Santarellus Nolanus, se huiusmodi siccos spasmos vidisse nunquam.

Mihi vero iuueni cum Medicus sciaticæ gratia secuisset venam brachij, postridie obriguit à brachiali manus; cum iterum secuisset venam pedis, conuulsus est pes à malleolo ad digitos vsque: non quidem propter inanitionem neruorum ex emissione sanguinis ortam, sed quia abeunte calido sanguine, crassiores facti humores frigidi iuncturas, & neruos inuaserunt. Forsan hoc expertus dixit Hippoc. & inanitione fieri spasmum; sed spiritu abeunte nerui conuelluntur, quoniam humores remanentes addensantur: ideóque mollificatiuis indiget medicinis potius, quam exsiccatiuis.

Cura. 4 Nos autem curabimus conuulsiones omnes non aliter ac resolutiones, in victus, & ventriculi, & capitis, & affecti loci emendatione: neque enim siccum spasmum, nisi morientes ap-

prehendere putamus. Neque mihi humida, nisi vt vias aperirent, sed exsiccantia, attenuantiaque profuerunt medicamina, super omnia tamen gulæ correctio.

5 Spasmum à consensu, curat principalis patientis medela.

De coxendicum dolore, seu ischiade, vulgo sciatica; & simul de podagra, & cæteris articularibus morbis, & curatione.

ARTIC. V.

1 EX iam dictis liquido constat causam doloris in magno coxæ articulo, vbi ischias siue sciatica dicitur, & in genu, & dolorum in articulis pedum, & manuum, & vertebrarum, & inio, ex destillantibus humoribus in eas partes fieri; haud quidem intra neruorum poros, sic enim motus, & sensus impediretur: sed inter fila, & inter corium, & ossa, & neruos. Oportet ergo bene crassum esse, qui compressionem tantam, & dolorem, & impedimentum ad motum facere queat: non tamen totum simul confluere: alioquin per meatus fluxionis dolor vagans dirus sentiretur: qui tamen modicus solet sentiri, & aliquando nullus. Crassescunt autem humores copia aucti, & calore tenuitatem soluente. *Causa ischiadis.*

2 Cum autem fuerint acres, & biliosi humores, minus crassescunt, sed dolores faciunt acutos, pungentes, diros, non tamen durabiles; attenuati enim exhalant. Cum fuerint crassi, & pituitosi, & quasi mucores; dolores pariunt obtusos, graues, sed durabiles: haud enim facilè dissoluuntur: immo lapidescere aliquando solent in iuncturis. Indicat iuncturarum color, & tumor, eorum naturam. Tumores enim alij flaui à bile: alij subnigri ex sanguinis fæce: alij albidi ex mucoribus: alij mixti: & profectò bilis sola haud vnquam has fluxiones init. Ætas, & anni tempus indicium dabunt: aliis enim ætatibus, & temporibus, alius abundat humor; vt in lib. 1. docuimus. *Differentia.* *Indicia differentiarum.*

3 Vtrum autem humores è ventriculo, & intestinis ad articulos ferantur, aut ex capite fluant, sicutè cælo, dubitabit quis. Hippocrates enim tradit quendam fuisse, qui colicis doloribus afficiebatur, quibus cessantibus fiebant articulares: cessantibusque *Quæstio, an humores articularem morbum facientes defluant ex capite, an ex visceribus.*

articularibus, iterum colici insurgebant: causa nimirũ nunc foras, nunc intrò migrante. Item affecti doloribus articulorum statim à prandio, & crapula dolent magis, vt vix tempus potuerit esse creandi cruditates, & vapores, ac ex his fluxiones tandem in articulos. Sed constat magna ex parte colicam fieri à flatibus, qui si in caput ascendunt, coacti in fluores, destillant in articulos: cum vero retinentur, vexant compressione colon. Haud tamen negem repercuti à centro ad peripheriam, non secus atque à peripheria ad centrum vapores & fluores, vt dictum est prius: sed generatio propriè in articulos labentium, manifestè fit in capite. A prandio etiam statim leuiores, & minus dolentes sunt talibus capti morbis, vt in me expertus sum, eo quòd subitò spiritus multi fiunt, qui corpus facilius vectant, & ad partes exteriores, & articulos promptè distribuuntur: verum post duas horas fere à cibo dolores augentur: cum crassiores vapores densati ex capite defluunt. Nec transpirantium societas illis deest.

Causa. 4 Causa ergo materialis princeps est fluor destillans: huius autem fumi, fumorum crassorum minera est ciborum ingluuies, & crapula, & cruditas: concausa est coitus nimius, qui spiritus educit foras, & crassitiem relinquit. Item vigiliæ, curæ ingentes, tristitiæ, & cætera huiusmodi; quæ spiritum à bene coquendis cibis, & sequestrandis excrementis, distrahunt, & minuunt. Præterea somnolentia multa, & ocium, quæ non elaborant coctiones, & sequestrationes, & expulsiones excrementorum, vt in prima parte philosophiæ realis docuimus. Item omissio exercitiorum, & suppressio excrementorum, & hæmorrhoïdum, mensium, & sudorum, & aliarum occasionum, quibus expurgatur sanguis, & viscera.

Concausa.

5 Addunt Medici nimium exercitium, agitationem, equitatum: at hoc per se falsum est. Videmus enim fossores, agricolas, & remiges, & quicunque multis, continuísque laboribus occupantur, nullis articulorum malis vexari; sed expeditos ad omnia. At si qui fuerint nimis repleti vino, & cibo quotidie, & tempus coquendi non dabunt spiritui, difficiles erunt ad laborandum, & simul cruditatibus scatebunt: at non sicut qui ingurgitati litterarum studio statim attente vacant, spiritu ex ventriculo ad caput reuocato. Item qui veneri, spiritum educentes cum semine, & qui remanet, non erit potens ad

ad coctiones, præſertim verò ſi ſtantes coëunt: ſpiritu enim deſcendente ex capite, & ventriculo ad veretrum decidunt fluxiones ad iuncturas. Vnde & qui plurimum ſtant, hoc malo periclitantur: qui etiam equitant, nec ſuis ambulant pedibus, vt Neapolitani, ſi præſertim abundanter cibantur, podagra ſæpius laborant, agitatione ſcilicet in pendulos pedes humores ferente, & ſpiritus ſurſum eleuante. At in coxendice magis, cuius agitatio, & calefactio, & contuſio in ſellam articulos magnos calefacit, & percutit, vnde ſtatim dolor magnus incipit, & mox fluxio. Ita euenit equitanti mihi tota die agitato incitatóque curſu: etenim obtuſo dolore coxendices dolere cœperunt. Cœnaui ex cerebro porcelli, inter cætera, quod fluxioni eſt aptum; dolui in profundo coxendicis cum ſomno excuterer, eram adoleſcens 23. annorum, non multum eruditus in medicinalibus: bibebam frigidum, cum viro principe, veſcebar lautè: ingraueſcebat dolor: & per menſes plures decubui. Sanguinis detractio, in pede, & manu ſpaſmum fecit, abeunte calore. Sanatus in balneis, & ſudatoriis Puteolanis ſæpè cantatis, donec omiſſo frigido potu, & lauto victu in peregrinationibus, exſiccatus, & per cauterium, incidi in febrem tertianam, quæ me prorſus ſciatica, & cauterio liberauit poſt duos annos. Et tunc concipere altius cæpi, quam cæci ſint Medici in morborum cauſis, & cura dignoſcendis!

Curatio.

6 IN ſciatica ergo aliquando incipit dolor in profundo coxendicis, vt mihi in principio; aliquando in lumbis, vt cognoui in recidiuis pluries. Sentiuntur ſæpè humores inde prolabi, & fieri dolores in femore, & genu vſque ad pedes, ibíque conſiſtere, vel in malleolis, vel in nauicula, vel in calcaneo, vel in digitis. Aliis totum crus dolet, quibus deſtillationis copia maior. Aliquando etiam inguina afficit, & veſicæ obeſt. *Iterum ſciatica.*

7 Victus ſint olera modicorum excrementorum: aues montanæ, oua ſorbilia, modicus panis. Fuge craſſos ſuccos gignentia alimenta. Item allia, cæpas, & huiuſmodi, quæ vapores faciunt multos, & acumine vias pandunt ad iuncturas. Sit ergo totus cibus ad ſtypticitatem, caliditatem, & tenuitatem inclinans, & ſicut diximus in reſolutione, & catarrho. Potus non ſit vinum vllo modo, ſed mulſa cum ſemine coriandr. & cynam. vel aqua in qua ramuſculus roriſmarini ſit decoctus: hæc planta mirè con- *Cura à cibo & potu.*

fert neruis,iuncturis, oſſibus,& capiti, & exſiccat deſtillationes. Quapropter in epulis ſemper ponenda,ſicut & ſaluia; neque acumen faciunt ad penetrandum. Si coactus fueris vino vti,vtere albo ſubaſtringente,aqua roriſmarini diluto.

Craſſos cibos & potus non prodeſſe,niſi ad fœdus:ſed magis obeſſe

8 Errant Medici valdè,putātes vinum rubrum,& carnes craſſæ ſubſtantiæ prodeſſe dolentibus articulis,eo quod ſubtiles non faciunt fluxiones,quæ ad articulos penetrare queant:faciūt enim fumos craſſos, & cruditates mineras fumorū, qui condenſantur in capite ad ſtillādum. Ergo nutriunt morbum,dum fœdus cum eo inire volunt imperiti Medici.Etſi enim ſubito non nocent, vt acuti fluores,quia tardius parantur: tamen longius,& crudelius, & irreparabilius nocent. Etiamſi verum eſſet quod aiunt, non à deſtillatione, ſed extrauaſatione humorum fieri in iuncturis concretiones,& dolores.

An valeat phlebotomia.

9 Mox curā à ſanguinis miſſione non inceptabis,quoniam Galenus curatū quempiā ſola venæ ſectione vna tantū die narret:id enim verum eſt,vbi ſanguinis plenitudo,& aliorū humorū erūpit in articulū multa ex vaſis,malūque gignit,quod etiā in non articulis accidere queat:non autē ſi cruditate, & deſtillatione paratur malū.Igitur ſtatim vinum,& cibū ſubtrahes ægroto,ſaltē per diē:deinde cibabis melicrato tantū:deinde dabis olus, & parum carnis aſſatæ,& aquā de roremar.&c.Deambulationes,& equitationē vetabis.Concedes motū placidū in domo.Odores caput cō. fortantes dabis,& vomitum eodē die prouocabis, & videbis mirabilia.Et quicunque primum dolorē ſentiunt,in quocūque articulo,ſi ita vixerint,ſtatim; non durabit morbus ad tertium diem. Ne autem reuertatur per duas hebdomadas, cauebit à pleniori cibo,& potu, & ſanus erit. Doloris locum oleo, & ſale confricabis,aut pelle, aut ſacculo odorato munies. Sufficit tamen ne frigido ſedili, aut rebus humidis articulum credas.

Cura à principio facile ſanat.

Cura poſt principia.

10 At ſi malum non eſt in principio,accedens Medicus regulam viuendi dabit præfatam. A coitu,& curis, & equitatione arcebit:præcipuéque à balneis, quæ viam fluxionibus faciunt. Vtilia tamen ſunt,correcto prius ſtillicidio,ad diſcutiendum morbi reliquias,deinde & excrementa.

11 Mox vomitum ab aſſumpto cibo prouocabis,& tunc cibos multos, & vomitui faciles dare licebit, & humidos: vt cæteris mixti humoribus, cum acceſſerit prouocatio, exeuntes eos extrahant. Dabis etiam ſtomachoſas res, ipſius quoque rhabarbari

infuſio

infusionem, vt stomachatus vomat, quibus leuia non prosunt vomitoria, de quibus in lib. 5. Deinde etiam clysteres addes, vt intestina mundentur, quorum sordes præsertim inueteratæ crudeles sunt ischiadibus, & gonagris, & podagris. Fiant autem de agar. polypod. saluia, ruta, chamæp. semin. anis. & fœnic. stœchad. & oleis irin. chamom. rut. vitellis oui, &c.

12 Præterea coxendicem, aut genu (sunt enim eiusdem medicaminis dolores) oleis inunges, non autem balneis: ne humores calore, & apertione accrescant, nisi post purgationem. Adde oleum vulp. iuniper. costin. aquam vitæ, & vnguenta Mart. & Agrip. vt supra.

13 Compones fomenta, & cerota ex dictis in paralysi, & aliis, prout commoditas, & res ferent. Adde storacem, & bdellium, nitrum, sal, aristolochiā, & quæcunque siccare, & attenuare valēt. Vteris ex pharmacis purgantibus, & præparātibus, vt in paralysi.

14 At si neque his cedit morbus, fiant vulnuscula coxendici per cucurbitularum applicationem: præterea erucas, quæ nasci solent super calcem arena coopertam, & in parietibus nouis oleo frixas, & calidas coxendicis articulo alligabis, & vulpina pelle teges. Si pergit, iterum ad vomitus, & clysteres: & tandem ad sinapismos ex euphorb. cast. sagap. sinap. cera, melle anacardino; cantharid. nitro, sapone. Item iberide cum axungia, coxæ alligata. Faciunt enim tumores, ad quos mucorem articulo impactum accersunt. Et in balneo sudent, vt extrahatur penitus, à quo sani exilire solent. Absterges locum vino, oleóque. Sudatoria Agnanæ mihi profuerunt; sed nullum pharmacum gula non correcta prorsus, iuuat. Solent apud Barbaros cauteria diuersiua, & inustiones circa lumbos, & similia adhiberi. Sed tempus, & diæta omnes soluit mucores, præsertim iuuentutis errata. Clyster de aceto, & sebo arietis castrati vtilis est ad fæces veteres extergendas; sed dysenteriæ periculum facit. Omnia probaui. Correctio victus inuicta sola victrix, & labor, & lætitia comites. Inustio solennis orientalibus, saluberrima.

Continuatio curationis aliorum articulorum.

1 Eadem sanè erit curatio podagræ, chiragræ, & aliorū articulorū. At si non sola destillatio sit in causa, verū etiā ex venis exudans sanguis, & cæteri humores ob ipsorum copiam, & venarum laxitudinē, & arteriarum crassitiem, non potentium elaborare adnatarū venarum succos (id quod Medici non aduerterūt) tunc

tunc licebit venam secare, & reprimentibus nequaquam vti, ne impurus sanguis in viscera nobiliora reflectatur: propterea enim laudauimus criticos abscessus in iuncturas in præcedentibus sermonibus. Quomodo autem id agnoscatur; ex dolore, colore tumoris; & victu, & vita præterita, & ætate, & anni tempore, dictum est priùs.

2 Secabis autem brachij venam in morbis pedum; in morbis manuum, pedis e directo positi. Cucurbitulis etiam vtere, & clysteribus, & frictionibus, vt humores attenuati transpirent, & fame, & siti consumantur.

3 Lenies profundum dolorem rosaceo oleo, & aceto, superficialem lacte caprino, farina fabæ, fænigræci, lupinorum. Item decocto violarum. Faciunt etiam de mica panis, & rosaceo, & croco, & lacte, cataplasma. Thus addunt, ammon. galb. &c. nec enim nimis calida, ne dolorem acuant, & assent mucorem; neque frigida, ne astringant.

4 Cibus sit vt in ischiade; & vinum prorsus tollatur, hoc enim vnico remedio vidi Alexandrum quendam quinquagenarium podagra sanatum. Potus ergo sit aqua, in qua rosmar. & cynam. ebullierint; & alia, superius enarrata.

Dolorum artic. à bile cura.

5 Articulares dolores à bile, præfata requirunt, & pharmacum purgans bilem, & res lenitiuas acutorum dolorum. Addunt Medici stupefactiuas: sed cum incommodo. Membrum enim stupefactum, digerere non potest. Supefaciunt semperuiua, cicuta, hyoscyamus, &c. Vtere violarum, origani, satureiæ, & endiuiæ, decoctione tepida: quam pueri rostro vasis superinfundet supposito pedi in catino paulatim.

6 Cibus his tempestiuior, & minus calidus, vt succus ptisanæ, endiuia, caro modica anseris, &c. ne inedia humor exacuatur valdè. Sed si sufferre dolores queant, citius ita sanantur.

A pituita.

7 Dolores à pituita maiorem inediam petunt: & attenuantes cibos, & aquam cyn. & pharmacum pituitam purgans, & clysteres, & frictiones, & capitis inunctiones, & purgationes, vt in catarrho, & paralysi dicebamus: trahentes etiam à iuncturis, vt in lib. 5. His gutta vini aliquando conceditur, quæ vix agnoscatur.

A mistura atræ bilis.

Cum miscetur atra bilis, misce etiam medicamenta ei contraria, de quibus sæpè; scribimus enim ad ingeniosos viros.

8 Balnea medicata, & arenæ, & vinacea iuuant valdè; si tamen

præci

præcideris fontes morbi, id est gulam, ventriculum, caput; alioquin reuertuntur. Nec etiam antimonium, & euacuantia à juncturis proderant Lælio Vrsino; dicebat enim se breuiorem vitam cum voluptate, quàm longiorem citra satisfactionem gustus, magis velle: propterea nunquam sanatus est quin recideret.

9 Tueatur ergo à podagra, & chiragra futura, te victus sobrius, satietas imperfecta in mane, reliquiæ famis in sero, labor, & impigritas: modicus somnus, & stramen lecti plenum siccis myrti foliis; aluus, & viæ excretionum faciles. Frictio juncturarum, oleo, & sale: purgatio bis in anno, &c. quæ in philosophiæ realis p. 2. dicta sunt: sed victus ratio, & exercitium sunt satis. Ego enim in tenebris, & vmbra mortis ad apoplexias, epilepsias, & paralyses, & articulares dolores quosque cogente, sola diæta, & animi celsitudine, omnes huiusmodi per plurimos annos, Deo duce, paruipendo: & solo sulphure, myrrha, & thure, omnibus, & capitis, & pectoris malis victor obsisto. *Præseruatio à morbis articulorum.*

10 Ad tollendum gypsum, & tophum, in articulis enasci solitum calidorum medicaminum vi, vtuntur caseo vetustissimo acri, & pipere contrito in brodio suillæ carnis: item ficubus tritis, item althæa, & herbis emollientibus. Sed medullæ ossium, & coctorum intestinorum iura, & olea, & pinguedo hominis occisi, plus valent. Aqua vitæ cum oleorum quintis essentiis. Væ tamen ei, qui huc vsque doluerit. *Contra gypsum, & tophum juncturarum.*

De morbis organorum cognoscitiuæ primalitatis.

CAPVT, VI.

1 Reuocat nos consideratio morborum organici cognoscitiui, hoc est oculorum, aurium, nasi, linguæ, & oris. De tactus enim læsionibus, cum ad totum corpus pertineat, & spiritus sensificantis viæ, idest, nerui eas patiantur, dictum est in læsionibus neruorum: dicendúmque erit, cum singillatim alij morbi examinabuntur: quoniam cum omnibus eos implicari liquidò constat. Aggrediamur igitur oculorum prius passiones.

De morbis oculorum, & causis, & numero generatim.

ARTIC. I.

1 MOrbi oculorum varij, ac plures sunt: aut enim læduntur spiritus in dispositione, & colore: aut totius oculi fabrica eradicatur, extrahitúrque, aut destruitur. Vel patitur crystallinus humor, vel vitreus, vel aqueus: vel vuea, vel cornea, vel adnata tunica: vel caro, vel neruus; quarum passionum ratio vel est inflammatio, vel destillatio, vel excrescentia: vel vlceratio, vel obstructio.

De cæcitate nocturna, & diurna: ipsarúmque cura.

ARTIC. II.

Nyctalop. causa duplex.

1 EX spiritus crassitie nimia, seu tunicarum densitate, accidit, vt ea obiecta tantum' videantur, quæ sunt valdè illuminata, atque mouere possunt luce sua, & magnitudine spiritum, vel tunicas penetrare, si tunicarum est crassities: idem enim accidit. Horum morbum Plinius vocat cæcitatem nocturnam, Medici nyctalopiam, quoniam cum aduesperascit, non vident: nec in aulis, vbi non multa est lux.

Nyctalop. ex spiritus tenuitate, aut laxitate tunicarum.

2 Quibus autem spiritus sunt tenues valdè, vel tunicæ oculorum laxæ, à quacunque minima luce mouentur; videntque ergo melius in interliminio noctis atque diei, quam in multa luce meridiana; ab hac enim afficiuntur valdè ita, vt cognoscitiuum alienetur, vt accidit in omni passione. Antipheron tales oculos, & spiritus habebat, quibus etiam propriam imaginem in aëre continuo cernebat, aliis non visam, quanquam consimiliter repræsentatam.

Cura naturalis nyctalop.

3 Horum passiones si naturales sunt, nequaquam sanari posse credo: conducit tamen his frigidis, & astringentibus liquoribus oculos lauare, & eiusmodi cibis vti. Illis vero calidis, & attenuatiuis, & abstersiuis, & spectaculum disgregatiuorum colorum, vt niuis, &c. Oculi catorum, & nocte ambulantium prosunt ex arte applicati.

Cura accidentalis.

4 Sin vero ex accidenti fit nyctalopia: ocularibus vtere laxæ consistentiæ, multiplicantibus lucem valdè.

Prætereà incidatur vena in angulis oculorum, & humeralis, si sanguine crasso abundant. Fiant clysteres purgantes vapores, & humores crassos, & sternutatoria, & masticatoria sæpè dicta, præsertim ex pipere, sinapi, & staphide agria, &c. Edulia hyssopo, origano, fœniculo, & pulegio condiantur: aqua stillatitia vrticarum oculi affricentur: vel fœniculi, & sinapis: istorum etiam mistione potus, qui erit aqua cynam. temperetur.

5 Si progreditur malum, purgetur scammonio, castoreóque, prout videbitur. Absterge oculos aluminis puluere cum melle, aut felle hircino, vel succo cæpæ cum lacte muliebri, vel iecoris hircini, dum torretur, cadente succo. Continuabit in cibo idem iecur. Oculi ceruini, & capreæ siluestris, & aquilini, & in puluerem redacti cum melle, affricatio prodest ex magia. Magis autem oculos nycticoracis, & leporis, & animalium noctambulorum.

6 Cæcitatem diurnam iuuant ocularia strictæ consistentiæ, quæ res paruas repræsentant, & inunctio baccarum myrti, & iecoris galli, & cibus ex carnibus animalium solarium; idest aquilæ, leonis, galli, arietis; & similiter oculi in puluerem acti, & res stypticæ, vt myrobal. mespila, sorba: aquæ frigidæ in mane lauacrum, & colores congregatiui, viridis, niger, cæruleus.

De visus duplicitate.

Artic. III.

1 QVi autem rem vnam duplicem vident, innominato morbo, qui visus duplicitas dici queat, laborant. Hoc autem accidit, quoniam alter oculorum à situ suo magis eleuatur, aut deprimitur, altero situm non mutante in oppositum, quod mihi accidit quandocunque volo alterum variare: cui si quis credat apparitioni, est delirus ex imperitia, vel inaduertentia. Cuius morbi superioribus in sermonibus curam descripsimus. Sic duplices Soles, & geminas se ostendere Thebas videbat ille apud Poëtam delirans. Ebrij etiam sic interdum afficiuntur emotione oculi. Contingit cuipiam humoribus ex altera parte infestato oculo eadem apparitio; quod ne fiat opticos neruos natura decussatim compaginauit, licet Vesalius in sectionibus deprenderit hominem, cui non erant optici coniuncti; nec tamen res duplicatas cernebat. Bene quidem: at situm eundem tenebant, cui vsui est illa coniunctio deseruiens: *Causa duplex visus.*

Cura. haud tamen negem absque illa situm seruari posse. Hos curabis oculum ad sui situm deducendo.

2 Consimile accidit nimio dolore affectis, & in athleticis certaminibus ludicris, vt oculus exprimatur foras, quasi pendens suis e radicibus, cum acies obtusa gladij inter ipsum, & ossum adnatum subierit.

Oculum ergo repones in loco suo, & locum vino absterges, & melle, & croco illitum panniculo albo duplicato conteges, & in occipitio cucurbitulam appones, vt humor diuertatur, nec confluat in oculum. Frontem aqua marina frigida humectabis, & reprimentibus.

De pupillæ dilatatione, & diminutione.

ARTIC. IV.

1 PRæterea accidit oculo pupillam valdè dilatari, & turbidam obscuramque fieri visionem, nec posse claudi; aliquando stringi valde, nec posse dilatari: & hîc obiecta apparent maiora quam sunt, in dilatatione minora.

Medicorum opinio, cur in densatione obiecta maiora, & in dispersione minora.

2 Medici dilatationem humiditati expandenti: diminutionem siccitati tribuunt: & videri maiora visilia veris in illa ob spiritus densationem: in hac autem minora ob spiritus dispersionem.

Cura.

3 Vtuntur victu humectante in diminutione, exercitio membrorum superiorum, frictione faciei, & oculorum contrectatione per extremos digitos. Vngunt caput vnguentis moderatè calidis, oculos collyrio attrahente humores ad dilatandum, videlicet ex ammoniaco, lycio, croco, ærugine, &c. Item balneo, & capitis calida lotione, &c. In dilatatione sanguinem emittunt, cucurbitulas in occipitio apponunt, vt humor recedat. Faciem in marinam aquam oculis apertis immergunt. Vtuntur astrictiuis modicè, vt rosa, croco, thuris cortice, acacia, &c. ex his etiam faciunt collyrium. Addunt myrrham, aloën, & mel. A valdè astringentibus consulto abstinent.

Sententia propria.

4 Nos autem experti pupillam dilatari in vmbra, vt obiecta intrent: in luce stringi magis, quum maior est lux vsque ad caput acus, ne lux oculum dissoluat: nequaquam ex dictis causis fieri semper dilatationes, & constrictiones. Etsi enim omnia foramina, etiam ani, cum salsos pisces, & acetosa manducamus, fiant strictiora: cum verò pinguedines, & brodia, laxiora. Cùm tamen

pupillæ

pupillæ dilatatio,& constrictio sit arbitraria, ægrè istis causis adscribitur. Videmus etiam plurimos, quorum oculi semper humidi, & lacrymantes, hoc malo non affici: aliorum verò siccos affici. Omitto rationem illorum oppositam. Galeno enim fit visio exeunte spiritu ex oculis, & aërem alterante. Si ergo vnitior erit, erit & fortior, ac minus patietur ab obiectis; ergo minora ipsi videbuntur. Dispersus patitur magis, ergo maiora sibi erunt. Ego quoque ocularibus vtor strictis, per quæ qui sunt visu sano præditi, omnia vident minora veris; ego verò æqualia, & sine ocularibus maiora, sed confusiora, indistincta,& turbida: vel non video cùm sunt à longè, præsertim stellas tertiæ,& quartæ magnitudinis. Ergo vnio spiritus, vt ipsi volunt, vel lucis deferentis obiectum, in nostro dogmate, res minores veris faciet, sed distinctiores. Pertransco rationes prospectiuorum de angulo maiori, & minori.

5 Fortasse in morbo constrictionis, spiritus modicus est, non vnitior. idcirco magis ab obiectis afficitur. Etenim accidere solent post euacuationes multas, & vehementissimas capitis dolores, quibus minuitur spiritus,& impotens fit ad dilatandum. An neruulus ambiens extremitates vueæ quasi marsupij filum, excremento aliquo nodatur, vt non possit dilatari ibi, neque hîc constringi; multæ me mouent cogitationes in re quam expertus non sum. Propterea ad causas præcedentes respiciendum: idest, inanitiones, repletiones, debilitationes: & iuxta earum qualitatem medicamenta inuenienda.

De coloratione oculorum.

ARTIC. V.

1 QVando obiecta videntur alterius coloris à verò: oportet vel humores, vel tunicas oculorum eo colore infectas esse: nam per viridia ocularia, vel rubra; cernimus cuncta his coloribus tincta; ergo lux subiens oculos, fœdata oculi colore; & non spiritus exiens, facit visionem. *Causa.*

2 Horum medela erit aduentitios colores oculis auferre per diuersiua,& purgationes humorum, à quibus fiunt. Icterici enim croceum à bile oculum habent: ergo medicamen euacuans bilem proderit; sic de cæteris. Oculos etiam collyriis absterges, & vapore corticis aurantiorum, & similibus. *Cura.*

De subobscuritate oculorum.

Art. VI.

1 Contingit etiam obscuritas oculis absque visibili causa:non enim humores,neque tunicæ apparent non puræ.

Causa ex Medicis non recta.

2 Hoc autem non accidit ex spiritus crassitie, vt putant Medici:vel enim spiritus nequit adeò crassescere,vt obscuretur ; vel fit cæcitas nocturna. Ex hac causa,quam tunicis potius adscriberem densatis,neque densationi humorum, & lentori ista obscuritas referenda,vt putant;aqua enim condensata, & glaciata non obscuratur,sed plus excipit lucis ob causas dictas in Phys. & spiritus etiam vnitus lucidior,& cælum densius.

Causis veras ex accidentibus venari.

3 Cum autem ista obscuritas ob capitis percussionem sæpè fiat, & post mœrores, & dolores,& in senio : manifestè fit ob spiritus disiectionem, & diminutionem , absentiam, & turbationem humorum. Contingit enim opticos neruos obstrui ex hac turbatione,& ex senio exiccari, aut excrementis repleri, spiritu purgare iam non valente : vt plurimum verò ex multis repletionibus , & crapula genitis vaporibus fuliginosis , & crassis , qui opticos replent neruos,spiritum obnubilant , & in pugna occupant. Vnde grauitas capitis,& ad radices ipsorum oculorum sentitur.

Cura obscuritatis ex mœrore.

4 Causas ergo ex præcedentibus disce. Mœrores enim , & turbationes lætis rebus,& modis curabis,sicut dictum est prius : sedabis Musica turbatos spiritus , ac proinde humores , lætisque nunciis : aqua cordiali cum foliis auri,&c.

Ex plenitudine.

5 Qui ex plenitudine obscurantur , venarum sectione in angulis oculorum,& humeri cephalica : cucurbitula , & scarificatione in occipitio:hirudinibus in temporibus, diuersis tamen vicibus. Purgabis pharmaco corpus : & frictionibus, sternutamentis , masticatoriis. Aliquando proceditur ad sinapismum in capite.Clysteribus ne parcas. Collyria ex aquis fœniculi , chelidoniæ , rutæ, melle,pipere,aloë,myrrha,ammon.parabis. Non cessante morbo repete euacuationes iam dictas : & collyria noua,&c.

6 Abstineat prorsus à vino. Vtatur decocto fœniculi, & cynam. in potu. Cibis attenuantibus, non crassis , non fumosis : & qui spiritus lucidos generent. Fugiat iras,mœstitias,agitationes multas;solem,balnea,coitum,somnum multum,&c. Vtatur ouulis, &

carnibus

carnibus animalium acuti visus, & solaribus plantis, & lapillis, & animalibus, vt in lib. 5. Præterea semina heliotropij maioris, florem instar solis producentis, & alba grana multa, proderunt in cibo & collyrio, &c.

De suffusione; eiusque cura.

Artic. VII.

1 CVm in humore aqueo intra corneam, & crystalloidem, *Ratio &*
crassiuscula quasi puncta, & fila, vel aranearum, appa- *causa suffu-*
rent; si cum mordicatione ventriculi fiunt, nec sunt perennes *sionis ex Me-*
nisi eo turbato, indicant è ventriculo fumos impuros vsque ad *dicis.*
oculos eleuari: at cum perseuerat passio, præsertim in vno oculo, & videntur quasi culices, & caliginosæ res oculis obuersari, ac visum impedire vel ex parte, nec obiecta tota distinctè repræsentantur: tunc, aiunt Medici, fieri suffusionem, seu cataractam, ob spiritus imbecillitatem, seu frigiditatem: idcirco senibus, & post passiones, & ictus euenire solere. At cum perfecta fuerit, totum visum impedit.

2 Ridiculum quidem est putare spiritus frigefieri, & propter- *Confutatio.*
ea nubeculas apparere imbecillo. Immo quo frigidior aëris constitutio, eo purior visio. Turbatur autem calidis, crassisque vaporibus. Et cum in confesso sit, ventriculum aliquando esse in causa, cur ad frigus confugimus?

3 Dicimus ergo in humore aqueo, cum impurificatur, & sor- *Vera causa.*
descit, fieri talia fila, & puncta, vt patet in omnibus aquis ita affectis; quæ corneæ concauo adhæréscunt, & crescunt, donec totam ambiant. Indicat hoc vitrum telescopij, & ocularium ita euenire, cum est impurum. Videmus etiam quasi pilas in aëre nigras, vel subuirides in mane, & cum aspexerimus solem; & illæ impuritates luce affectæ colorantur, & paulisper colorem retinent.

Arbitramur etiam in ipsa cornea, vel vuea affigi id impurum, aut humorem viscosum, & augeri. Hunc autem humorem puto esse vitrei effluxum aliquem ad aqueum, aut à vitreo incipere corneam paulatim suffundi, crescere que suffusionem vsque ad pupillam paulatim.

4 Propterea ergo cura erit per attenuantia, & incidentia *Cura.*
humores, & abstergentia. Bibat ergo aquam hordei cum mel-

le

le coctam. A vino fugiat æger. Venam non secabis, nisi plethora adsit. Clysteribus vtere, & sternutatoriis, & masticatoriis purgantibus. Oculum quinta essentia potiùs, aut oleo seminum fœniculi, & cæpæ succo illines. Item fel cerui, aut capreæ destillabis per alembiccum, & illo linies oculum: penetrat enim corneam, & dissoluit crassescentem humorem, & adhærescentem mucorem vitreum. Si purgari oportet, erunt syrupi de oxymelle scyllitico, & aqua stillatitia fœnic. maior. beton. vrtic. Purgabitur pilulis lucis, & cocciis, & sine quibus, &c. Iuuat in occipitio cucurbitula scarificata, & cauterium. Proderunt alia collyria ex fœn. chelidon. myrrh. croc piperе, sagap. sed tenuissimæ stillatæ aquæ, & oleum quintæ essentiæ plenius operabuntur. Non frigidâ, sed aceto oculos lauabis tepido, & misto tepenti aquæ. Exsiccabis cerebri sinciput oleis eiusmodi, & aqua vitæ, & cataplasmatis, quæ non faciant humores descendere, sed exsiccari: ac vitreum præsertim attenuent, incidántque, non indurent. Hic valent per magiam res solares, & oculi solarium animalium: & spolium serpentis in puluerem actum, mistúmque felli destillato aquilino, vel caprino, &c. Serpens enim fœniculo mundat oculos; hyrundo chelidonia sanat. Lyncis oculi, & fel mirabiliter in oculi passionibus hisce proficiunt.

5 Cum fuerit perfecta cataracta, credo his rebus abstergi posse, alioquin punctionibus Chirurgiæ vtendùm. Liberauimus Laurentium quendam à suffusione veteri sexdecimannorum, immisso per Chirurgum acu argentea in angulum oculi intra corneam fortiter, & mox obliquata ad interiora, donec acutie abrasit pániculum corneæ adhærescentem, & in frustula dispersit: extractáque acu nil aquei humoris exiuit, ac statim crocum, ouum, & aquam fœniculi in bombyce applicuimus oculo: iussimusque ægrum sic permanere aliquot dies: deinde oculum abstersimus, donec spiritus per opticos cœpit experiri regressum: ac perfectè vidit.

De vngula, eiusque cura.

ARTIC. VIII.

1 EXtrinsecus verò tunica adnata oculum compaginans solet excrescere in quendam processum similem vngui super corneam: & cum peruenit ad pupillam aditum luci, obiecta importanti, obstruit.

2 Quia

2 Quapropter oportebit illam secare Chirurgorum magiste- *Cura vngulæ.*
rio:& vulnusculum sanare. Potest etiam antequam crescat impediri per victum attenuantem, & potum ex aqua rorismarini absterliuum. Adde clysteres viscositati oppositos, acres, videlicet, incidentes:& si necesse fuerit, etiam purgationem communem, qualem contra tales humores pituitosos scis conferre. Vngulam ipsam mollificabis decocto maluæ,& althææ,&c. deinde affricabis felle, & puluere pumicis, & testæ sepiæ, misto cum melle. Conteres etiam aceto sal ammon. atramentum sutorium, chalcitidem vstam, æs vstum, & huiusmodi excrescentias corrodentia, applicabisque cum melle,&c.

3 Vbi suffusio exterior vngularis inueteratur,& intra corneam, veluti sal,& saccharum intra confecturas, immergitur : non proderit amplius exterior cura.

De phlyctænis, earúmque cura.

ARTIC. IX.

1 INnascuntur etiam corneæ tunicæ quædam vesiculæ, seu pu- *Quid & quot.*
stulæ, quas phlyctænas vocant, eò nigriores, quò exteriores. Siquidem quatuor tenuibus membranis constat cornea : & sub prima,& sub 2.& sub 3. fiunt, emergúntque foras, sicuti morbilli. Deteriores autem sunt, quæ profundiores, & albidiores ex corneæ colore sunt.

2 Has puto sanari oportere, non secus atque morbillos; fieri- *Cura.*
que ex excrementitiis humorum fæcibus. Et cum adest inflammatio & plenitudo, sanguinem minues, vt supra;& cucurbitulis, & clysteribus diuertes humores; in subobscuro cubiculo, ne lux exagitet morbum feriendo,& spiritus accersendo.

3 Ex oui vitello, croco, opio, sapa, coctis cotoneis,& granatis,& pane, efficies emplastra, quasi lenia, ne exasperent,& linteolis delicatis applicabis,& replicabis, latis vsque ad nasum,& malam:& tempera, vel potius liquidis vtere collyriis, ne oculus grauetur, ex croco, lycio, acacia, aqua ros. commistis,& guttatim instillatis. Lauabis transacta inflammatione decocto melil. fœnigræc.&c.

quam in grumum indurescat, & nigrescat. *Cura.*

2 Adstrictiuis ergo vtere à principio, quo venulæ consolidentur, vt mastice, & oui albumine, &c. & aqua salsa in fronte. Mox excuties sanguinē per sympathiā, instillando oculis sanguinē columbæ ex pennis nouis alarū, vi extractis, stillantē. Valet & lac, & thus, & oui albumen tepens, caseus recens sine sale: folia rosarū albarum, crocus, melilotus, vt, &c. Mox fœnugræc. decoctum bis in die iuuabit, transacta si qua erat inflammatione. Inueteratis ac nigris raphanus proderit. Nunquam obliuiscaris fœniculi, & chelidon. & oculorum solarium animalium.

3 Vtebatur Porta mirifico collyrio statim sanante, cuius non memini; sed in libro magiæ suæ inscriptum inuenitur, & in mei repentinam oculi afflicti, & sanguinei sanitatem, coram multis perfecit, suis ipse manibus instillando.

Præfata medicina Portæ hæc est. ℞. vini græci caraffas duas Neapolitanas: aquæ stillatitiæ rosarum albarum, libram semis. chelidoniæ aquæ similiter ℥. ij. fœnicul. eufras. & rutæ tantūdem. tuthiæ præparatæ per septem ignitiones, extinctæque in rosacea mista vino græco ℥. iiij. caryophyllor. indorum ℥. iiij. sacchari rosati canditi ℥. j. camphoræ ℥. ß. & aloës ℥. j. Res pinsendæ subtiliter pinsantur, & misceantur aqua. Aloë cum non possit in puluerem conteri, vt incorporetur aquæ: pone modicum aquæ iam descriptæ in mortario, & diligenter remisce, donec vertatur in aquam, & fiat instar salsæ; & hoc donec commisceatur aquæ, & vniatur aliis rebus. Pone deinde in vase vitreo operto, benéque glutinato, ne euanescat: & expone soli, & rori, per quatuor dies remiscendo ter, & quater in die. Et sic consummata seruantur ad vsum, contra inflammationem, nebulas, fistulas, suffusiones, & alios huiusmodi morbos oculorum.

De pure intra corneam.

ARTIC. XIII.

PVs sub cornea genitum ab vlcere, vel inflammatione, vel eruptione ex vasis suppuratis, sedato vlcere, & inflammatione minues, & extrahes attenuantibus, & abstergentibus, & destillato felle; & quibus eraditur vngula. Hîc valent medicamina ex destillatis oleis, & succis, corneam penetrantia

ſubtilitate nimia, ne exterius calefactum plus induretur: ſed inciſum, & attenuatum, euaneſcat.

Deſtructæ oculorum fabricæ inſtaurationem neſcit, niſi faber eorum Deus.

De ophthalmia, eiuſque cura.

ARTIC. XIV.

1 INflammatur quidem adnata oculi tunica, vel ſanguinis vitio, & plenitudine, quod rubor oculorum & lippitudo, & lacrymæ declarant. Et tunc à principio cephalicam ſecabis venam; & cucurbitulas cum ſcarificatione in occipitio addes.

2 Vel acrium humorum concurſum, aut craſſiorum, ex cacochymia redundantium; quod multæ ſordes ſalſæ, acres, ſiccæque docent: & tunc contentus cucurbitula, vel miſſione ſanguinis in plenitudine: pharmacum purgans miniſtrabis ſecundum artem. Frictionibus, & diuerſiuis vteris.

3 In cubiculo temperato, & ſubobſcuro decumbat æger: vino priuetur; vtatur mulſa cum fœnic. &c. veſcatur ptiſana cum oleribus tenuibus, & frigidis: non autem carnibus, præſertim humidis, & valdè nutrientibus. Viride velum oculis adhibeat, vel nigrum, ſi ad lumen ire cogatur. Linies oculos lacte calido ex mammis mulierum, fœnugræci decocto, & oui candido. Frontem ſuccis roriſmarini, plantaginis, ſolatri, foliorum ſalicis, cucurbitarum, &c. Balneum purgato ieiunóque prodeſt valdè. Vtere fomentis, & aquis fœnugræci, fœniculi, roſarum, eufraſiæ, pompholygis, & huiuſmodi ad diſcutiendum reliquias, &c.

4 Acida, & ſtupefacientia, oppoſitis extremis de cauſis declinabis.

De ægylope: eiuſque cura.

ARTIC. XV.

1 AEgylops vocatur tuberculum inter oculi angulum, & oſſum naſi ſolitum naſci, quod in fiſtulam ex incuria verſum bis ipſe vidi. Difficile autem curatur, quoniam medicamentum difficilè applicatur: nec retinetur abſque faſtidio ingenti, & totius oculi occupatione; & propter loci gracilitatem.

2 Si

2 Si vero adsit inflammatio ex sanguine, aut constitutio ex acribus humoribus: fiat venæ sectio, scarificatio cucurbitularum, & corporis purgatio, vt in ophthalmia. Applicabis remedium ex glaucio, croco, & parietariæ succo sæpè. Prodest & ruta cum primo lixiuio trita. Item limaces triti vna cum testis suis. Aliáque multa apud Medicos inuenies, & Chirurgos: cum fistulascit, est quasi curæ cauterij.

De contagiis oculorum.

ARTIC. XVI.

1 PRæterea oculi spiritu pleni, perspicui, & delicati contrahunt morbos solo aspectu morbosorum: sicuti speculum aspectu menstruatæ maculatur. Et hoc malum igne, aceto, & diuersiuis soluitur, antequam lædat humores; & rebus contra pestem armandi sunt delicatorum oculi. *Vid. lib. 4 de sensu rerum.*

2 Præterea oculos virulentos esse, inficeréque aspectu declarat fascinum, & menstruatæ speculum, & filum corruptile. Non quia spiritus pestiferi ex pupilla egrediuntur, vt Medici putant; sed vapores virulenti ex adnata tunica, & lux reflexa ex aduerso, tincta oculorum specie praua; de quibus alibi.

3 Oculos fascinantes vix sanabis purgationibus in senio, & habitu prauo donatis. Qui autem ex accidenti tales fiunt, cũ menses supprimuntur in mulieribus, sanabiles sunt per pharmacum purgans prauos humores vetustos, vt ex helleb. antimon. & præcedentibus præparatiuis, consimilibus his, quæ dantur peste affectis; & continua oculorum lotione cum aqua rosſ. & aceto.

Dantur amuleta contra fascinum plura, quæ alibi reperies.

De morbis aurium generatim.

CAPVT VII.

1 AVribus contingit dolor multiplex: sonitus præter naturam, verus, & falsus; surditas, grauitas, vlceratio, &c.

De aurium doloribus, & cura.

ARTIC. I.

1 CVm dolent à frigore aures, quod quidem omnibus cartilaginibus inimicum est, ossibus, & neruis, exanguibúsque *Cura doloris aurium à frigore.*

partibus:id quod ex præcedentibus agnosces, & quia nulla grauitas,neque acumen in dolore;tunc calida instillabis olea, vt irinum, rutaceum, & cæt. atque calida cataplasmata, & sacculos, & cæt. totam aurem ambientes, applicabis. Confert etiam si sal, allium, cæpa, piper, & huiusmodi in oleo ebullierint. Item fomenta.

A calore. 2 Cum à calore,quod præcedentia,& feruor quidam purus indicant,frigida olea, vt rosi. pop. &c. adhibebis,lac,solatrum, &c. Haud tamen frigidas res summè applicabis,vt niuem.

Ab inflammatione. 3 Si etiam inflammatio aderit, quod febricula, & dolor pulsatilis manifestant; detrahes insuper sanguinem, & frictione, & clystere auertes, & cucurbita. Iniicies adipem gallinaceum, aut anserinum: applicabis lac muliebre, albumen oui, & res obstupefacientes, ne inflammatio cæteris neruis, & membranis cerebri communicetur: temperabis opium castoreo, & sapa, &c. secundum artem.

Ex suppuratione. 4 Si suppuratur phlegmone, extrahere curabis, & lini succum cum rosaceo,& chamomil.adhibebis.

Ex viscos. humoribus. 5 Cum viscosi humores obstruentes dolorem pariunt, præcedentia, & grauitas auris declarabunt. Aperient absque rosione vias oleum amygdalinum,& amaræ amygdalæ,& aristolochia;& vitis albæ radix,centaureæ min. folia.

6 Si spiritus inflans egredi non valeat calidis discutietur;sonus eius est index.

De sonitu auris.

Artic. II.

Opinio Medicorum de sonitu auris. 1 Sonitum auris fieri à flatu egredi non potente putant Medici. At si calidorum applicatione, & capitis purgatione per pilulas,& sternutatoria,& masticatoria, non defecerit:tunc acrimonia auditus fieri autumant; nam inediæ tempore crescit. Sed quæ,& in quo sit acrimonia sensus,non docent.

Historia. 2 Equidem exquisitissimo auditu natura donatus nunquam hoc malum expertus sum,nisi ex quo in subterraneo carcere degere coactus sum:& primò cœpit in aure sinistra sonitus quasi locustarum, & ventorum sibilantium tenuis: nec putabam intra me illum esse;deinde cœpit in dextra,& aucti sunt paulatim: ita quod quasi ventos immites sentio semper insufflantes, & sibilantes,sicut solent cum per angustias transeunt;sed propriè intra

cero

cerebrum veluti rumores trochearum paruularum, quibus qui ſericum ex folliculis calida in concha exglomerant, fila aduoluunt,& in rotas exinde magnas intorquent; creſcunt cum nimis vigilo, aut nimis ſtudeo,& lucubro.

2 Inedia, & exercitio minuuntur. Haud tamen pharmaca, præter quædam olea calida, adhibui abſque adiumento; neque enim datur mederi. Cæperant minui, nunc in idem ergaſtulum reuerſo aucti ſunt. Soleo thus,& ſulphur apponere: ſed aër calidus ſiccúſque magis prodeſt.

3 Quando igitur ſpiritus non poteſt expellendæ humiditati operam dare, ſed aliis incumbit exercitiis, ſibi ſoli & non corpori communibus, tunc augetur ſonitus. Ergo à flatu fit, ex humiditate concepta intra tympanum auris, ſolutáque calore ſpiritus procul dubio; nunquam tamen penitus excludere potentis. *Concluſio, vnde cauſam habeat.*

4 Acrimonia autem ſenſus nihil eſt, niſi ipſius ſpiritus tenuitas, & vigor, qui flatum non facit, nec ſonitum præter naturalem implantato aëri intra tympanum: ſed accidentalis, craſſitiei molem vincens in flatum vertit modo.

Remedium ergo eſt capitis exſiccatio, & expurgatio: olea enim fœdus cum morbo, non victoriam parant, niſi princeps cauſa diſſipetur. *Curatio.*

5 Viſcoſi autem humores nequaquam ſonitum edunt, vt Medicis placet: ſed potius obſtructionem, ſurditatem,& grauitatem auris: nec enim facile in flatum vertuntur ſolo auris calore, niſi è ventre aſcendant: ſed omnem ſonitum à ſolo vento fieri putandum.

6 Qui etiam ex morbis conualeſcunt, ſonitum quendam ſentiunt, ex eo quod ſpiritus debilis ſordes excutere non poteſt: febris enim omnem flatum exſiccat,& cauſam. *Nouæ rationes cauſam patefacientes.*

7 Qui prope criſim ſonitum patiuntur: palam eſt, quod ſanguis cum flatu ſurſum ad nares confluens, eſt in cauſa, quo erumpente ſimul ceſſat ſonitus.

Similiter qui à percuſſionibus fiunt, humore, & vapore attractis fiunt. Medela ergo ſemper erit principalis cauſæ deſtructio.

De

De surdis, & surdastris.

Artic. III.

Surditas à flatu non fit.

1 SVrditas à flatibus fieri nullo potest modo. Ego enim tot annis flatibus laboro, & quasi ventos vehementes audire videor, nil tamen sensus externarum rerum immutatus est. Immo præ multis sociis, & hominibus ipse exquisitius audio à longè valdè, ita vt mirentur qui putant se per me, tam à longè murmurantes non audiri.

Surditas naturalis à quo.

2 Surditas à natura auditoriorum obstructione, aut meningis carentia, euenit: & hi omnes muti absque voce, non absque sono, sonus enim naturalis est: vox per auditum addiscitur, & sermo, &c.

Correctio Medicorum.

3 Medici vel à biliosis humoribus fieri surditatem dicunt, vel à crassis, viscosisque: at si obstructio est in causa, à quocunque fiat humore, facit surditatem: sed longè minus à bile, quæ tenuior præ cæteris est.

Hipp. iudicium comprobatur ratione & historia.

4 Verus est sermo Hipp. quod alui deiectiones biliosæ soluunt surditatem accidentalem, quæ in crisibus fit, quoniam etiam à capite omnes humores educunt consequenter: & quod cessantibus deiectionibus obsurdescunt quidam, sed non omnes: sed in quorum caput ascendunt humores multi vsque ad aures, cum præsertim sordes aurium biliosæ sint ita, vt videantur cauterium excrementorum bilis, sicuti nares excrementorum pituitæ: oculi excrementorum roris. Vidi etiam puerum quadriennem, qui fœtidas sordes semper, & suppurationes in auribus habebat, nec dum loqui valebat: putabatur mutus, audiebat tamen vocem, & sonum, & imperata capessebat. Acciderunt autem illi deiectiones biliosæ, & aqueæ per tres dies, & statim aures sanatæ sunt, & loqui cœpit rectè, sicuti pueri eiusdem ætatis; & ita pulchriórque perseuerat iam septennis. Ergo dantur crises etiam naturales absque morbis. Ille enim in cæteris rectè valebat, & plurimum edebat; & omnes malitias purgatio tollit, præsertim si naturalis.

Cura surdastrorum.

5 Surdastri ergo purgandi sunt pilulis cocciis, & masticatoriis, & sternutatoriis, capútque siccandum; in aures iniicienda olea dissoluentia crassitudinem, vt anethi, irin. lauri, &c. & succus rutæ, & castoreum cum melle. Ego tamen fomentis incitiuis plus

tribuo,

tribuo, vt si in aceto coquantur thus, sulphur, cynam. piper indicum rubrum, limonum acida, origanum, absinth. maiorana, & huiusmodi; horúmque fumus auribus excipiatur bis in die ieiunis. Ratio enim valde suadet, his posse attenuari humores, & aperiri vias.

6 At si nec conuulsio adest, nec resolutio, sed destructio meningis, fit surditas immedicabilis. *Surditas incurabilis qua.*

7 Prosunt per magiam quæ auditu vigent animalia, vt lupus, vulpes, mus.

8 Terpander surdos Musica sanauit discutiente humores, & spiritum alliciente, & ventilante ad aures; quod vtilius si dentibus citharæ capulum surdastri tangant. *Cura ex Musica.*

9 Prodest etiam cornu argenteum se dilatans in aërem, non secus ac ocularia prauè cernentibus: colligit enim aërem, sicut vitrum lucem. Vtilius erit æneum, & quò gracilius, melius: hinc fieri possunt differentiæ plures, sicuti ocularium. *Auricularia analoga ocularibus.*

De vlceribus aurium, & parotidibus.

ARTIC. IV.

1 VLcera aurium, sicut & cæterorum membrorum, curantur.

2 Parotides verò, quæ glandibus adiacentibus innascuntur, tubercula sunt; quæ cum fuerint critica, naturæ iudicio sunt relinquenda: cum vero per se fiunt, sicuti apostemata curantur, mollificantur, suppurantur, secantur, absterguntur, incarnantur, &c. *Cura.*

De morbis olfactus.

CAPVT VIII.

1 TOllitur olfactus per obstructiones, vitiatur per fœtores; minuitur per amputationem nasi, & per catarrhum: contingit & abscessus febrilis pustularum, puris, & sanguinis profusio. *Auttollitur, aut vitiatur, aut minuitur.*

De narium obstructione, & cura.

ARTIC. I.

1 OBstructio duo mala infert, alterum pulmoni, alterum voci: mucores enim, quibus purgatur cerebrum in pulmo- *Obstructio narium quibus obest.*

nem reflectuntur;cuius morbos post modum curabimus,aut fauces obstruendo, vocem vitiant. Si autem in capite retinentur, morbos soporiferos parant. Præterea impeditur spiritus cerebri,quo minus odores sentiat;neque cerebrum eis confortari, & spiritus refici possunt.

2 Quapropter conandum est pituitosas has viscositates per odores aceti,piperis,sinapis,& huiusmodi, tollere: quorum aculei, quasi cunei, penetrant, incidúntque mucorem, ac stimulant spiritum ad expulsionem.

3 Quæ si non proderunt, vtemur pilulis de agarico ad capitis exonerationem; deinde frontem, & spongiam osseam narium oleorum calidorum destillatione crebra tentabimus. Addemus sternutatoria de succo tabacci, de pulueribus castorei, hellebori albi, nucis mosc. &c. Vel fiant quasi pastilli de semine staphidis agr. pyrethr.piper.albi,nigellæ,struthij, hellebori albi,tostis cum terebinth. & cera, actis in formam pyramidis, naribus includendi, &c.

4 Canis sagacissimi, & vulturis, & vulpis nares in puluerem actæ,his mistæ,& epotæ etiam conferre possunt: similiter cor, & cerebrum destillata acuunt odoratum. Venus præest olfactui, si sit in bono situ cum Marte, Saturno, &c.

De fætorum, & ozænarum cura.

ARTIC. V.

1 FOetores extraneos facile declinamus: sed qui fiunt intus à putridis humoribus,vnde omnes cibi fœtere ægrotis videntur, per purgationem humorum tolluntur; qui autem ex vlceribus nati, si vlcera sanentur. Quorum principatum tenent ozænæ, quæ sunt vlcera narium profunda, & putrida: graueolentia ita,vt separent maritos ab vxoribus.

Ozænarum causa apud Medicos.

2 Medici causam dicunt acres, putridos humores; sed cur in aliis partibus non fiunt,tacent. Puto equidem aliquid cancro simile esse; & ex sanguinis fuliginosi vitiati fœcibus fieri, & propterea mulieribus suppressis mensibus plerumque accidere; vt Principissa Besediarum; & altera fœmina, vtraque incurabilis, testantur. Cum autem in cartilaginibus nati radices egerint, confirmantur,& regnant à venis nutritæ, se inde expurgantibus. Fuit fœmina, cui suppressi menses qualibet lunatione per nares purgabantur: sentiebatque sanguinem ascendere intensione hy-

pochon

pochondriorum. Solent in mammillis eadem ratione oriri cancri, quoniam menſtruus ſanguis in lactis officinam non purgatus accedit.

3 Purgabis ergo corpus pharmaco contra bilem atram, & purificabis ſanguinem aloë, & ſanguinaria; deinde caput confortabis, radendo prius, & imponendo oleum roſ. gallam immaturam, acetum, folia ſalicis, myrrham, & huiuſmodi adſtringentia per dies nouem. *Cura.*

Adſtringentia etiam ad repellendum vlceri adhibebis, & diſcutientia quod eò confluxit morbificum. Valent pulueres myrrhæ valde in ſanguineis vlceribus, & aluminis virtutem probaui, & oleum ſulp. ſal, crocum, thus: quorum pulueres in nares inſufflabis ad vlcus. Prius autem abſterges melle inſtillato, & per ſternutationem eiecto. Vinum album auſterum proderit ad idē. Sanant pulueres mirificè, & præcipuè quinta iſtarum rerum eſſentia: excuſat enim à ferro, & igne, tanta ipſius eſt vis.

De quibuſdam morbis narium dicere nil oportere.

ARTIC. III.

CVram catarrhi ſuperius declarauimus. Abſceſſus à febriculis, naturæ idcirco relinques: ſimiliter criticum puris ex capitis intrinſeco apoſtemate effluxum; ſanguinis quoque poſt conflictationes, vt in quarto libro de criſibus agentes docuimus.

De ſanguinis profluuio ex naribus.

ARTIC. IV.

PRofluuium ſanguinis ex naribus quidam ob percuſſionem & caſum patiuntur ita, vt difficile ſiſti poſſit. Aliis ex inſolatione, & exercitio ſanguis attenuatur, & feruet: &, ſicut vinum nouum vtrem, rūpit venam. Aliis accidit hoc ſponte ex ſanguinis copia, & tenuitate ſurſum tendente, exitūque crebro moliente. *Cauſa fluxus ſanguinis.*

Eadem remedia cunctis valent ad ſiſtendum fluxum: ſed ne iterum fiant, oportet horum rectificare ſanguinem cibis, & potibus, qui parum ſanguinis, & craſſum, non tenuem gignant, vt vinum rubrum, aquoſum: vel melius eſt aqua ciſternarum, cucurbitæ, endiuiæ, carnes anſeris, anatis, cum agreſto, vel abſque brodio, vel modico, modica caro: pedes vituli, & arietis, &c. portulaca, & bugloſſa in brodio, & iam dicta. *Cura.*

3 Siſtunt ſanguinem venæ ex aduerſo directę ſectione Medici, & ſtringendo ligulis iuncturas manuũ, & pedum, vt ſpiritus eò vertatur cum ſanguine: cucurbitulam jecori affigunt; capiti epithema de plantag. ſolatr. portul. polygoni, & ſimilium ſuccis frigidorum: linteum aceto madidum ceruici. Ex oui albo, thure, aloë, & leporis pilis componunt centonem naribus apponendum, & ſuccum menthæ exprimunt, & ſpongiæ particulam aceto feruido madidam, ſtercus aſininum, aut porcinum torrefactum, ſuccum caudæ equinæ, goſſipium vſtum.

Equidem concham aquæ frigidæ paraui, cum Medici Abbatiſſæ ſanguinem ſiſtere nequirent: iuſsíque pedes nudos imponi; & repentè fluxus ceſſauit. Prodeſt etiam teſticulos frigida, acetóque perfundere, & ceruicem, vt retrocedat ſpiritus cum ſanguine: & tunc nares adſtringentibus, & ſolidantibus fouebis. Vtuntur Conſtantinopolitani ſanguine ſicco hominis rubri, quo ſtatim refugit ad interiora fluxus per timidam antipathiam. Iaſpide & ſanguineo lapide quidam ſanantur, quod expertus deprehendi inutile. Poſſunt longo tempore geſtata prodeſſe, non autem extemplò.

De amputati naſi inſtauratione.

Artic. V.

1 Amputatus naſus adhuc calidus vulneri appoſitus conſutuſque ſeruatur vniturque, non ſecus ac inſitus plantæ ramuſculus. At cum particula amputata perditur, & vulnus inueteratum incruſtatur, reficere nouerunt naſum Calabri Tropienſes: quorum refectos vidi multos, ex proprij brachij interiori muſculo, non alieni; quando enim ille moritur, moritur & particula naſi ex eius carne refecta, vt diximus in 4. lib. de ſenſu rerum.

Eſt familia in Tropea naſorum amputatorum medica.

Curatio.

2 Cruſtam ergo abradunt, renouant carnem, & in brachij carne interiore vulnus oblongum faciunt, in quod calentes nares immergunt; ligant brachium capiti per 20. dies, & paſcunt glutinoſis carnibus patientem, vti autumo, non enim interrogaui. Interim nares agglutinantur brachio, & concreſcit ſanguis in carnem; deinde reſecant vna cum contenta carne naſum informem, ſanant brachij vulnus, & reformant naſum ad ſuam originem, ſuperfluaque recidunt, pulueribus, & ſuccis conſolidant, quæ neſcio, ſed facile eſt coniicere ex Chirurgia.

De morbis organi gustus.

Caput IX.

COntingit linguæ, primario gustus instrumento, paralysis, & conuulsio impediens motum, & sensum, de quibus iam loquuti sumus: præterea ampullæ, & vlcera, & inflammationes. Item obstructiones, spongiæ, vt sensile non admittat, & interdum omnia vnius saporis videntur, videlicet, aut amara, aut insipida, aut, &c. *Morbi organi gustus.*

De obstructione, & fallacia gustus.

Artic. I.

1 OBstructiones linguæ acetum aperit, propterea præmittuntur acetosa, vt gustus impedimenta tollantur: vel interponuntur in mensa, quando pinguedo incipit nimis opplere, aut crassitudo cibi obstruere: vtrique enim est vsui. *Cura obstruct.*

2 Res obstruentes, si biliosæ sunt amaræque, cibum quoque amarum apparere faciunt, vti cornea crocea visilia omnia crocea: si insipidæ, similiter insipida; si fœtentes, fœtentia. Remedium erit illos humores purgare, qui talem falsitatem in gustu faciunt, sicut dictum est in lib. 4. *Cura alterati saporis.*

De asperitatis cura.

Artic. II.

ASperitatem linguæ aceto, & saccharo tolles; simul enim incidunt, mollificant, & abstergunt.

De inflammationis linguæ cura.

Artic. III.

INflammationem sanguinis minutio ex vena sub lingua, & cucurbita in occipitio cum scarificatione, & applicatio refrigerantium sanat.

De balbutientis linguæ cura.

ARTIC. IV.

Balbutiunt. vel ligamine, vel imbibiti humoris copia.

IMpedimentum linguæ balbutientis si moueri bene ad arbitrium nequit, sectio ligaminum inter linguam, & inferiorem mandibulam, aufert: & capitis desiccatio, si plurimo humore completa non obedit. Gargarismi, & sternutatoria, & alia superius dicta, adduntur.

De excoriatione, & pustulis linguæ.

ART. V.

1 EXcoriationem vinum asperum cum farina emendat. Pustulas & vesicas eiusdem, & gingiuarum, succus mororum, & quies.

Cur de cæteris morbis oris & partium dicere conueniat.

CAPVT X.

QVoniam dentes, & os, & gurgulio spectant ad gustum, & vocem; quæ cognoscitiui organi sunt, istorum mala dicere simul libet.

De stupore dentium.

ARTIC. I.

1 DEntes obstupescunt acidis rebus, suo acore radices vsque dentium penetrantibus, & spiritum resoluentibus, & rodentibus humiditatem, qua agglutinantur, ac sensum disiicientibus.

Medela Ap. 2 Medela est his abstinere, vel saccharo miscere, & confecta re acida; acetaria verò sapa. Et cum passio affuerit, tollitur ciborum pinguedine, & dulcedine.

De

De dolore dentium, & cura.

ARTIC. II.

1 DOlorem dentium frigidis ex causis curabis vino calido & incocta saluia gargarizando. Malas autem oleis calidis inunge, & frontem. Pulegium, origanum, hyssopus, saturcia, verbena, sal, thus, & similia in vino calido addantur, vbi opus fuerit. *Cura doloris dentium à frigore.*

2 A calidis causis, & humoribus, acutiorem dolorem sedat portulaca, solatrum, & glycyrrhiza, parietaria coctæ in aceto: quo colluantur dentes. *A calore.*

3 Si humores in corpore abundant, qui dentibus simul obsunt, purgentur: si sanguis cum bile inflammat, scarificentur: secetur & vena, præsertim sub lingua. *Ab humoribus.*

4 Reprimunt confluentes causas in locum affectum succi portulac. cichor. ros. cum aceto exiguo. Immatura galla cum aceto calido affricata valdè prodest, & saluia, & sal ad sedandum dolores. Discutiunt melilot. orig. hyssop. fœnug. &c. Dentaria herba ex sympathia plurimum valet, & ebur, & granatum.

5 Nucis medulla, nucleum cingens, & disterminans, vsta prodest doloribus dentis: & cum vermiculus videtur innatus corrodere, claui igniti acumen.

6 Si remedia non prosunt, oportétque eruere: cinis vermium terrestrium circumraso inspersus denti per noctem, diémque vnum efficiet, vt sponte cadat; similiter eruca brassicarum affricata. Item sapæ radix calefacta sub cinere; & pyrethrum in aceto per dies quadraginta maceratum: deinde tritum asseruatúmque, cum opus erit, spatio horæ dentem sine dolore eruet; sed cæteros cera vesties, ne simul lædantur. *Cura vt cadant.*

De nigrore, mobilitate nutationeque, dentium, atque cura.

ARTIC. III.

1 DEntes liuescunt, & nigrescunt excrementitij humoris descensu in radices. Indicant hoc mulieres lithargyro, & medicatis rebus faciem fœdantes: quarum nemo misereri debet. *Cura nigroris dentium.*

2 Si

Cura. 2 Si oportuerit purgabis corpus, aut saltem caput per nares forti sternutatorio hellebori albi præ cæteris. Desiccabis prius dictis myrrha, nigella, salu. &c. Quibus etiam absterge dentes. Affricabis nitro, sale, alumine, galla, menta sicca, myrto sicco, ex quibus variæ possunt componi medelæ. Addunt alij siccas rosas, granata vsta, cupressi baccas.

3 Incarnantur sanguine draconis, mastiche, myrto, & astrictiuis.

4 Firmantur cum nutant; nutant autem exsiccato radicum humore. Vnde ego qui dentes habeo mundos, & fortissimos, cum nimis lucubro, sentio in eis acrimoniam & nutationem. Saluia, myrto, thure, roremarino, & somno, firmantur optime statim. Nutant mulieribus fuco vtentibus, quia radices erodunt.

Recipe pineam paruulam nouellam vnam, baccas myrti, cupressi, radicem saluiæ, rorismarini, thus, mastichẽ; gallam, rubum, balaust. granat. coque in vino græco optimo, & vtere decocto vel destillato eorum colluendo dentes, & retinendo in ore, quantum potes mane, & sero.

Oportet quotidie dentes abluere, & fricare ab assumpto cibo, & somno, ne reliquiæ ciborum, & influentes humores calculum aggenerent, & fœtorem, & liuorem.

De fœtore oris.

Artic. IV.

1 FOetor oris si à ventriculi corruptione manat, potentior est in ieiunis. Purgabis ergo ventriculum, vt infra docebimus, & in vase myrrhino bibes; vel aliquid myrrhæ potui impones.

2 Si fœtor oris ab vlcere gingiuarum, aceto scyllitico, & myrrhato os sæpè collues. Item decocto rosarum, gallarum cupressinarum, nucum, alum. balaust. granati, & similium vteris; maximè autem vino astrictiuo, & saluia, & cineribus præfatarum rerum; aut oleis.

Aphtharum medela.

ARTIC. V.

1 APhthæ vocantur vlcera flammantia ferè, quæ in oris superficie, præsertim infantium, à calefactis redundantiis humorum. siquidem, & rubræ, & flauæ, & albidæ, & subnigræ cernuntur. *Aphthæ.*

2 In infantibus lac nutricis vitiatum est causa, vel ipsorum praua nutritio. Curantur curata nutrice; vel mutata. Conueniunt cibi leniter adstringentes frigidiusculi, ac puri cum aliqua stypticitate, vt pyra, mespila, cotonea, caro pullorum cum cichorea, & similibus. *Causa.* *Cura.*

3 Os collues in sanguineis, & flauis, succo rorismarin. plantag. solatri, &c. vel ipsorum aquis. In albidis myrrha, mastice, cupress. vteris. In liuentibus melilot. fœnugręc. aneth. addes prædictis succis, aut aquis.

4 Eadem conferunt adultis, sed fortiora adiuncta, iuxta complexiones ipsorum itidem variatas. Additur enim inflammatis sectio venæ: aliis purgatio, prout, &c.

5 Adde glycyrrhiz. fœnugræc. &c. melil.

6 In putrescentibus gallam contusam cum melle coctam, cinerem centaurij, cupress., cornu ceruini, misce, &c. Fœniculi radicem vstam cum melle validum probant remedium.

De tonsillarum inflammatione, & vlceratione, & cura.

ARTIC. VI.

1 DE tonsillarum inflammationibus, & vlceribus simplicibus, & malignis, glandularum nimirum inter os, gulámque, vtrinque interiacentium, probè philosophati sunt Medici. Inflammantur enim à repletione nimia incalescente, & à crapula, præbentibus cibis acribus occasionem in transitu per stimulationem, & compressionem. Infantibus verò lac nimium, & non sanum: vnde difficultas accedit deglutiendi, dolor, & aliquando febris. *Causa.*

2 A principiò ergo auferto vinum, & cibos acres, & duræ itidem substantiæ, ne stimulent in transitu tonsillas. Contentus erit æger aqua hordei, & cibis sorbilibus frigidæ substantiæ. *Cura.*

3 Gargariſmi dentur ex adſtringentibus, & reprimentibus, blandè auſteri ſaporis, non acerbi; vt decoctio roſarum, palmularum, rubi, fol. vitis, cyper. ſorbi matureſcentis, ſiliquarum, &c. Si autē neceſſitas vrget ſorba minus matura, myrtus, meſpila, cotonea, quercus, ſurcula, &c. decoquantur, &c. Valent etiam flores granati, acacia, putamina pyraſtrorum, & ſimilia, ſtypticitate prædita. Componunt etiam ex aquis roſarum, plantaginis, oxal. ſolatri, prunellæ, rubi, balauſt. acac. & ſimilium gargariſmos, &c.

4 Si inflammatio vrget, ſecabis venam. Adde clyſterem: pueris ſuppoſitoria, ſi minus euacuant. Collo linientia olea, & ſuccos refrigerantes alligabis. Declinante inflammatione contrectabis leniter tonſillas, vt detumeſcant.

5 Hæc ſi non iuuerint, ſuppuratio ſubſequetur in fine exacerbationum maiorum. Idcirco iuuatur calidioribus gargariſmis ex ſeminis althææ, hyſſopi, & caricarum decoctione; & foris cataplaſm. ex farina hordei, althæa, melle, fœnugræc.

6 Matureſcente ſuppuratione, validioribus ad rupturam. Quam mox mulſa, & roſ. aqua collues ſæpè, vt incruſtetur, & mundificetur. Caue ne cibus obſit. Ingere ſorbitiunculas per infundibulum.

7 In vlceribus præſertim exſiccatarum faucium, cum ſuffocationis periculo, venam quoque ſecabis; & cucurbitulis, & menſtruis, & hæmorrhoïdum prouocatione diuertes. Vteris gargariſmis iam dictis. Vlcera non tanges manu, neque cruſtas auferes, ſed cinere arundinum, & centaurij, & ſimilium cum melle oblines. Addes gargariſmos blandos de glycyrrhiza, maſtice, myrrha, tragacantho, amylo, croco. Lac item cum terra ſigillata, & ſuperius dicta cataplaſmata. Et perfecta purgatione, & obductione, valent adſtringentium, & ſolidantium gargariſmi e ſtypticarum rerum, non acutarum; vt roſar. myrrhæ, &c.

De columellæ inflammatione, & relaxatione.

ARTIC. VII.

Curatio. 1 INflammatio columellæ eaſdem rationes habet in victu, & medicina cum tonſillarum phlegmone.

2 Si verò laxata fuerit elongataque nimis, vt multum afferat impedimentum deglutiendo cibo, & reſpirationi; extenuantibus

vtere

vtere medelis,& ſicuti in inflammatione : facile enim curatur, ſi febris deeſt,& tumor in collo,& oblongatio: vidi enim ſolo tactu pulueris piperis exſiccari. At vbi confluunt humores, caput ſiccandum: ſanguis mittendus. Purgatio per ſternutatoria, & clyſteres adhibeantur. Gargariſmi ex decocto roſarum, gallarum, oxalid. eupat. myr. thure, alum. aceto permiſto.

3 Si autem iſta non iuuerint, & ſuffocationis periculum vrget, iubet Hippocrates præcidi forcipe extremam particulam modicam tumentem, prius exceptam: vt confluat omnis humor, & detentione ſenſus ſtupeſcat, & reclinato capite ad ſanguinis abſceſſum. Colluatur decocto gallar. roſar. & rubi, & huiuſmodi, vt vulnus exſiccetur, & incruſtetur, & ſanetur. *Sectio.*

De angina.

ARTIC. VIII.

1 Aliquando contingit ſuffocationis ſenſus in gutture abſque vlla interiori, vel exteriori inflammatione; aliquando ſolæ fauces inſuper inflammantur: aliquando & fauces, & extrinſecæ partes. Aliquando etiam laxatur vertebra ceruicis ad partem anteriorem, & cauitas ibi inter duas relinquitur. Igitur angina quadruplici ratione videtur fieri Medicis, cum difficultate ſpirandi, & impotentia, niſi recta ceruice; ſimiliter tranſgluciendi; & hiatu oris, faciei, & colli rubore. *Ex Medicis forma generat. angina quadruplex.*

2 Cauſam dicunt ſanguinis in fauces confluentis copiam, propterea que ſtatim venam ſecant humeralem, & per vices eadem die. Acutiſſimus enim morbus repetitis, & aſſiduis eget remediis, quantum vires ferunt, nec morbus cedit. Addunt cucurbitulas, & linguæ venæ ſcarificationes, & frictiones, & ligaturas in extremitatibus, vt ſanguinem alioꝛſum diuertant. Menſes prouocant, aut hæmorrhoïdes; clyſteres acres parant. *Cauſa & cura.*

3 Benè quidem hæc, ſed nequaquam ſolum ſanguinem poſſe inflammationem tam pernicialem facere, ſed acres humores à cerebro delapſos cum viſcoſitatibus irritare glandes, & venas faucium, & carnes; ac proinde ſanguinem confluere, intumeſcere, & obſtruere: qui ſi purus ſit, nec putreſcat, febrem non facit; ſed ſola ſectione venæ morbus tollitur, & modicè reprimentium, & diuertentium applicatione. *Animaduerſio.*

4 Si autem febres affuerint, bilem ſimul, & humores impuroſa adeſſe nunciant: maximéque cauendum, ne in pulmonem *Cura cum complicatur febris.*

fiat abſceſſus, cum mortis periculo intra ſeptem dies. Proptereáque vndique fiat attractio iam dicta in membris: & regreſſio lenis in faucibus per gargariſmos decocti roſarum, palmularum, lentium, myxariorum, & mulſæ.

Et in vigore morbi adhibe decoctum ficuum, fœnugræci, paſſularum, glycyrrhizæ, hyſſopi viridis, nigellæ, abrotani, oxymelle; quorum magmata collo applicare, aquas gargarizare libet. Cataplaſmata etiam huiuſmodi bona ſunt. Recipiunt althæam, & maluam, & farinam hordei, chamom. melil. & ſimilia, &c. olea quoque eorundem.

Ad ſuffocationem.

5 Contra ſuffocationem, & vt deglutitio facilitetur, Galenus ſtercus canis oſſibus nutriti exſiccat, agit in puluerem, cribrat, & cum melle faucibus illinit. Nec ratione vacat etiam magica, qua pollet cinis hirundinis, & bocij, & ani gallinarũ, & colli ranarum.

6 In nouo genere anginæ, quæ concreatur Neapoli, inuentum eſt venam iugularem ſecandi in collo valdè proſperum.

De morbis poteſtatiui organici, impedientibus operationem cognoſcitiui, id eſt vocem; & communicantibus ori.

Capvt. XI.

Pectoris morbi ſeptem.

1 Conſequenter ſe habent ad oris, & gutturis morbos ij, qui in pectore fiunt ob communes cauſas, & quia lædunt operationem cognoſcitiui, quæ eſt vox, ſonúſque, licet ſint poteſtatiui potiùs labores. Iſte tamen locus ſermonem de his efflagitat. Sunt autem hi; tuſſis, aſthma, peripneumonia: ſpuitio ſanguinis, phthiſis, pleuritis, ſuppuratio.

De tuſſi, eiuſque cura.

Artic. I.

Quid tuſſis, & quæ cauſa eius analogia.

1 Tvſſis ergo eſt conatus ſpiritus ſtringentis infernè, & aperientis ſupernè guttur, cum impulſu ad expellendum aliquid noxium per arteriam, aut œſophagum: & ſicut ſternutatio in cerebro per naſum; & febris in venis: ita tuſſis in gutture.

Sola intemperies frigida non facit tuſſim abſque obice in guttura.

2 Quapropter nequaquam putandum ſolam intemperiem organorum reſpirationis frigidam poſſe tuſſim excitare, vt quidam Medici ſcribunt, eo victi argumento, quod dum os aperiunt & loquuntur; tuſſiunt, & nil expuunt; ſilentes verò non

tussiunt, & calidis iuuantur, frigidis læduntur. Nulla enim intemperies, nisi quid viam spiritui impediat, tussim facit. Quapropter cum loquuntur siue in calido, siue in frigido aëre, aliquid pendulum ex infundibulo capitis ad fauces, vel adhærescens arteriæ vocali, agitatur, & impedit. Manifestum est enim, quoniam loquentes, & canentes, & bibentes tussiunt, & expuunt irritando stillicidia. Accidit etiam aërem plerumque sordere puluere, & fuligine, qui loquentibus irruit, lædit, & tussi excutitur. Idem fit, si quid mali est in pulmone, & flatus impulsu irritatur. Prosunt autem calida olea, & cibi; quoniam vias aperiunt, & guttas noxias soluunt: hoc autem in collo, & pectore, & capite, & in aëre blando calido.

3 Aliquando fit tussis tenuis ex destillatione liquorum subtilium, & acrium, ex capite in arteriam, quas spiritus repellere conatur in respiratione obuia. Hac in re primo roborabis caput exsiccatiuis rebus, & cibis adstrictiuis, facilis coctionis, substantia frigidis: ne vapores eiusmodi creentur, in tales stillas cõcrescentes; de quibus abunde dictum est pluries. Quæ acrimoniam, & tenuitatem temperant, sunt saccharum, viola, nymphæa, glycyrrhiza, diapenid. pilulæ bechicæ, syr. viol.

4 Si autem tussis à crassioribus, & viscosioribus destillationibus fiat, tunc sicut in catarrho medicinas adhibebis attenuatiuas, purgatiuas, diuersiuas; & semper respicies ad pectoralia simul, vt hyssop. ficus: passulas, fœnic. marrub. agar. &c. Olea calida, & butyrum pectori, & pinguedines, & alth. & fœnugræc. & huiusmodi vnguentum component; cætera vt sup. Aër sulphureus Puteolanus prodest: potes in aula magna i, sum imitari hinc, & inde, vbi deambulas sulphureas testas accendendo. Odores qui prosint planum est.

De respirationis difficultatibus.

Artic. II.

1 Plurimæ sunt species morborum lædentium respirationem per consensum; in cunctis enim ferè morbis validis præsertim capitis, vel pectoris, aut tollitur, aut debilitatur, aut vitiatur, de quibus dictum est prius atque dicetur. Nunc autem de his, qui fiunt in organo, affectibus, dicere oportet. *Morbi pectoris ex capite vitiant, aut debilitãt, aut tollunt respirationem.*

2 Quod debilitato spiritu, vel à febre, vel à cursu, vel à labore

In tract. de pulsib. & respir. lib. 4. sequatur parua, debilis, & crebra respiratio, etiam explanatum fuit; medelaque in promptu est spiritus refocillatio per ea, quæ subito spiritum augent, vt sunt odores, vinum, &c. Adde quietem à labore. Febris etiam labor est; pugnat enim eâ spiritus.

3 Cum autem neque præcedente labore, neque percalidum efflant spiritum, & difficulter anhelant, & absque febre; horum instrumenta patiuntur: passiones autem Medicis vocantur dyspnœa, orthopnœa, & asthma. In prima est difficultas, & crebritas spirandi. In asthmate itidem accidit; & insuper cum sono respirant, & anhelatione, quasi qui à cursu id patiuntur. In orthopnœa vtrumque esse solet, & insuper non nisi recta ceruice spirant: iacentes enim, aut proni suffocari sibi videntur.

Triplex passion. respirat. differentia dyspn. asthm. orthopn.

4 Causa horum communis est angustia pulmonis, & arteriæ, quæ fit aut à tuberculo iuxta arteriam orto, comprimente eam, aut cum viscositas, vel lentor pulmonis bronchia occupauerit; paulatim auctus ex destillatione; vel cum subito ex catarrho arteriæ cauitatibus impingitur, & adhæreseit. Potest etiam fieri, si musculi pectoris intercostales viscoso fluore oppleantur. Addunt alij tuberculum in pulmone pro causa. Sed hoc accidere non potest citra febrem, & suppurationem; neque pertinet ad morbos simplices, de quibus iste sermo.

Causæ quatuor communes præfatis morbi speciebus.

5 Manifestum est autem, quod si citra febrem paulatim fit hæc difficultas, & absque sono in arteria, causa est tuberculum. Si verò etiam sonum stertorosum edant, causa est viscosus fluor crescens, pertinaciter impactus. At cum statim fit, à catarrho est. Puto asthma migrare in orthopnœam, auctis fluoribus viam obstruentibus. Proptereáque spiritus valdè dilatat pectus, vt aër ingrediatur: nec tamen tantus ingreditur, quanto est opus ob arteriæ vitium.

Accidentia quibus agnoscitur causa quauis specierum singularum huiusmodi. Consideratio asthm.

6 Si senibus, & absque plethora accidat asthma, nequaquam minuendi sunt sanguine: sed ante omnia puto caput purgari oportere, ne augeat stillicidiis morbum, vbi à fluoribus fit. Aluus etiam, & ventriculus purganda, ne subministrent fœculentos fumos. Pectus calidis, & humidis attenuantibus, & abstersiuis rebus tentandum: siccæ enim indurãt fluores magis. Oxymel, oxysacchar. scylla cocta in melle, glycyrrhiza, hyssopus, marrubium, & aliæ pectorales herbæ prosunt tam in syrupis, & electuariis; quàm in cibo. Res siccæ omnes fugiendæ, magis autem si frigidæ. Pharmacum esto vomitorium ex raphano, & butyro,

Cura asthm. in senio.

tyro, &c. Si per aluum etiam oportuerit fiant ex agar.trochiſc. hiera, & oxym. pilulæ, &c. Manna, & caſſia fiſt. in aqua hord. proſunt.

7 Præterea repete pharmacum ex ariſtolochiæ rotundæ radice, cent.min. ſtœchad.tritæ.calam.hyſſop.irid.melanthij,&c. decoctione in aqua mulſa. Adde caricas, fœnugræc. glycyrrhiz. &c. Iuuat vulpini pulmonis reſiccati puluis, & aliorum animalium velocium curſu ad pulmonem confortandum ex ſympathia, vt poſſit noxia expellere. Dentur autem in mulſo, vel aqua hordei. Loch, & ea, quæ ore tenentur paulatim colliqueſcentia, & in pulmonem ſtillantia iuuant.

8 Thoracem butyro ſemper inunges. Adde cataplaſmata ex ficubus, farina hordei, vel lolij, reſina, melle, manna, iride, mulſa, &c. Semper adde parum aceti, vt penetrent, & incidant. Oleorum deſtillationes, & aqua vitæ proſunt, vel deſtillatio aceti cum oleo irino, anethino, medullis oſſium, adipe anſeris, vel gallinæ, & ſimilibus.

Laudant etiam ſyrupum ex decocto trium librarum frondium tabacci, & expreſſo, ſaccharóque benè condito, cuius ſingulis diebus partem bibant, &c.

9 Equidem ſanaui aſthmaticum inueteratum ſolo exercitio quotidiano duarum horarum per montoſam viam, vſque ad ſudores validos. Addidi inunctiones, & quotidie 70. ferè amygdalas recentes in prandio, & ficus recentes in mane: mirum eſt quomodo poſt menſem conualuit, cum eſſet qui quadragenarius, & à 14. annis affectus. Ruſticari, & laborare ſub aëre tenui puróque inter virentia, optimum remedium eſt his, cæteriſque pulmone affectis.

10 Cibus ergo ſit calidus, & humidus, & tenuis, omnis expers viſcoſitatis. Vinum non dabis, ſed mulſam, vel aquam hordei; cum modico tamen vino albo non adſtrictiuo, ſi ſtomachus cogit. Aër ſit calidus, ſerenúſque. Sudor & exercitium ante omnia proſunt.

11 Tuberculis verò lædentibus reſpirationem medendum eſt per exſiccantia, & attenuantia, qualia ſunt aromata, & antidota, & diambr. diamoſc. theriaca, mithridat. &c. Vſtio in deſperatis adhibetur.

12 Cunctis huius generis morbis eadem proſunt pro rata magis, & minus, adhibita.

De pulmonia, eiúsque cura.

ARTIC. III.

Quidditas. 1 PVlmonia, seu peripneumonia videtur Medicis esse pulmonis inflammatio cum febri, quæ quando ardentissima est, erysipelas in eodem indicat. *Causa.* Inflammatur autem, vbi laxitas pulmonis, & fistulæ sanguinem conceperint nimium, & pituitosum, qui obstructiones faciat, & impedimenta: citra enim hæc, non fit nisi asthma, & paulò ante dictæ passiones, contra quas spiritus haud feruet. *A quibus fit humoribus, & quomodo agnoscantur.* Raro fit à bilioso sanguine; quoniam minus obstruit, retinetúrque minus ob illius tenuitatem, quamuis vbi erysipelas adest, & ipse adsit. Ex sputis etiam venari licet causas; flauum enim, & croceum mistionem bilis: liuidum fæcis: albidum phlegmatis indicat in causa. Vbi autem sputa desunt, victus præcedens, ætas, anni tempus, & passionis ratio te admonebunt.

2 Pulsus pulmoniæ inæqualis, magnus, languidus, mollis, & vndosus plerunque, ac dicrotus; respiratio difficilis, & calida: dolor, vel nullus, vel exiguus sentitur, nisi & membranæ circa pulmonem afficiantur. Facies rubet feruore vicino; nasus in summo fit simus, venæ eleuantur temporum, prosternitur appetitus. Propendent aliqui in somnum, quibus pulsus, & respiratio minus crebra, & hoc ex languore spiritus. Febris enim acuta est valdè, sed pro magnitudine, & minoritate dictorum symptomatum, de causis diuinabis. Si autem passio admodum vehemens, & violenta, cum cordi insufflationes deficiunt, incipit caloris natiui extinctio. *Prognost.* Quapropter quidam dirius affecti ad quartum, vel septimum diem pereunt: rari autem ad vigesimum perueniunt: quo transacto suppurantur, & pus excreatum probe, vel per aluum, aut per vrinam eductum, sanat, nisi denuo vlceret in pulmone residens. Tunc ergo valent Medicorum auxilia, in aliis enim vix proficiunt: vbi præsertim vigiliæ, & deliria, vngues liuidi, extremitates frigidæ.

Cura. 3 Victus peripneumonicorum esto absque pipere, sale, & acredine, & aciditate, ne vlcera consequantur. Sit abstersiuus absque vlceratione, & tenuis, ne crassitiem adiungat. Proptereà laudatur cremor ptisanæ cum melle, hyssopo, origano, & cæteris herbis, pectus respicientibus. Valet & pulmo iuuenum anima-

lium

lium in cibo. Item amygdalæ ſuccus,& pinearum cum mica panis. Potus ſit mulſa, in qua præfatæ ſpecies aliquæ ebullierint, ſorbilia oua recens nata proſunt,& ius gallinarum, & pulmonis, in quo herbæ prædictæ coctæ fuerint. Prodeſt & vtraque pulmonaria. Frequenter, & parum bibant decoctum glycyrrhizæ,hyſſopi, &c. in mulſa, vel aqua ſaccharo condita. Succus arundinis ſacchari prodeſt ſimiliter frequentatus ad mundandum arterias,& fiſtulas pulmonis, & mollificandum noxias res, excernendúmque. Vide ne ſpirituum minutio morbo robur det. Præterea reficiendi ſunt præfatis ſorbitionibus, & gutta vini, & pinearum ſucco,&c.

4 Curatio,venæ cubiti inciſionem præcipit,ſi vires,& phlethora adſint; nec præcedentibus morbis extenuatus ſit æger. Et lateribus,& thoraci cucurbitulas adde,ſi venæ ſectio deſit:& ſcarificabis ad diuertendum. Clyſteres acres valent,vt viam educendis cauſis,vel à longe accerſendo,per conſequentiam parent. Purgatio ſi morbus expetit,& vires; per manna,& caſſiam,& huiuſmodi lenientia in decocto hyſſopi, &c. fiet. Subſequatur decoctio quotidiana hyſſopi,mellis,& glycyrrhizæ,& ſimilium.

5 Sed præ cunctis procuranda facilis excreatio per liquores pectorales,,& abſterſiuos abſque vlceratione, & mollificatiuos, de quibus ſæpè. Syrupi autem reſpiciant pectus, & caput:ne deſtillatio ſubſequens morbum nutriat. Diximus de his in catarrho,& capitis morbis.

Conferunt pectori fomenta,& emplaſtra ex floribus chamom. verbaſci,anethi, ſemine lini,fœnugræc.far.hord. & oleis eorundem,althæa,malua,hyſſop. pulmonaria, medulla ceruina, butyro, &c.

Sint res calidæ attenuantes abſque incraſſatione : propterea miſcebis guttam aceti; & penetrantes, mollientes rem peccantem,& confortantes pulmonem, & ſpiritalia, &c. & laxantes loca,per quæ natura ſolet etiam inuiſilia, præfatas excernere vſque in ventriculum,& veſicam,materias.

De ſpuitione cruenta.

Artic. IV.

1 PRopriè ſputum cruentum,cæteriſque periculoſius illud eſt, quod ex pulmonis vlcere per tuſſim reiectatur. Vlceratur autem pulmo vel ab acri deſtillatione, ſalſaque ipſum eroden- *Quomodo & vnde cruentum ſputum. Cauſa triplex.*

te,dum laxitatem eius subit:vel à pure putrefacto iterùm:siue ex suppurata phlegmone thoracis,siue pulmonis fiat.

Indicia causarum peccantium. 2 Indicant autem locum vlceris huius,si particula modica pulmonis sit in sputo,& sanguis spumans floridúsque,& quidem albidior,si ex suppuratione ortum ducit; rubicundior, si ex salsorum erosione.

Alia causa ruptio venæ. 3 Contingit etiam ex venarum ruptione sanguinem potiùs educi,& vomitu reiici,quàm spui confertim,& non per tussim,siue ruptio fiat ab interna causa, cùm vel tenuis, biliosus, & plurimus exuberat sanguis, qui quacunque causa incalescens, sicuti mustum,vasis cohiberi non potest,siue pulmonis,siue pectoris,siue quibuscunque. Aut cùm vena ob intemperiem duram extensioni resistens,frangitur. Indurescit autem potiùs ariditate,quàm frigore, vt placet Medicis. Siue ruptio ab externa fiat causa, vt casus ab alto, lucta, cursus, vehementia in orando causam, iracundia, furor, exclamationes, &c.

Alia causa. 4 Putatur & ex sola vasorum reseratione reiici sanguis, vbi balneatio,aut calida habitatio,aut insolatio præcesserint.

Iterum alia. 5 Similiter ex vasorum erosione etiam extra pulmonem: & tunc non confertim exit sanguis, sed exigua pars in sputo præcedit,& paulatim crescit,&c.

Iterum alia. 6 Solet etiam deuorata hirudo sanguinem ex ventre,vel œsophago,vel naribus elicere in nobis, sicuti & in beluis;sed tenuis, sanieique persimilis.

Iterum. 7 Ex aspera arteria,itidem faucibus,ore,gurgulione,& capite, & ventriculo,& splene,& hepate,sanguis manare solet.

Discretio. 8 Et quidem ex arteria paucus,& cum tussi acríque dolore,iuxta arteriæ partem aliquam, & quasi puri permistus videtur. Ex pulmone verò, qualis dictus suprà. Ex stomacho paucus cum nausea, & mordacitate in deglutiendo. Ex ventriculo cum vomitu,& mistione cibi,vel pituitæ. Ex splene grumosus, & niger, & cum tumore splenis. Ex iecore minùs niger, & cum tumore iecoris. Ex capite, si dolor præcessit,& grauitas capitis,& vertigo, venarum frontis micatio, & titillatio in descensu sanguinis circa guttur, & statim tussis, & excreatio. Ex gurgulione, & faucibus, si talia in capite non præcesserint, & vlcera, vel sanguis circa ea inspectetur. Ex capite, si fluat in ventrem, inde reiectandus, grumosus erit, & niger, sæpéque cum nausea, vel mistione cibi,vel pituitæ.

9 Horum cura, præcipuè vlcerati pulmonis, fiat in aëre placido, nil mobili, neque admodum tenui. Æger capite ſubleuato decumbat, nec multùm moueatur, nec iraſcatur, nec cæteris afficiatur paſſionibus, quæ pulmonem agitent, aut multum reſpirare faciant. *Curatio.*

10 Cibus eius ſit ptiſanæ cremor, vel quintineruia in brodio pulmonis vulpini, vel pedis arietini: addantur pineæ, piſtacia, & huiuſmodi, ouum recens ſorbile valde prodeſt. Potus ſit melicratum, cui parum hyſſopi admiſceatur: & quidquid virtutem habet adſtringendi, & abſtergendi citra vlcerationem, prodeſt in cibo, & potu. *Cibus & potus.*

11 Medici non ineptè ſanguinem euacuant, ſed modicè, & ab extremis partibus euacuandis, vbi vires adſunt, tantum diuerſionis gratia, ne in pulmonem exuberans viam vlceris patulam reddat, conſeruétque. Eiuſmodi de cauſa iuuant frictiones, & ſtrictiones partium extremarum. *Phlebotomia quomodo & vbi celebranda.*

12 Deinde verò ſi deſtillatio, vt plerumque euenit, vlceris eſt cauſa, purgetur caput his pharmacis, quæ bilioſos, & ſalſos expellunt humores. Addantur gargariſmi, ſternutatoria, maſticatoria eorundem; de quibus in ſuperiori dictum eſt ſæpè. Mox valent emplaſtra caput refrigerantia, & olea huiuſmodi, quale roſaceum, myrtinum, &c. *Purgatio ex quibus cõſtare debet.*

13 Ad ſiſtendum ſanguinem iuuat ſuccus portulacæ cum decocto gallæ, cupularum glandium, radicis rubi, ſeminis oxylapathi, & cætera, quæ diximus ſiſtentia ſanguinis fluxum: ſed terra lemnia, & lapis hæmathites redactus in puluerem, granati ſucco immerſum, valdè laudatur. *Vt ſiſtendus ſanguis.*

14 Thoracem vino adſtringente, adſtringentibus oleis, quale myrtinum, roſaceum, cotoneorum, addita bolo armena, terra lemnia, corallio, & ſimilibus, & cera, vt in cerotum redigantur. Cataplaſmata ex adſtringentibus farinis, & herbis, & corticibus granatorum, & huiuſmodi adhibenda ſunt. *Adſtringentia.*

15 Purgatio difficilis, niſi per clyſteres acres fiat ad diuertendum. Si autem morbus compatietur, per manna fiat, & ea, quæ cauſis educendis apta ſunt, vt in quinto libro &c. Si autem venæ alibi corroſæ fuerint, aut diſruptæ, vtemur primùm diuerſiuis iam dictis, mox viſcoſis, & incraſſatiuis, ex

quibus venæ agglutinari queant: inter quæ albumen oui, pedes vituli, quintineruia, albáque semina laudantur. Respice ad causas rosionis, vel rupturæ, easque emendabis per contrarias.

Cura sputi cruorem ex ventriculo. 16 Vomentes sanguinem ex ventriculo raris vicibus sumant cibum, bibant coagulum, præsertim leporinum; & satureia, vel aloë potentur, rebusque ventriculum confortantibus, & adstringentibus vtantur.

Ex faucibus. 17 Sanguinem ex faucibus, & gurgulione manantem, gargarismi adstrictiui, & res, de quibus in tonsillarum vlceribus locuti sumus, facilè sanabunt.

Ex iecore, vel splene. 18 Si autem à iecore vel à splene in ventriculum sanguis deriuetur, ea quæ iecur, & splenem emendant, adhibebis, vt suo loco commemorabimus. Proderunt & diuersiua, & scarificatæ cucurbitulæ.

An prosit sinapismus contra humores acres. 19 Humores acres, quamuis præcipiente Galeno, sinapismis, & vstionibus essent tentandi: prodesse tamen deprehenduntur nihil, potius autem obesse, cum acriores fiant; nisi extrahi post rasuram capitis ex suturis per attractionem aliquo pacto valeant, quæ prudens Medicus facile considerabit.

Cura cruoris ab ictu, vel casu. 20 Qui casu, vel ictu sanguinem expuunt, curato loco rupturæ vel contusionis, adhibeantur adstringentia, consolidantia, & diuertentia. Vbi autem commoti humores febrem accersierint, purgatione indigebunt, & ducente quoscunque, vel eos modò, quibus patiens ex temperatura, victu, tempore, & ætate abundare cognoscetur.

De phthisi, eiúsque cura.

ART. V.

Quidditas phthisis. 1 QVoniam cruenta sputio vlcus pulmonis, aut arteriæ consequitur, pulmone autem vlcerato non ventilatur cor quantum est opus, neque spiritus, & calor natiuus intro acti retinentur, neque augentur, potius autem efflantur, & minuuntur; iuxta ea quæ diximus de respirationis vsu. Hinc sequitur tabes, & colliquatio carnis, partiúmque neruosarum per quandam constitutionem, quæ hectica vocatur. Quapropter imperitè Medici definiunt phthisin esse pulmonis exulcerationem. Non enim exulceratio ipsa phthisis est, sed praua illa constitutio, quæ exulcerationem consequitur.

Causa quæ. 2 Neque defectum refrigerationis, ac proinde augmentū caloris,

ris, vt Peripateticis Medicisque plerumque videtur, talis sequitur constitutio, sed defectum expulsionis fuliginum, & cutis obstructionem, & caloris intemperiem, quæ non amplius nutrimentum in ipsum nutribile, sed nutribile in nutrimentum conuertit per putrefactionem.

3 Vbi Peripatetici secum pugnant, dum putrefactionem fieri ex defectu caloris autumant, ac simul respirationis diminutionem augmentum caloris esse docent. *Contradictio in Peripat.*

4 Vt autem alibi dicebamus, duplex est marcor, alter siccus, qui fit per consumptionem humorum foras, nimio calore exhalante eductorum. Alter fluidus, qui calore debilitante, & non educto, séque ipso aucto & laxante materiam, & in fluorem, non autem in tenuitatem conuertere potente, celebratur; qualis fit in corticibus aurãtiorum, & in carnibus non salitis, & in cadaueribus: & hic proprius est hecticorum, & phthisicorum. Cum enim calor non ventilatur, neque auctus excrementa non educit, cohibetur, & crescit in solido, & non in spiritu, & tenuitatem quam ingenerat non educit, sed ipsa disponuntur cæteræ partes ad colliquationem. Propterea qui phthisi laborant, præterquam quod difficulter spirant, habent nares acutas, tempora adstricta, oculos concauos, scapulas instar alarum, liuidas genas, vngues curuos, & sputa graueolentia: quod probatur si carbonibus iniiciantur; & propterea cum cessant expuere moriuntur: non enim amplius possunt saniem vlcerum expurgare. Præterea accidit illis profluuium alui, quia partes corporis colliquatæ in centrum deferuntur, non autem in circumferentiam; & hoc signum propinquæ mortis; maximè autem si defluunt capilli: humor enim qui eos nutriebat, in centrum in colliquatione defertur. *Duplex marcor.* *Hectica marcor fluidus.* *Signa phthisi octo.* *Cur moriuntur cum spuere cessant.* *Signum nonum & decimum.*

5 Idcirco non solum pulmonis vlcera, sed faucium, & arteriæ vocalis phthisicos faciunt: dum respirationem impediunt, ac proinde spirituum ingenerationem, &c. *Noua causa.*

6 Cum autem spiritus in corde non ingeneratur, neque calor intruditur, necesse est sanguinem ex parte exsiccari, & minus spirituum fieri, ac proinde in arterias minorem, & crassiorem illabi: vnde sequuntur obstructiones, & densitates. Non ergo quia exsiccatur cor, vt putant Medici, fit tabes: sed quia calor spiritalis, & sanguinis tenuitas deficiunt: vnde sequitur vitæ defectus in corde, & in cæteris partibus, quæ arteriali sanguine viuificantur: ergo & cadauerositas illa, seu putrescens ad intra constitutio. *Ratio tabis.*

Quæ phthiſis incurabilis. 7 Propterea ergo inſanabilis eſt phthiſis, multum enim tempus requiritur ad inſtaurationem viuificationis in parte ſolida, ac ſimul pulmonis ad ſanitatem, vt poſſit ſpiritum, ſanguinemque vitalem reficere, quæ ſimul perfici non poſſunt: antequam enim vlcera pulmonis ſanentur, tabes iam corpus conſumpſit.

8 Præterea difficile eſt vlcera pulmonis ſanare; non enim poteſt quieſcere, quod requiritur ad ſalutem: neque medicamenta ad ipſum pertingunt ob profunditatem, & latebras: & pars, quæ attingit, agglutinationem, & conſolidationem non perficit, ipſius pulmonis motu reſoluta.

Quando ſanabilis. 9 Verum illi tantum ſanantur, quorum vlcera, antequam tabes in toto corpore graſſetur, ſanari valent: quorum nimirum pectora lata ſunt, atque piloſa: ſpiritus multi, & viuaces, excreatio & reſpiratio facilis: ſputa læuia, & alba, benè purgantia thoracem.

Quomodo ſanatur. 10 Curantur autem vlcera, ſi deſtillationes corroſiuæ tollantur, vel diuertantur; ac ſimul per res abſtergentes, adſtringentes & conglutinantes in temperato aëre, vitatis paſſionibus, vt ſuprà. At cum in tabem deuenerint, præcipiatur in victu lac muliebre, vel aſininum, vel amygdalarum, ptiſana hordei, oua ſorbilia, vua paſſa, pineæ, ficus, dactyli, piſtacia, & quidquid ſemini humano conſimile eſt. Potus verò ſit aquoſum vinum dulce: at ſi febris putrida affuerit, difficillima erit cura: purgatio enim putreſcentis humoris trahit nouas colliquationes ad centrum per conſequentiam. Ergo ſit cibus medicatus ex parte medicina humoris attractiua, & brodia quæ vocantur conſummata: lac enim his obeſſe videtur. Hecticis mulſa, phthiſiciſque nocet, quamuis à Galeno præcipiatur. Confert tamen vlceribus abſtergendis, atque vnà cum lacte ſimul glutinandis.

Confirmatio. 11 Equidem expertus ſum, cum totius corporis macie laborarem, ac fame ſtridenti conficerer, nil ſalubrius eſſe quam carnes, & olera in lacte decoquere, & vinum lacte miſtum bibere caprino, ſicut alibi dictum eſt. Sed marcor ille potius ſiccus, quàm fluidus erat. Idcircò ſenibus huiuſmodi victus vitam prorogare videtur.

12 Ad ſputa educendum loch, & decoctio hyſſopi, & cæterarum pectoralium herbarum, cum ſaccharo; aliaque dicta, cum de catarrho, & tuſſi tractaremus, laudantur.

Tēpus mortis. 13 Phthiſici mutata anni quarta, vel ſemicirculo moriuntur, ſæpiſſimè

ſæpiſſimè autem propè æſtatem, vel autumni vigore, cum arborum folia defluunt.

De pleuritide curanda.

ARTIC. VI.

1 PLeuritis inflammatio eſt membranæ thoracem munientis atque intrinſecus latera coſtáſque ſubcingentis: quam neceſſariò ſequitur punctiuus dolor lateris vehemens ex phlegmone, ac tenſio ſurſum, deorſúmque ad hypochondria, ſpirandi difficultas, quoniam pectus difficilè dilatatur in dolore; tuſſis ex conatu ſpiritus ad expellendum noxia: febris continua ex pugna eiuſdem contra morbificam cauſam. Pulſus durus & ſerratus ex tenſione: ſpiratio parua & frequens, quoniam intercoſtales muſculi affecti, dilatari multum præ dolore nequeunt: vnde crebritas, & celeritas ſupplet refectioni. Febris continua, acutáque adeſt eiſdem de cauſis, non quia vicinus morbus eſt cordi, vt autumant Medici: ſed quia cauſa morbi obeſt, & reſpirationi, & pulſationi, & refectioni ſpirituum, & viuificationi ſanguinis, & partium irrigandarum. Idcircò neceſſariò expellenda naturæ iudicatur. *Quid pleuritis per omnes cauſas.*

2 Inflammatur autem membrana ſanguine nimio in ipſam confluente ob alterius ibi humoris irritantis præſentiam, vel ob motum muſculorum deſeruientium reſpirationi. Dolere tamen poteſt quibuſcunque humoribus eo defluentibus coaceruatis, ſed non ita punctiuo dolore, nec præfatis ſymptomatis, ſed aſthmaticis. Item à flatu intercepto in membrana: ſed nulla ſequitur febris & tuſſis, &c. Item à dolore epatis, & lienis: ſed dolor non erit ita punctorius, neque pulſus tam durus: & ſedimenta aderunt inſtar loturæ mactatæ carnis: nec tuſſiendo eiiciuntur quæ in pleuritide. *Vnde inflammatio.*

3 Aliquando enim rubrum eſt ſputum; aliquando rubet, flaueſcítque; aliquando etiam liueſcit: interdum mucorem habet in liuore: quæ ſatis indicant, an ſanguis purus, vel ſimul bilis flaua, vel atra, vel pituita ſint in cauſa. *Signa cauſarum.*

4 Symptomata iam dicta ſi fuerint magna, magnum & periculoſum morbum, cauſaſque eius indicant: ſi parua, è contra. *Regula de gradibus.*

5 Si ſputum à principio apparet, faciléque excreatur, breuis erit morbus: in quarto enim, vel ſeptimo iudicatur. Si poſtea,

producit

producit morbum pro temporis ratione, vt in prognosticis monebamus: quamuis diem 14. pleuritis pro termino habeat, quo transacto absque repurgatione suppuratur, & vlteriùs producitur; intellige cum viribus validis.

6 Sanantur facilè qui bene spuunt, & leuiter ferunt, spirántque: è contra moriuntur qui non facile in his se habent.

Victus. 7 Cibus subministrandus qui facile alat, & pectus purget, & concoctionem iuuet, vt mica panis in brodio, ouum recens sorbile, amygdalæ succus, ptisanæ cremor, &c. Apponuntur pectorales herbæ brodio gallinarum. Caueat à duriusculis cibis, & viscosis, &c. Potus sit mulsa, aut brodium cum glycyrrhiza, hyssop. &c. Vinum non detur, nisi remisso morbo aliquantulum, aquosum valde.

Cura exterior. 8 Curabis primo per fomenta, si forte per transpirationem humor dissolui in pleura queat: non tamen multis, ne indurescat, aut alius accersatur, quo non succedente ex voto, adhibetur phlebotomia.

Phlebotom. 9 Secetur autem vena cubiti proximi dolenti lateri: vbi plethora non adsit: & donec exeuntis sanguinis colorem mutari videas: cum videlicet phlegmones proprius succedit exire permitte: & si opus est, iterabis. Si verò copia sanguinis plurima adsit, prius diuertes per sectionem venæ oppositi brachij, & pedis: ne, dum extrahis, ex propinquo ad dolentem locum copiam illam accersas.

Clyster. 10 Clysteres adhibebis leues ex malua, viola, mercuriali, spinacia, &c. medulla cassiæ, butyro, oleisque non valdè calidis. Quibus non sufficientibus, purgatio succedat, viribus morbóque volentibus. Probatur cassia, manna, additis, quæ humorem respiciunt sanguini admistum, decoctionibus lenibus.

Fomenta. 11 Extrinsecus fomenta ministrabis calida, dolorem leuantia per attenuationem, & transpirationem causæ: vt quæ fiunt ex floribus chamom. aneth. verbasci, fœnugræc. milio. &c. decoctis, vel spongia illorum decoctione imbibita. Et si viscosior sit causa, vtere eruo, hordeóque disruptis, concoctis aqua cum modico aceto ad penetrandum, & incidendum. *Emplast.* Fiunt & emplastra ex eisdem *Vnguenta.* & consimilibus rebus. Item vnguenta, ex pinguedine gallinarum, butyro, oleo chamom. aneth.

12 Semper autem quæ sputi eductionem facilem reddunt ministret Medicus ori, vt diapenid. diatrag. sacchar. viol. pastillos

pecto

pectorales; & rupta phlegmone, quæ abstergunt, pridem dicta, &c.

De purulentia.

Artic. VII.

1 Est ergo empyema, seu purulentia, collectio puris intra thoracis tunicas, & pulmonem, ex phlegmone pleuritica vel anginosa, vel pulmonia, suppuratis erumpens: nam quæ ex collecta pituita, aliisque humoribus à capite manantibus intra thoracem putrefactis intra 20. dies fit, leuissima est, nothaque, nec propriè pus: acciditque citra febrem. *Quid & ex quibus empyema.*

2 Suppurari autem phlegmones iam dictas agnoscimus, cum nec febris cessat, sed quasi hectica eadem perseuerat; nec dolor post adhibita pharmaca, nec rigor, nec grauamen in loco affecto: immò augetur, iuxta doctrinam habitam in 4. lib. Disrumpi verò suppuratas tunc intellige vltima conflictatione, vbi rigor, horrórque vehementior, febrisque fit: tunc enim vltimum potentiæ in expulsione concocti puris adhibet spiritus. Vnde & respiratio difficilior, & sermo quasi delirantis. Non enim in vigore summo prælij, vel sanus homo in verbis, & cæteris functionibus prudentiam seruare potest. Effusionem puris ex eruptione declarat mutatio febris, aliorúmque symptomatum mitigatio, & fluxio in profundo thoracis, cum hinc, & illinc in latera reclinantur percepta. Sequitur & tussis cum expuitione, quæ prius erat sicca, & pulsus crebri, veloces, & duri prius, post eruptionem languent, & remittunt frequentiam, & velocitatem. *Vnde agnoscitur futura suppuratio.* *Indiciū disruptionis.*

3 Seruantur quidem qui ex hoc facilè respirant, expuúntque pus valida tussi: pus, inquam, læue, album, concolor, concoctum, vt in 4. lib. etenim validæ vires thoracem stringunt, ac pus ad membranam pulmonis adigunt: qua laxata intrat pus, absorbeturque mirifica prouidentia à pulmone, ex quo per arteriam expuitur: proptereáque febris prior cessat, quæ erat pugna, vincens causam morbi, & sequitur conatus alter, qui est valida expressio. Fit etiam expulsio per inferiora, quando ruptio inferius spectat: & per intestina, & vesicam eadem prouidentia laxatis ad superam compressionem pus expellitur. Est quando ruptio puris exire properantis suffocat ægrotum. *Signa sanitatis in empyem.*

4 At si quam cito non fiat expurgatio puris, in phthisim inci-

Mutatio empyematis in phthis. dunt, vlcerato pulmone eius acrimonia denuo concoctæ, ac moriuntur iuxta tabidorum tempus. Morituros etiam scies eos om- *Mors quibus.* nes, quos febris, facta ruptione, non deserit, vel maior insurgit, vel reuertitur: nec benè spuunt, sitiunt, nec cibum appetunt: sputaque subuiridia, flaua, liuida, spumosa, pituitosa sunt, & aluus humida, plura egerit, &c. Qui autem vtrorumque signorum participant, mediam habent iudicationem. Medicus respiciat omnia, & quæ in prognosticis adiecimus documenta.

Qui seruantur, & qui moriuntur. 5 In purulentia, & pulmonia, maiores natu plerumque mori, in cæteris minores, Hippocrates adnotauit: quoniam (inquit Galenus) minores doloribus harum facile affliguntur ad mortem. In pulmonia autem suppuratione validiores sunt minores ad spuendum; ideo seruantur magis. Equidem putarem difficilius sanari vlcera pulmonis duri, qualis inest maioribus; quàm mollis, qualis in minoribus: ideóque hos seruari magis; in cæteris vero perimi: quoniam poros angustiores habent, & succulentiores sunt ita, vt plenior sit suppuratio, eiectuque difficilior; vnde etiam suffocantur. Tabidi tamen fiunt omnes, si intra 40. dies non repurgantur.

Cura. 6 Purulenti in quiete degant, & aëre non humido, temperatè calido. Affectibus compressiuis, qualis metus, tristitia, &c. careant: dilatatiuis exuberent, id est, lætitia, spe, &c. Ab exercitio & ira absint. Somno vtantur temperato. Adiuuetur natura expurgatione alui, & vesicæ per clysteres, & res cientes eiectionum, vt spiritus non impeditus, coctioni puris expulsioníque sedulus sit: proptereáque facilioribus cibis nutriendi, suppurationi, ruptioni, & expulsioni proficientibus, quales gallorum testiculi, ptisanæ cremor, in brodio columbino, vel gallinaceo, in quo hyssopus, malua, oreoselinum, &c. coquantur eiusmodi. Carnibus modicis istiusmodi etiam vescantur, & pistaciis, & pineis, & passulis. Potus sit calidus, potiúsque brodium, vel mulsa, aut aqua hordei. Deinde modicum vinum subdulce hisce aquis bene dilutum.

7 Suppurationis tempus iuuabis calida aqua, & oleo, hydrelæo, adipe suillo, vel gallinaceo, vel anserino. Item cataplasmata ex decoctis caricis, farina hordeacea, fœnugræc. sem. lini, althæa & fimo columborum, &c. alibi dictis. Adduntur cerota ex butyro, lauri baccis, rutæ, irid. &c.

8 Ruptionis tempus requirit mulsæ sorbitionem, ptisanæ cremorem

morem cum melle, vel decoctum hyssopi, aut thymi cum melle. Adde & ciceris cum melle, & similium, quæ rodere & pungere abscessum ad rupturam valent.

9 Erumpentis puris tempus ea requirit, quæ vias purgationis aperiunt, & virtutem expulsiuam iuuant. Quapropter si ad aluum respicit purgatio, ea, quæ molliunt aluum, adhibebis; si ad vesicam, ea, quæ vrinam mouent: si verò sursum, ea quæ tussim excitant, & abstergunt. Optimum autem est mel, & ea, quæ in phthisicorum cura, asthmaticorúmque enumerauimus. Memento lactis cum melle; ad plurima enim valent, & ne in tabem desciscant.

De palpitatione cordis.

ARTIC. VIII.

1. QVoniam cor vitalium, quorum morbos numerauimus, primum est: quamuis ad potestatiuum maximè spectet, eius passiones hoc in loco recensendæ sunt.

2 Quid differat inter palpitationem, rigorem, tremorem, & horrorem, dictum est in lib. 4. & in Art. de tremore in 6. Horum notione præsupposita, de palpitatione sit sermo, quam præcipue cordi Medici tribuunt.

3 Est autem palpitatio cuiuscúque membri dilatatione, & constrictione se mouentis naturaliter, motus præter naturam. Quapropter & in vesica, & vtero, & intestinis, & corde, & arteriis accidit palpitatio; qaando nimirum eleuantur, aut deprimuntur aliqua causa in ea illabente, non autem spiritus vi, aut arbitrio. Et quoniam sanis, & ægrotis palpitatio accidere solet, statimque euanescere; arbitrandum non est, eius causam esse humorem, sed flatum irruentem: aut spiritus diminutionem, vel fugam. *Quid palpitatio.* *Causa palpitationis triplex.*

4 Propriè quidem spiritus diminutio efficit tremorem; quia organum est impar ponderi regendo. At si etiam irruat flatus, fiet palpitatio, & tremor simul. Cum autem diminutio non adest, solus flatus palpitationem producit. Cum vero in syncopem desinit, mortem indicere solet. Spiritus enim ad morbi locum confluens, vel seipso suffocatur, vel diminutus à morbifica causa vincitur, adiuta tamen humorum impuritate. Ideóque mors per syncopem, & palpitationem, vix vnquam nisi corde

affecto succedet: quoniam spirituum est officina, arterialisque fons sanguinis.

Tremor etiam in corde aliquando fit. 5 Quamuis Medici tremorem cordis non concedant, quia arbitrariorum est motuum passio: nos tamen ab eodem spiritu, & cordis motu, effici probantes, cum spiritus in corde diminuitur, tremorem etiam fieri intelligimus: quod & alij Medici concedunt, sed rationem non capiunt. Præterea quia cordis motus non sola spiritus vi, sed consequutione vacui etiam fit, recedit magis ab arbitrario motu, quàm cætera membra: ergo & à tremoris ratione.

Medicis causa palpitat. duplex. Correctio. 6 Causam palpitationis duplicem assignant; vel intemperiem calidam, vel frigidam. Vtrumque reprehensionem meretur multus enim calor in corde spiritus attenuat, educítque, sanguinem assat, & in fuliginem agit, ac proinde languidiorem motum, & inæqualiorem in diastole, & systole, & pulsu, & respiratione sequi oportet. Quapropter si pulsus velox atque magnus existat, nequaquam calor nimius pulsationem facit, vt Medicis videtur; sed potius fuligines, & excrementa sanguinis; quæ dum repurgare spiritus aggreditur, tales edit pulsus. Palpitat verò dum flatulento excremento expellendo non sufficit: & si exhalauerit spiritus, languor in pulsu, & respiratione accidit.

Vera palpit. ex flatu impuro tantum. 7 Vera autem palpitatio, ac curatu difficilior est, quam flatulenta causa producit in ventriculis cordis; excrementitiáque. Purus enim flatus calore cordis attenuatur statim; ergo si periculosus esse debet, impurus esto; quem vt amoliatur spiritus, cor mouet insolito quodam saltu.

Palpitat. ex aqua pericardij. 8 Præterea contingit in pericardio, cum cordis temperies est remissa, vaporem proprium valdè attenuare non potens, tantam ex vapore crasso aquam gigni, vt cordis motum etiam impediat, & flatum iterum creet: qui exitum non inueniens, saltum ingenerat ipsis patientibus molestum, nec Medicorum manus effugientem aliquando, nec visum. Solent etiam in pericardij membrana quædam pustulæ fieri, spiritúmque afficere ad palpitandum.

9 Quibus in ætate matura palpitatio accidit, manifestè indicat exhalantis caloris reliquias non posse flatus extrudere; quapropter superueniente senectæ exordio, cedat morbo spiritus oportet. Ergo qui in iuuentute flatibus huiusmodi agitantur, imbecillitatem naturæ patefaciunt, & periculosiores palpitationes

tiones syncopem expectant: nisi succis temulentiæ, & ciborum crudorum ex accidenti id patiantur, ac bono regimine electo eorundem passiones fiant immunes.

10 Curationis principium, [Vbi elegeris aërem siccum calidúmque, odoriferum, vel arte paratum; somnum, & vigilias moderatas, exercitiúmque, quo melius nihil ad flatus attenuandos, animique affectus constrictiuos, non autem dilatatiuos vitaueris, vt supra. *Cura.*

Præterea cibus ad siccum accedens, expers flatulentiæ, & viscositatis, facilisque concoctionis probæque nutritionis, exhibeatur; carnésque tales, serpillo, hyssopo, fœnic. pulegio, borragine, herbisque cæteris cordialibus, flatúmque discutientibus alterentur, additis caryophyl. cynam. & croco. Potus verò vinum tenue fuluum, vetus, aqua borraginis, vel melissæ dilutum.]

Tunc à venæ sectione auspicabimur, si vires adsunt: maximè autem si plethora; quibus deficientibus diuersiua tantum vtemur venæ sectione, ne excrementosus sanguis feratur in cor. *Phlebot.*

11 Medicamenta vero sint extenuantia, atque calefacientia, qualia diambr. diamoschus, cynamom. dianis. theriaca, mithridatium, & huiusmodi; nunquam tamen omittes crocum, & aromatica roborantia cor: ex quorum herbis parantur syrupi. Item vtitur Plinius panace, fœnugræco, aristolochia rotunda in puluerem actis, & in potum ieiuno datis. Eodem Medici, & rhapontico vtuntur. Epithemata ex stillatitiis aquis melissæ, maioranæ, buglossæ, aloës, diamoschi, &c. decoctis fieri solent. Fiunt etiam sacculi ex eisdem rebus, & roremarino, & citriorum cortice, croco, rosis rubeis, &c. *Qualitas medicamentorum.* *Variatio.*

12 Si autem pituita in palpitantibus abundauerit, syrupos contra pituitam idoneos parabis. Similiter & purgans pharmacum rationis eiusdem, vt in 5. lib.

Si atra bilis, sui ordinis syrupos, & pharmacum adhibebis, & hæmorrhoïdes excitabis, siue menstrua.

13 Ex magica sympathia auxiliantur cordi citrium, anacardi fructus, radices centaureæ, & montanæ, nardus, persicum, vesicaria, triphyllon, melissophyllon, myrobal. Præterea animalium corda, quæ magnitudine excedunt, applicata in cibo, vel gestata. *Ex magia medicament.*

14 Ex metallis verò aurum, & omnia animalia, herbæque solares, de quibus in 5. lib. Applicabuntur autem sole in sua exaltatione, vel trigono, vel domo existente, vel in aspectu benefica-

rum, & in angulis, cadente Saturno. Et his qui cordi aduersantur. De syncope suo in loco dictum est satis.

15 De ea autem cordis passione, qua Telesius incineratum fuisse visum cor defuncti Romani secantibus Medicis, nil suppetit dicere, nisi quod vehementia caloris Medicis non agnita, calidisque aucta pharmacis, negato potu, acciderit paulatimque succreuerit. Proptereaque prudens esto Medicus, cum talia affuerint incendia; de quibus in 4. lib. locuti sumus, vt ad infrigidantia conuertatur.

De morbis organicis appetitiui.

CAPVT XII.

Triplex malum appetitiui.

1 POstquam de cognoscitiui morbis organicis dictum est, ad appetitiui mala vocamur; quæ in triplici sunt genere. Aut enim appetitus tollitur, aut debilitatur, aut vitiatur. Sublatio appetitus funditus mors ipsa est, & de hac hoc in loco non est sermo. Cũ verò impeditur, vt non esse appareat, vel potius fastidire cibos, dicitur inappetentia si ex toto abominatur: si ex parte, debilitas appetitus. Vitium autem in excessu, in quantitate est appetentia canina, & ingens esuritio, quam vocant bulimum; & immoderata sitis, illi analoga. In qualitate verò appetitus cum contraria naturæ, citta dicitur, & pica; cui consors est vinositas. Et hæc mala ex intemperie, & deprauatione organi contingunt. Præterea eiusdem appetitorij organi mala, dicuntur cordialia, singultus, subuersio, inflammatio, cruditas, inflatio ventriculi. Sunt etiam alij morbi, qui in intestinis accidunt, vbi fiunt separationes partium nutrimenti. Alij in ano, vbi fiunt expulsiones pertinentes ad odium, partem appetitorij. Sunt & alij morbi, qui respiciunt appetitum, & organa generationis. Alij ad absolutionem nutrimenti; quæ in iecore paratur, & in vasis attractiuis proficuarum partium, & excrementitiarum distribuitur: quarum morbi suis in capitibus enucleabuntur. Nunc autem ad eos, qui ventriculum respiciunt, sermo dirigendus.

In defectu tria mala.

In excessu.

In qualitate.

Sex morbi organi appetitorij primi.

Alij alibi.

De

De inappetentia, eiúsque curatione.

Artic. I.

1 Est quidem appetitus organum ventriculus; atque in eo fames,& sitis efficiuntur, ac proinde earundem defectus ac vitia: idcirco inappetentia eius læsionem consequitur, & quoniam primo corpus exinanitur perfecta nutritione attenuatis substantiæ partibus, eductísque per transpirationem. Ad inanitionem verò sequitur suctio, & vacui, & cognoscentis animæ vi, vsque ad ventriculum vbi suctionis sensus fit, ex quo sequitur appetitus repletionis,qui est fames.Ergo defectus famis, siue inappetentia accidit,vel quia nõ fit in corpore exinanitio,quod accidit vel ex nimĩa repletione, vel ex cutis obstructione, vel expulsiuæ defectu. Vel si fiat in ventriculo,non sentitur: ideoque non sequitur appetentia,quæ est proles sensitiui,& potestatiui organici. *Qui fiat fames, & eius opposita inappetentia.*

2 Cur autem suctio non fiat, in causa est vel frigus nimium sensum stupefaciens,humorésque incrassans, qui ostiola suctionis occludunt: vel intemperies calida,quæ nimis relaxat ventriculum,& ostia venarum ita, vt constrictionis sensum non faciat, nec proinde affectum. *Cur non fit suctio.*

3 Cur verò non sentiatur, in causa sunt humores vel biliosi, quod mordicatio ventriculi, & nausea interdum indicant,& vomitus, & sitis, vt in febribus accidere solet: vel humores crassi, obstruentésque;quod si fastidium,aut nausea consequitur: haud tamen rosio, neque sitis. *Cur non fit sensus suctionis.*

4 Inappetentiam,cuius causa in ventriculo est,curat contrariũ pharmacum. Dabimus ergo cõtra biliosos humores ea,quæ ipsos euacuant: contra pituitosos consimilia,de quibus sæpe dictũ est. *Curatio si ex bile.*

5 Cum autem fit ex intemperie frigida, vel calida, contrariis curabitur remediis, calidis frigidisue; obstructiones verò ea quæ incidunt aperient. Adhibebimus vnguenta, & emplastra ex cotoneis, & huiusmodi constrictiuis in laxitate ventriculi, calidis verò in obstupefactione,& frigefactione eiusdem. *Si ex intemperie.*

6 Difficilior autem est curatio,cùm non fit in partibus corporis exinanitio,magis autem cum multa fit citra appetentiam.

7 Vbi obstructio cutis impedit exinanitionem, periculum est ne hectica subsequatur. Idcirco dulcibus balneis, laxatiuisque oleis,& fomentis odoriferis,non adstrictiuis curatur.

Ex plethora. 8 Si plethora peccat, euacuationem humorum replentium celebrabimus secundum artem: præterea & frictiones, & inediam, lentumque exercitium.

9 Si autem multa fuerit exinanitio citra appetentiam, æger morti proximus est: facultas enim attractiua, spiritúsque vegetantes, & implantati, & liberi exhalauerunt. Quapropter si qua salutis spes est, curandi sunt odoribus caponum assatorum, sorbilibus ouis, & cæteris, quæ subitò instaurant, totúmque corpus vino, & odoriferis coctionibus irrigabis.

10 Cum causæ inappetentiæ fuerint debiliores, & non exquisitæ, sequitur appetitus debilitas, non autem abolitio; quæ quidem curatur eisdem pharmacis, sed minus robustis.

De excessu famis, atque sitis.

ARTIC. II.

Quid sit canina fames. 1 ACcidit aliquando appetentia, & insatiabilis, quam caninam vocant, eo quod plurimo hac passione affecti se ingurgitant cibo: cuius deinde multitudine grauati, eundem non ferunt, sed ritu canis vomunt, iterúmque appetunt, edunt, vomúntque perpetuo circuitu.

Causa ex Medic. 2 Huius causam multiplicem assignant, vel humores crudos, vel humores acidos, qui os ventriculi irritant, ex liene erumpentes, aut ventriculo impacti: quidam etiam assignant temperaturam frigidiorem, non quidem rectè. Frigus enim stupefacit, non irritat, nec id, quod fuit causa inappetentiæ, nunc sit appetentiæ. Acor autem propterea hoc facit, quod ventriculum cogit dum mordicat: constrictio autem dolorem affert. Vt ergo hunc dolorem, & constrictionem amoliatur, impleri appetit. Inflatio autem, murmur, & incoctæ egestiones, non frigus significant, sed virium imparitatem ad tot ciborum digestiones. Vermes etiam mordicantes ventriculum, famémque cientes, idest repletionis desiderium ingens, indicant omnem causam mordicantem idem efficere.

Correctio. Quod frigus non est causa diræ famis. Cur acidum est. Respons. ad rationē Medicorum.

Calor nimius famis caninæ causa. 3 Quapropter illa fames dira, quam bulimum appellant Medici, causam non habet ventriculi frigiditatem, indigentiam, & virium debilitatem, vt ipsi opinantur: sed caloris vnionem interiora corporis consumentem. Ideóque præcipuè qui per loca frigida ambulant, hoc patiuntur: non quia frigescit ventriculus, sed quia

quia mox roborato calore, vnito per frigus exterius augetur: propterea que mox non comedentes animo linquuntur: quoniam calor exoluit ventriculi vires, imbecillésque reddit, vt & in febribus accidit. Cæteras autem partes corporis frigus extrinsecum affligit.

Hoc autem ita euenire expertus sum absque frigore, cum mihi epulum labore ad ignem pararem, ac insuper calido potu secundum artem, cibóque calido vterer: nam fames multa statim in deliquium degenerabat.

4 Præterea canina appetentia causam solet habere nimiam corporis consumptionem; quod præcedens victus, & passio, & siccitas egestionum, indicabunt. Hanc autem & ipse expertus sum post ieiunium quadragesimale: in quo pane, salsisque rebus vinóque medicato, tabernariorum fraude, calce, & gypso, maxima in egestate, vtebar, quemadmodum in libro præcedenti descripsimus, & rationem medicandi similiter adiunximus: potum enim adhibuimus ex vino, & lacte, cibósque lacte coquebamus, & herbis humidis: super paleis cubantes, stramine laneo detracto, cibis boni, multique succi vtentes: & iecur acido lacte exterius refrigerantes, interius verò summo mane lac similiter bibentes: vt calorem, quo totum corpus consumi, & quasi discontinuari, non secus atque folia dum comburuntur, sentiebamus, & cum vrina adipem multum emingebamus, moderaremur.

Inedia & salsorum in potu & cibo vsus causa famis caninæ.

Cura.

5 Bulimum verò, quoniam est resolutio ex fame consumptiua, ac proinde defectus etiam, absque frigore, velint, nolint Medici; curabimus rebus, quæ statim vires instaurant, vt diximus loquentes de syncope, quales sunt odores vini, & assatarum carnium, & sorbilia oua, & panis odor vino intincti generoso. Conabimur etiam os aperire nolenti, & cibum liquidum & vinosum iniicere per vim, præexcitatis viribus acetō, pulegio, & acutis odoribus: quæ omnia ad rem non essent, si frigus in causa foret per se. Cibabimus ergo frequenter, modice, & facilibus cibis, vt dictum est. Vires enim imbecillæ multis crassisque suffocantur. Cibabis etiam febricitantes bulimo affectos, quamuis in accessione: maior enim est virium necessitas, quam pugnæ. Eis verò qui præter febrem ex calore hoc emaciantur, tunicam & diploidem, statim ad pectus, & ventriculum aperiemus, & odores adhibebimus, & cibos minus cali-

Cura bulimi.

dos secundum artem: potúmque non calidum exhibebimus, &c. vt supra.

Cura famis cum febricula sine vomitu. 6 Qui fame dira ex nimia exinanitione afficiuntur, & febricula quasi hectica nondum hectica, cum cibum acceperint, non euomunt: curandi autem sunt continua cibatione boni succi, modica, frequentique: humida, lactea; prosunt pisces, & suilla valdè, vt & iuuenes carnes.

Cura famis eiusdem cum vomitu. 7 Qui autem vomunt, non sola inanitione laborant, sed humorum copia acidorum, siue biliosorum: idcirco euacuandi sunt prius humores impacti, & fluctuantes hiera picra: reprimendi etiam contrariis non attractiuis, cum in via, non extra, sit morbifica causa. Roborabitur & ventriculus conuenientibus.

Cura Medic. Correctio. 8 Præcipiunt Medici pinguedines, & cerebra dari in cibum, quæ appetitum euertunt laxando, nec constringunt; quod bonum est, vbi nimia adstrictio sit in causa. At si humor educendus, forsan valent pinguia, vt illorum acor, qui ventriculo insedit laxetur, extinguatúrque. Vinum, & mel valdè prosunt ad dissipandam huiusmodi famem, & humores conterendos. Vinum cum lacte, & aniso, & cumino, & fœniculo conferunt, vt & humor dissipetur, & fames mitescat. *Admonitio.* Cauendum, ne dum moderationem procuras famis, totum appetitum pessundes, in contrarium transiens morbum. Quapropter lacte, & pinguedine pedetentim, & pro vtilitatis ratione, & victoria naturæ vteris, augendo, vel minuendo. Idem in his, quæ forinsecus adhibes.

Cura sitis extraordinaria. 9 Sitim immensam ex nimio æstu prouenientem exteriori, vel febrili; aqua mulsa aceto modico mista tollit, vt messores Apuli continuo probant. Acetum enim vias aperit aquæ, cuius est sedare expansione calorem: præterea acumine adaperit poros, flammulæque exitum præbet, crassóque humori vel vapori tenuitatem, vt facilius vnà cum calore elabatur. Idem faciunt res acidæ cum aqua: hæc enim succedens probe temperiem totius refrigerat corporis. Prodest valdè panis aqua intinctus: sic enim in ventriculo retinet aquam diutius.

Cura sitis ex ventriculi calida intemperie. 10 Si autem ventriculi intemperies calida est in causa, sedatur refrigerantibus succis, lactucæ, portulacæ, endiuiæ, &c. horúmque commanducatio valet: similiter & cibus, carnésque anatum, anserum, & aquatilium rerum, & lac.

Ex sicco. 11 Cum siccitas fuerit in causa, brodia pinguia, lacteáque, & carnes aquaticorum proderunt. Carnes etiam lacte coquantur

tur:oua,pineæ, saccharum, herbæ aquaticæ enodes, corpulentæ, mollésque substantia:placent agninæ,suillæ,& humidiores quæcunque.

12 Accidit etiam salsos humores, & marinæ aquæ potum, aut ebrietatem,sitis ingentis esse causas. Quapropter hos pharmacis salsam pituitam educentibus curabimus; cibósque dabimus, potúsque medicatos seminibus frigidis, vt in 5. lib. dictum est. Conducit sorbitio omphacij, & succi pyrorum, & cotoneorum cum aqua. Vomitiones etiam præfatorum humorum salsorum procurandæ,& incisio per acetum, vt facilius expellantur si crassescere cœperint;quæ autem ebrietatem sedent,dictum est alibi. *Ex salso.*

De appetitus deprauatione.

Artic. III.

1 Dicitur appetitus deprauari, quando ea appetuntur, quæ nutritioni, aut sanitati contraria sunt. Accidit autem hoc vel ex partis organicæ prauitate, vel ex totius corporis & temperiei improbitate, siue naturali,siue accidentali; aut nondum habituata,aut prorsus in habitum mutata. *Vitium appetitus ex quibus causis est.*

2 Quæcunque contrariantur nutritioni,cõtrariantur & sanitati, nisi superflua nutritio præcesserit:etenim qui nimis pinguefacti sunt,expedit eis appetere minus nutrientia, non autem cæteris. Sic qui pica laborant, carbones appetunt,calcem, cimoliam terram,testas,& huiusmodi, quibus nutriri non possunt: & sanitas dupliciter pessundatur, tum ex nutrimenti carentia, tum ex prauorum ingestione.

3 Qui autem febri corripiuntur,appetunt frigidam febri contrariam, amicam vero partibus, calore consumptis, afflictisue: sed tamen quatenus impedit calorem à pugna contra prauos humores, sanitati contrariatur. Sed quibus naturalis est calor, aut habituatus accidentalis, semper illi calida appetunt, & similia; sic pueri humida, dulciaque cupiunt, suo temperamento congrua; senes amara siccáque, biliosi biliosa:atrabiliosi similiter atrabiliosa. *Habitus cuiuscunque temperiei appetit similia, dispositio vero contraria.*

4 Medicorum quidam scribunt naturam tam in naturali temperie, quam in præternaturali semper contraria appetere: calidi enim frigida, & frigidi calida in potu, & cibo, & exterioribus amant. Similiter & sicci humida, & humidi sic- *Contra eos qui dicunt quamlibet intemperiem appetere contraria.*

ca. Quod si verum esset, eadem esset curatiua, & conseruatiua Medicina, & læti tristia, & tristes læta, & terrestria mare, & marina animalia tellurem sequerentur, & Empedoclis rediret positio, quam in Phys. reprobauimus: scilicet quod calida in mare, frigida in terram ab initio migrarunt, contraria quærendo: ergo & ignis deorsum, & tellus sursum abirent, & pueri amara quærerent, & senes dulcia, quod falsum est.

Contra eos qui similia.

5 Alij è contra non nisi similibus curari in naturali, & non naturali intemperie. Et hæc opinio statim se prodit falsam, cum incalescentes frigora, & frigefacti calida cupiant, & amaricati dulcedinem.

Tertia opinio verior.

6 Alij dicunt similia appeti, cum intemperies facta est: dum in fieri, contraria: ergo qui amarescunt dulcia amant, quo amaritudinem affligentem pellant; at cum amari facti fuerint, amara. Sic & qui cane rabido percussi sunt, aquam auersantur, cum siccitas rabiosa in eis confirmata fuerit: quam tamen à principio amabant. Sic putant de his, qui citta laborant dicendum.

Argumenta contra hanc sententiam.

7 Sed contra hanc sententiam, quam puto veriorem, insurgunt alij opponentes, quod hectici confirmati in calore, & siccitate; sicca, calidáque appeterent; quod tamen est falsum. Præterea mulieres vterum gerentes à principio appetunt carbones, & detestabilia, antequam intemperies fiat; postea verò hoc appetitu liberantur: cuius contrarium euenire oportebat ex hypothesi.

Respon. ad primum.

8 Istæ tamen rationes sunt parum firmæ: hectici enim à principio cum incalescunt, humida, frigidáque cupiunt: cum autem intemperies confirmatur, eorum soliditas tabescit, & colliquatur calore suo, & reddit quod habet nutrita pars, & non accipit quod non habet: idcirco nec appetit accipere. Soluitur etiam siccitas, & calor introrsum: ideò, &c. At etiam sicca, & salsa appetunt cum cœperint confirmari.

Respon. ad tertium.

Prægnantes verò tunc citta laborant, cum menstrua supprimuntur; & fœtus nullo, vel exiguo alimento vtitur. Generatur enim ex menstruo prauus in ventriculo, & in venis succus prauum appetitum faciens: cum vero fœtus adoleuerit, nutritur ex meliori sanguine: & spiritus muliebris elaborat sanguinem, separátque fuligines, & impuritates, quod à principio non faciebat; cum minori nutrimento, & elaboratione opus habebat:

habebat: nec iam necessitate didicerat purificationem: fortè & aliqua pars ad fœtum fluit cum nutrimento: incipítque mulier exonerari, vnde pars vomitione educitur, aut in mariscas sequestratur. Vidimus nos appetitum mulieris gerentis vterum, natis communicari. Quædam enim mulier non nisi acidum aurantiorum, & citriorum appetebat. Natus filius post annum hisce libenter vescebatur.

9 Cum igitur sanguis vitiatur, aut humores alij in ventriculo adhærentes putrescunt, & prauas qualitates ventriculo conciliant, sicuti stercus, & vrina vasi ligneo, solent suas qualitates indere; tunc procul dubio à principio appetunt ea, quæ tali contrariantur prauitati, vt expellatur. Hæc autem sunt abstersiua, & incisiua: propterea acidis, & acetosis, & acribus illi delectantur. Quibus ventriculus viscosis humoribus, putridísque afficitur, vt corrodantur; alij cæpas, alij calcem optāt: alij dulcia, quibus incipiunt amarescere intestina. At cum non sola intemperies confirmata est, sed etiam simul humores temperiem deprauarunt, & præualuerunt praui: tunc ea desiderant, quæ illi prauitati fouendæ conueniunt. Propterea melancholici, & mulieres prægnantes, & quibus menstrua, aut hæmorrhoides supprimuntur, in appetitum carbonum, & testarum, & abominabilium ciborum deueniunt. Sic dicebamus in lib. de sensu rerum, eos, quos tarantula, aut canis rabidus momordit, cum in naturam mordentium abierint, ea optare, quæ ipsis tarantulæ, & cani sunt similia, à principio vero contraria. Sic semiebrij aquam: vinosi confirmati vinum semper plus appetunt. *Ratio dictarum.*

10 Quemadmodum igitur à natura singula animantia his naturaliter vescuntur, quibus innascuntur, & quibus cum habent symbolum, vt vermis in caseo natus mica casei, in ligno ligni ramento, in stercore stercoris substantia: sic in intemperiem acta prorsus alienam suæ, aliena cupiunt; nec de hac re amplius dubitandum. Sed aduertendum, hos appetitus vehementiores esse, si in toto corpore eadem prauitas, præsertim in venis fiat, & non sit qualitatis sola mutatio, sed etiam substantiæ, videlicet humoris, & soliditatis. Si autem fiat in solo ventriculi ore huiusmodi affectio, non ita vehemens, nec sanatu difficilis erit. *Confutatio.*

11 Conandum ergo, vt antequam confirmetur morbus, causa morbifica euacuetur per ea, quæ patiens appetit, addito consimilis substantiæ pharmaco potentiori. Non enim aciditas citri sola *Cura.*

ſufficit impactis viſcoſis prauitatibus educendis, niſi & vomitorium raphani ex ſucco, vel cæpæ, & huiuſmodi addas; quod quidem facilè perficitur, cum humor eſt in via. Conuenit etiam maximè prægnantibus vomitio, quibus alia purgatio fœturæ nocet.

12 Si verò prægnantes non fuerint, menſes ciendi, viris autem hæmorrhoïdes. Si per vomitum non ſanantur, hiera picra ſunt purgandi: non enim ſolus ventriculus eſt affectus, ſed & ſanguinis vaſa. Diminues etiam cauſas oxymelle ſimplici, & ſcyllitico, oxyſaccharo: deinde purganti pharmaco; quo peracto, ne dum ex picra, ſed agar. ſen. & aliis reſpiciẽtibus humores, quos peccare ex præcedenti victu, ætate, & oppilationibus, & colore perdiſces, & cæteris ſignis; ſubiungatur dietim ſuccus punicorum cum menthæ puluere ſiccæ, decoctum polygoni, anethi, &c. forinſecus verò roſa, myrtus, ſemen fœnicul. galla, abſinth. mala cotonea, cum poſca, croco, & aceto, & oleis, & vino, & ſimilibus in formam emplaſtri, &c.

13 Si totum corpus laborat, vt in lycanthropia: tunc medicamina fortiora ſint, & trahentia ab extremis vaſis.

Conſideratio, & ſumma vitior. appetitus.

14 Aduertendum verò, quod carbones, & atras appetunt res, quibus atrabilis temperamentum, aut ventriculum afficit: cimoliam terram, quibus pituita craſſeſcit inſtar caſei in ventriculo: teſtas, quibus indureſcit; rarò autem flaua bilis concomitatur: & tunc deteſtabiliora quæruntur, & inſaniunt, vt dictum eſt, cum de deliriis. Medicus ſit cautus, vt cui humori ſuccurrat non ignoret: & ſi eſt in via, contrariis; ſi extra viam, etiam ſimilibus vtatur pharmacis, iuxta regulas lib. 5.

15 Cibus eſto amariuſculus, & acidorum, & abſterſiuorum: ſimiliter & potus; & cum obſtructiones affuerint lienis, vel vteri in cauſa, ad illas reſpice.

De ventriculi ſubuerſione, nauſea, vomitu, ſingultu, eorúmque cura.

ARTIC. IV.

Nauſea cauſa aliquando ſola imaginatio nauſeatiuorum eſt.

1 PAſſiones ventriculi, appetentiæ inſtrumenti, ſunt variæ ad ſuarum facultatum noxam ſpectantes.

In primis occurrit nauſea, quæ apprehenſio eſt ſpiritus rerum quaſi noxiarum ad ſtomachum pertinentium cum deſiderio, atque

atque motione quadam ad expulsionem parante viam : neque enim res, quæ nauseam faciunt noxiæ sunt, sed apprehenduntur solum aliquando vt noxiæ. Citra hanc apprehensionem non fit nausea, sunt enim qui edunt praua, & pediculos, & mucores in ferculis sordidorum coquorum, nec propterea nauseam incurrunt:at si quis eis dicat sordes in cibo tales fuisse, incurrunt. Immo etiam aspicientibus alios sordibus vesci,in nobis nausea fit:& cum recordamur vomitus in mari tolerati, iterum nausea, aliquando etiam vomitus, in nobis excitatur. Quapropter indoctè Medici nauseam,cæteráque passiones ventriculi stupidæ facultati tribuunt, animæque, & intemperici, & humoribus, & ingestioni, cum etiam absque his accidant ex sola imaginatione.

2 Quando autem præcedente nulla fit imaginatione,causa est in ventriculo, vel supernatans oleaginosus mucosúsve humor, qui dilatare plus quam est opus ventriculi possit fibras. Manifestum est enim,quod caro pinguissima, porcina vocata,hoc facit; & oleum, & multa alia dilatantia absque adstrictione : ita vt etiam cæpæ & raphani succus cum aqua calida, vel aceti gutta idem efficiant, propterea quod dilatant stomachum tepore, & acumine : aut fumos prauos emittunt, spiritum stimulantes ad expulsionem earum, quæ in ventriculo sunt causarum. Vnde & humores mordicantes ventriculum, etiam biliosi, nauseam prouocant : quamuis nec dilatent fibras, quoniam irritant spiritum ad sui eductionem : proprium tamen est dilatantium nimis nauseatio.

Aliquando humores qui & quomodo. Facultas sensitiua non est stupida, sed sensitiua etiã imaginationis.

3 Fit etiam nausea ex grauitate ingestorum ciborum;cum enim eos coquere non possit ventriculus,onere grauatus, spiritum irritat ad eorum expulsionem:magis autem si quid oleaginosum in eis fit, pingueque.

Aliquando ingestio nimia.

4 Hi autem humores ventriculum irritantes ad nauseam, cum præualent etiam ad vomitum irritant. Est enim vomitus perfectus conatus expulsiuus prauitatis in ventriculo existentis: nausea vero imperfectus, ex passionis molestæ sensu, affectionéque sequens.

Quid vomitus, quid nausea.

5 Dicitur etiam stomachi supinitas iste conatus, vbi fit iuxta intemperiem stomachi absque vitiatis humoribus,quoniam pars ima eleuatur ad expulsionem noxiorum, & imaginatorum.

Quando fit ex supinitate.

Dicitur

Dicitur ſubuerſio eadem motione facta ex humiditate dilatante, vel pinguedine.

Quid ſingultus. 6 Cum autem conatus citra nauſeam fit, vocatur ſingultus. Eius cauſa eſt nimia repletio, & flatus in ea, & grauedo ſtomachi; proptereàque maximè pueris, guloſiſque accidit. Item ex acidis humoribus, & acribus ſeroſis, & à deuorato pharmaco ex tribus piperis generibus conſtante, quæ ventriculum pungunt, proritántque: fit ergo citra nauſeam, vbi pinguedo, & dilatatiua abeſt cauſa.

Singultũ non fieri ex inanitione citra mortem. Sed ex compreſſione ſequente. 7 Arbitratur etiam Hippoc. ex inanitione fieri ſingultum, quaſi conuulſionem: ſed hoc impoſſibile eſt citra mortem: non enim tanta inanitio fieri queat in ſtomacho, niſi euacuatis humoribus bonis vnà cum prauis; neque inanitio eſt cauſa ſingultiendi, cum in ea nihil ſit amoliendum, ſed vaſorum ſtrictio & obſtructio ad inanitionem ſequens; & quædam conſidentia vaſorum: quorum mole & adſtrictione ſpiritus reſiduus conſtipatur, premitúrque: quam compreſſionem vt vitet, ſingultit, hoc eſt, conatur preſſuram eleuare.

Epilogus decem cauſarũ vomitus. 8 Cauſa ergo nauſeæ & vomitus, eſt humor aut genitus in ventriculo ex illius intemperie, aut ingeſtus vnà cum cibo: aut à corporis plethora in ventriculum irruens, aut ex aliqua corporis parte prauis humoribus affecta, quos eructet in ventrem, vti ſolet lien, & iecur: aut conſpectus ſordium, vel imaginatio, vel recordatio. Præterea cauſa eſt grauedo vel ingeſtorum ciborum & potus, vel aliunde delatorum in ventriculum multitudine peccantium fluorum.

Vndè cognoſcitur quæ cauſa ex his efficiunt vomitum. 9 Cum in culpa eſt plenitudo, & copia; ſi ciborum fuerit, ex relatione ægri vel adſtantium diſcitur; ſi ex plethora, ex corporis habitu, & grauitate. Cum vero prauitas eſt in culpa, ſimiliter diſces ex adſtantibus, an à cibo ortum duxerit: ſi enim pinguia nimis, aut acida, aut pharmacum piperis; aut flatuoſa ederit, faciléque corruptibilia, interrogabis: ipſaque vomitio vnà cum cibo ſui indicium faciet.

An vero prauitas in ventriculo oriatur, itidem diſcimus, ſi cibi probi fuerint, aut etiam ſine cibo ieiunis nauſea adſit, & diuturna, non extemporanea. Scies etiam an ſupernatet ventriculo, vel tunicis eius impactus adhæreſcit, quando cum vomitu, vel abſque vomitu nauſea excitatur. Scitur etiam an prauitas fluoris aliunde in ventriculum deriuetur. Si enim ex toto corpore, habitus

rus prauus, eiúsque plethora indicabit, & pustulæ, & eruptiones prauæ in cutim. Si verò ex aliqua parte corporis, eius partis dolor, aut tumor, & ægritudo præcedens. Præterea intermissa nausea, & vomitus, aut singultus: cum enim ista in ventriculo habe[n]t causam, continua sunt; cum aliunde, prout & quando eruptio inde fiet.

10 Genus etiam, & qualitatem humorum ex symptomate ventriculi arguimus: oris enim amaritudo, & mordicatio in ore ventriculi, & sitis, & inappetentia, & ciborum in amaritudinem conuersio, biliosi humoris sunt signa. Defectus sitis, & ardoris, sensus verò frigoris, & dulcis sapor, pituitam indicant, præsertim si acescant etiam cibi, & ructus: hordeum enim, & triticum acescunt aqua putrescentia, vnde siceram faciunt. Sitis cum his salsam pituitam ostendit, etenim & vino multo pleni, niuis vi frigido, sitiunt valde citra amaritudinem. Vbi etiam adfuerit atra bilis, tristitia, metus, ructus, fœtidę excretiones, grauitas poplitum, & imaginatio praua, præsertim in somno comitabuntur. Horum omnium prognosticum in lib. 4. habes. *Vnde ca... tas & g... causarum.*

11 Cura nauseæ, & vomitus ex sordium visu, & imaginatione fit per munditiam mensæ, & vasorum, & ciborum, & per bonos odores, & lætas imaginationes. *Cura nauseæ ex apprehensione.*

12 Si cibi pinguedo est in causa, curabitur vomitu & adstringentium potu, & esu capparum, cotoneorum, punicorum. Panis etiam aceto perfusus valet, & vino menthâque applicatus deforis, & macrorum esus. Caue à dulcibus pinguibusque. Vinum austerum, sit potus. *Cura nauseæ ex pinguedine.*

13 Ciborum grauitatem exoneratio per vomitum procurata, aut clysteres, amouebunt. Verum nihil melius vomitu, quem sequatur inedia, hanc tenuis, mundus, astringénsque victus, & potus austerus, &c. *Ex grauitate ingestorum.*

14 Si autem à plethora, vel membro ortum habet grauedo, euacuans pharmacum, & ieiunium, & quæ illud membrum exonerant sanántque, valebunt. *Ex plethora totius vel partis.*

15 Porrò vbi prauus humor, si ex toto corpore, purgetur pharmaco humores peccantes educente iuxta genus suum, vt dictum est in lib. 5. iuxta indicia pituitæ vel bilis, vel &c. Si ex aliquo membro, respiciat medicamen illud membrum. *Ex prauo humore.* *Nota pro multis aliis morbis ex ventriculo & humoribus, &c.*

16 Cum autẽ in ventriculo generatur, facilior erit curatio: non enim pharmacum, sed expulsiuũ propinabis, incisiuum quidem,

absterſiuum, qualia ſunt amara, acidáque, ſi pituita peccat, humórque tunicis ventriculi nimis adhæreſcat. Laudatur in primis aloë, & abſinthium. Cum autem natat, per vomitionem facilior erit eductio. Bilis etiam ſimiliter ſurſum ſi flaua eſt expellitur, deorſum ſi atra.

Curatio cõmunis. 17 In cunctis autem quæ ſtomachum confortant procurabis; & ſi quidem talia purgentur per vomitum, qualia oportet, & facilè ferunt, naturam ad id iuuabis. Si autem exceſſerit vomitus indigentiam, ſupprimendus eſt adſtrictiuis intus, & extra. Decumbat elato collo æger in aëre ad frigidum vergente, ſed temperato; ligentur extremitates: adhibeantur odoramenta. Vngatur extrinſecus oleo myrtino, abſinth. roſ. Addantur cataplaſmata ex abſinth. coton. cumino, maſtice, farina lolij, reſina lentiſci, & mentha, &c. Vinum maluatic. & muſcatel. laudantur, &c.

Fit etiam ex mentha Romana decocta in oleo, additis caryophyllis, nuc. moſch. cynamom. maſtice, ſpicanardi, &c. corroboratiuum mirificum. Siſtit etiam vomitum, præſertim ciborum, menthæ ſucco granati infuſæ potus; & cucurbitula ſtomacho affixa, citria, & aromatica cuncta ſtypticitatis participia optima ſunt intus & extra.

18 In cibo ſorba, meſpila, cotonea, azarola poſtremo loco valent. Pyra etiam ſtyptica; ſingulis etiam morſellis carnis caponis adhibe modicum pyri, aut ſorbum, &c. quia &c. Proſunt & in brodio eadem. Adde hyſſop. puleg. ſerpillum, menth. & huiuſmodi.

Cura ſingultus. 19 Singultus eandem curam habet. Reſpice an plenitudo noua, an vetus ſit in cauſa, an flatus, an corrodens humor. Vomitus enim facilè ſoluit, & ſternutatio ſingultum, niſi fiat ex inanitione. Cauſa enim vetus nil ab ea, quæ nauſeam facit, diſtat.

De dolore ſtomachi cardialgico, & cardiaco.

ARTIC. V.

Cauſa cardialg. 1 PRæterea cum ſtomachum acres humores mordicant, vellicántque, vel vermes in eo geniti, fit ob exquiſitum oris ventriculi ſenſum, dolor, vocatus cardialgia apud Medicos. At vero ſi humores mordicantes aliquid venenoſi habent, vnde & per antipathiam ſpiritum fibris contentum lædant, fit atrocior morbus, quem cardiacum vocant: eò quod ventriculus cor antiquis vocabatur, aut quia cor cõſentit affectui. In cardialgia febris *Cardiaca.*

non

non adeſt,ſed dolor acutus,& anxietas.In cardiaca febris acuta, æſtuoſa,pulſus creber,obſcurus:ſudor pectoris, & capitis; extremitatum frigus,deſperatio,angor animi,corporis iactatio,& ſæpè ſyncope,qua etiam moriuntur, confluente ſpiritu ad ventriculum,ſuffocato,victóque,vt ſuo in loco declarauimus.Eædem ſunt causæ vtriuſque morbi, ſed huius potiores, nam & vermes multum vellicantes in cauſa eſſe poſſunt, & acres humores , vel in ventriculo geniti,vel à corpore toto deriuati, vel ab inflammato quopiam membro. *Comparatio cardialgiæ, & cardiac.*

2 Curatur morbus vterque eiſdem rebus:ſed in cardiaco fortioribus. Victus ſit refrigerans,confortans,adſtringens,& tenuis, ne oneret;ſed repetatur crebro,ſi opus fuerit:vt lactuca,portulaca,cum aceto,mica panis in vino auſtero aquoſo, vel in aqua gelida. Pulli, perdices ,aues, capones non pingues:piſces ſaxatiles cum aceto, vel omphacio.Potus ſit aqua hordei,& cynam.& roriſmarin. *Cura vtriuſque.*

3 Medela per vomitum confert,ſi ad ſupera vergit humor;vel ſi ad inferna, per hieram picram, aut aloën. Conſiderabis enim cuius qualitatis ſit humor,& quid requirat. Et ſi lumbrici fuerint in cauſa,remedium contra eos adhibebis.Cum inflammatio membri, illud membrum curabis ſecundum artem intus, & extra;quæ ſtomachum roborant adhibendo,de quibus ſupra locuti ſumus.Odoramenta addantur,&c.

De inflatione ventriculi.

ARTIC. VI.

1 AB inflationibus ventriculus inſuper doloribus cruciatur, videlicet cum genitus flatus in eo, adeò craſſus eſt, miſtúſque, vt nec per ructus , nec per crepitus , vti aſſolet, emitti queat:vnde ſpiritum fibris implantatum comprimit,caput vertiginibus,& grauitatibus afficit,hypochondria tendit, eleuátque, & diaphragma premit:& pectus,& vertebras interdum afficit, & ſpirandi parit difficultatem,fiuntque ſonitus in ventre tanquam tympani,& dolores. *Septem in inflatione ventriculi ſymptomata.*

2 Cauſa flatus huiuſmodi aliquando eſt ſolus cibus flatulentus,vt faba,cicer,carduus,& pleraque ſemina,& crudæ res, quæ ſuccum craſſum ; vnde craſſi flatus emergunt , gignunt. Verum ſi calor innatus fortis fuerit, facilè eos diſſoluit in tenui- *Cauſa cibi craſſities &c. & remedium naturale.*

tatem, forasque educit, ructibus, crepitibus, & transpiratione, præsertim vbi labor & motus accesserit calorem accendens, flatusque agitatione, & calore simul attenuans.

Secunda causa humor impactus & caloris debilitas.

3 Aliquando in causa sunt ventriculo impacti humores pituitosi, viscosique. Interdum etiam atrabiliosi commiscentur: quod quidem noscitur, si ante prandium, & continuò vani ructus in ventriculo adsint, qui etiam caloris innati debilitatem indicant. Neque enim crassescat, nisi caloris defectu, & humoris copia. Adest in his, præter symptomata prædicta, animi angor, tristitia, desperatio, sæpéque vertigo, & delirium.

Caloris imbecillitas maxima causa flatus.

4 Vera tamen causa flatus omni tempore est caloris imbecillitas, qui cibum in fluorem, & fluores in vaporem dissoluere nequit, nec vapores in tenuitatem: potest tamen solum eleuare; sicut calor veris ventosus, non autem æstiuus ob robur ad dissoluendum flatus: neque hyemalis, quia commouendo impar, proptereaque periculum imminet, ne multi flatus in aquam inter cutem vertantur. Puto tamen quod plurimus calor, qui id quod in fluores vertere debebat, in vaporem agit: quod verò in vaporem, in tenuitatem; posset flatus gignere, de quibus vbi de hydrope sermo occurret, agemus. Calor itaque imbecillus tam è cibis, quam è viscosis fluoribus, vapores crassos intranspirabiles creat.

Calor nimius qui causa flatus.

Cura flatus ex cibo.

5 Cum cibus flatulentus est solus in causa, inedia sanatur, & potu piperis in vino, & anisorum, & fœniculi seminum. Cibos auersabere huiusmodi, præsertim legumina, & castaneas, & omne crudum. Condies vero cunctos pipere, aniso, cumino, caryophyl. & aromatis flatum dissipare valentibus, stomachum roborantibus, &c. & cum necesse fuerit, eiusmodi vti cibis, vtere aromatis, & labore, & coctura forti, & allio, prout poteris, &c.

Cura flatus ex impacto humore.

6 Cum verò humores, potius autem lentores, ventriculo adhærentes peccant, purgabis eos per vomitum, aut per aluum secundum artem. Omnia cruda cauebis, & olera, & semina, & quæ iam diximus. Vino meraciori vteris, & abstersiuo. Stomacho olea calida applicabis cum modico aceto, quæ calefaciant, & incidant, prout ratio peccantis postulabit causæ: de qua sæpe. Extenuantibus vtere, & rarefacientibus.

7 Cum imbecillitas caloris peccat, cibos concoctu faciles, bonique

ionique ſucci imperabis, flatuique contrarios, aromatis conditos, prædictiſque iam rebus. Vinum meracius, non copioſum ne ſuffocet. Clyſteres ex decocto origani, pulegij, calamenthæ, cumini, mentaſtri, apij, fœniculi, radicis helenij, parentur, exque oleis abſinth. rut. aneth. pinguedinis gallinæ, addito ſale. Item ſuppoſitoria ex melle, & ſeminibus dictarũ rerum. Decoctio eorundem prodeſt mane ieiunis; oleáque ventri extrinſecus adhibita. Additur & caſtoreum, &c. Ex eiſdem rebus valent cataplaſmata, & farina hordei, & lolij. Cum perſeuerat afflictio, remedium optimum Galeno eſt affixa ſtomacho cucurbitula. *Curæ flatuus ex imbecillitate.*

8 Reſpice etiam an caloris imbecillitas adſit à frigore; illúdque fuga: an à calore laxante ſéque ipſum cum tenuitatibus educente; & tunc vtere adſtrictiuis, & cohibitiuis modicè refrigerantibus: an à calore, & æſtu externo; quies, ſomnus, & vmbra ſint remedio, cibúſque ſubito nutriens, vel odores tantum, &c. de quibus pluries locuti ſumus.

De inflammatione ventriculi.

ARTIC. VII.

1 Contingit etiam ventriculo inflammatio ſiue in ore, quod inappetentia indicat; ſiue in cauitate, quod defectus coctionis demonſtrat. *Situs inflammationis ventriculi vt diſcernendus.*

2 Et quidem aut à ſanguinis eo confluentis copia, ob humoris irritationem, præſertim autem bilioſi: aut à bilis confluxu cum ſanguine: id quod ſitis ardentiſſima, febris acutiſſima cum minori grauitate, ac tumore humiliore prodit. Sanguinem autem purum, vel non attractum irritamento, nequaquam inflammationis, præſertim hoc in loco, arbitror eſſe cauſam. *Cauſa.*

3 Periculum lethale eſt, niſi vires robuſtæ ſint ad reſiſtendum. Praua eſt febris, quoniam ſoluit, cum in morbum irruit, vires; prauior eſt ceſſio, quoniam deſperat vincere, vt in prognoſticis dictum eſt. *Periculi ratio.*

4 Cura fiat in aëre ſubfrigido. Victus ſit tenuis ex ptiſanæ cremore, & in bilioſiori phlegmone ex lactuca, endiuia, borragine cocta &c. in aqua hordei, vel pullorum brodio, anſerculorumve. Potus ſit aqua hordei cum ſucco punicorum, aut aliorum acidorum fructuum. Carnes, vinum, & omnia percalida, & craſſæ ſubſtantiæ, in quorum coctura laborat ſpiritus, vitentur. Somnus. *Cura interior, & exterior.*

nus breuis, ne ad interiora ſanguis conuerſus phlegmonem augeat.

5 Mittatur ſanguis de cubiti interna vena multus, & repetitus, ſi plethora adſit, & vires: ſi bilis peccat, non adeò largiter. Tentetur aluus clyſteribus lenibus, non acribus, & valdè irritantibus. Poteſt & purgatio, ſi fæces abundant, & vires; per manna, aut caſſiam fiſtulam, & thamarindos, aut roſ. infuſ. vbi phlegmone declinauerit, adminiſtrari, dum autem feruet, minimè; ſed repellentibus, & diuerſiuis cucurbitulis, ſtrictoriiſque minuenda inflammatio.

6 Vtendum à principio adſtrictiuis corroborantibus ventriculum tum fomentis, tum oleis, tum emplaſtris, & cerotis, miſcendo etiam quæ laxant phlegmonem, fermentántque, vt maturetur, aperiatur, flammáque, facto exitu, abſcedat, aut ſuppuratio fiat. Et quoniam videtur duplex ſcopus reſpiciendus, alter eſt confortatio ventriculi, quæ per adſtrictiua perficitur; alter laxatio phlegmones, vt exhalet calor, & maturetur tumor: propterea vtriſque pharmacis erit opus. Nec ineptè Medici veteres adſtringentia adhibent, ne ventriculi tonus roburve diſſoluatur, nec phlegmones cura eidem proſit.

Igitur ex abſinthio, cotoneo, maſtice, pyro, roſa purp. ſantalis, farina hordei, bolo armeno, nuce moſch. balauſtiis, iſtorúmque oleis, cera, reſina terebinth. omphacio, hypocyſtide, & ſimilibus, parentur emplaſtra, cerota, epithem. &c. Et remiſſo æſtu, vel ex parte, additur farina fœnugræc. lini ſemina, althæa, flores chamom. aneth. melilot. roſ. purp. cæteráque iam nominata adſtringentia, propter vtrumque vſum.

De triplici cruditate ventriculi ingeſtorum.

Artic. VIII.

Cruditatis cauſa. 1 CVm ventriculus, ſiue ventriculi ſpiritus quacunque cauſa languet, aut diſtrahitur, cruditas aſſumptorum fit ciborum, concoctione impedita, vel ſublata, vel deprauata. Vnde triplex cruditatis genus habemus. Aut enim nihil coquuntur cibi, & quemadmodum aſſumpti ſunt ita eiiciuntur, eandem qualitatem retinentes. Aut alterantur quidem ad cocturam, ſed non quantum opus eſt, vt in chylum vertantur. Aut alte-

Triplex vitium cruditatis.

alterantur in alienam à chylo nutrimentali qualitatem.

2 Causa totalis defectus coctionis esse solet, vel nimia ciborum ingurgitatio, quam nec aggredi audet spiritus: vel spirituum absentia, & distractio totalis, quæ acutos morbos comitatur: vt cum in vteri passionem, aut capitis, aut aliorum sese confert: Vel spiritus resolutio defectúsque, qui ab intemperie calida nimis, vel inflammatione, vel aliis subsequi solet; quæ omnes facilè ex his, quæ præcesserunt, dignosci possunt. Frigus autem totalis cruditatis causam vnquam esse non arbitror, nisi etiam sit & mortis: non enim tantum colligi potest in viscere quin occidat. *Causa totalis cruditatis triplex.*

3 Mediocris cruditatis causæ sunt vel imbecillitas caloris ob nimiam exhalationem spiritus à multo actam calore; vel frigiditas stomachi, quæ à cibis, & potibus frigidis, alteráve causa exoritur: nam & defectus caloris pro frigiditate hic sumitur; vtrumque ex excrementis puris, crudis, absque humore aliquo agnoscitur; & ex stomachi æstu, & ructu tenui, vel acido, crassóque: Vel causa est prauus humor in ventriculo contentus, qui non sinit coctionem absolui: & in excrementis dignoscitur, cæterisque olim datis signis. At si non excernuntur, nausea indicabit, & vani ructus eos ventriculi tunicis impactos esse. Propterea vigilia nimia, studium litterarum, aliæque ecstases, attentiones, distractiones, imperfectas reddunt, vel tardant coctiones, prout spiritus magis, minusve in actu coctionis, distrahunt, vel minuunt. Ocium quoque, vel labor nimius, quibus ventriculus est raræ texturæ, est causa cruditatis. Quapropter oportet raram habentes ociari ex parte; densam labor non adeo impedit. Coitus multus, qui elicit sanguinem, omnem coctionem aufert: qui debilitat vires, impedit ex parte, tardátque: moderatus iuuat, nisi statim à cibo fiat; quemadmodum & aliæ distractiones, & ludus alearum, & talorum. Præterea si assumuntur cibi, nondum priorum digestione perfecta. Aut nimis auidè impetuoséque, aut non bene macerati dentibus, aut crassæ viscosæque substantiæ, aut venenatæ, quam spiritus auersatur. *Causa mediocris cruditatis sextuplex, quarum qualibet multiplex.*

4 Vitiatæ cocturæ in causa sunt, vel assumpti cibi prauæ qualitatis; vel humores praui ventriculo impacti, qui misti cibo alterationem vitiant. Indicant autem acidi ructus, & absque siti, & fuliginosi bilem atram; & fumosi acidi pituitam acescen- *Duplex causa vitiatæ cocturæ ipsarumque indicia.*

tem,

tem, fitis & amaricatio flauam bilem, quæ omnia ex iam dictis patuerunt.

Curatio. 5 Cognitis caufis facilè medicaberis: fi enim vigilia, aut ftudium, aut quæcunque diftractio præcefferit, quies, & feriatio proderunt; fi qua intemperies, per contraria curabitur pharmaca cum fit in via. Si humores innatantes; per vomitum fi impacti, per abrafiua, abfterfiuáque, & incifiua. Si morbus vicinus, illius curam fufcipies non neglecta ventriculi confortatione. Si Venus, aut calor fpiritus exhaufcrint, per ea quæ facile nutriunt, fubitóque, vel folo odore fiet inftauratio. Memento tamen odoriferis, acetóque afperfis rebus, & herbis ventriculum afficere femper, quibus & fpiritus inftauratur, & excitatur, & oftiola aperiuntur. Si copia ingeftorum peccauerit, procuretur vomitus, & per inediam, & roborantia ftomachum intus, & extra curetur; & cibi boni, facilifque concoctu fucci deinde fequantur. Menthæ & capparis non obliuifcaris. Vino auftero, aquofóque in potu vtere. Fames expectabitur, ordóque ingerendorum feruabitur. Abftine à fœtidis cibis, prauifque in qualitate, & fubftantia craffis, &c. & non bene dente contritis, aut crudis. Quæ tandem concoctionem iuuant intus, & deforis applicabis, vt funt aromatica, & adftringentia, & defectum caloris emendantia.

De immodica fupernè, infernéque fimul euacuatione; quam choleram vocant; & bifluxus vocari poteft.

Artic. IX.

Quid cholera. 1 PORrò cum fimul infernè deiectiones alui, fupernè verò vomitus immodici accidunt (quam paffionem choleram veteres Medici dixerunt, fiue ab inteftinis, fiue ab eo quod eius caufam cholericum humorem effe putarunt, cuius eft amaritudine afficere inteftina; qua ad expulfionem irritantur excrementorum:) nequaquam arbitrandum, vt Medici dicunt, expultricem facultatem deprauatam effe, fed auctam, præter quam vbi nimia euacuatio tabem accerfit, confequentibus bonis humoribus ad malorum effluxionem: etenim virtutis opus eft expellere noxia vndique fimul.

In cholera non eft debilitas expultricis in caufa, fed robur. Exceptio.

Quatuor caufæ choleræ fluxionis. 2 Huius paffionis caufas enumerant, vel cibi potúfque multitudinem onerantem; aut qualitatem prauam; vel copiam bilis irritantis

irritantis supernè, infernéque ad excretiones: vel frigidæ potum: quæ omnia ex præcedentibus dignosci poterunt.

3 Symptomata sunt emissiones vtrinque, sitis, sudor, incisus pulsus; manuum, pedúmque musculorum, maximè vero surarum, contractio, tensióque. *Symptomata quinque.*

4 Equidem arbitror grauamen cibi tantas passiones excitare non posse, nisi praui sint per totum corpus humores, qui cibo irritati grauante, sponte in ventriculum, & intestina feruntur. Immò nec nisi qualitas vitiosa sit in cibo, tanta subsequi attractio non valeat, puto. Manifestum est enim, quod antimonium, & ea quæ vtrinque purgant pharmaca, non nisi qualitate accersente prauitates, tam diras euacuationes facere posse. Multi copiosiori cibo grauati in hanc perturbationem non prorumpunt, sed vbi vomuerint cibum, & quæ in ventriculo erant, quiescunt. Copiam ergo bilis in causa magis commendo. Excitata enim bilioso cibo, vel potu erumpit, stimulátque intestina, quam stimulationem, & eruptionem alij humores consequuntur. Frigida quoque aluum vomitúmque non mouet, nisi vbi confluens spiritus ad eius infesti tactus amolitionem simul humores rapiat. Siquidem etiam in deliquio frigidam aspergimus in faciem, vt spiritus contra eam subitò foras reuocetur; itidem ergo & intro. Frigus tamen externum per repercussionem humores in centrum deducit, quemadmodum de catarrho loquentes demonstrauimus. Nulla autem ratio est huiusmodi fluxus, nisi iam dictæ. Frigus enim per se constipat, stringitque fœces, intestina, & aluum: tantum abest, vt fluxum ciere queat. *Causa verior non grauamen, nec frigus nisi per accidens.*

5 Quoniam ergo perciti humores confluunt, se mutuo consequentes post irritationem, & spiritus accursum, ac simul bonos trahunt, consuetudinémque hanc in corpore faciunt, vnde tabes exoritur, qua nutribile nutrimentum nutrit, & non nutrimentum nutribile. Oritur etiam syncope dissipatis exinde spiritibus ob eiusmodi confluxum, sicut alibi dictum est: propterea statim remedia adhibere necessum est. *Periculum pharmaciam vocans subito.*

6 Igitur si talia purgentur, qualia oportet; irritandus est stomachus ad vomitum facili irritatione pertepidam, & pennæ immissionem, præsertim vbi nausea perseuerat: vel si minus, per inferiora tentandum, cassia fist. manna, aloë, myrobal. *Cura vt euacuentur magis.*

7 Si autem sequitur fluxio eorum, quæ non oportet, aut cum euacuatio probè peracta fuerit, ne insuper probos educat suc- *Vt minus.*

cos, quies procuranda est somno, & hypochondria oleo mastic. absinth.nard.&c. inungenda. Mox gallinarum iuscula cum omphacio propinanda,& cibi boni succi, atque odoris, assique conueniunt, & potus succi punicorum, vel misti aqua, & rosarum aqua, vel in qua chalybs sit extinctus, & abstergentia foris sæpè dicta adhibenda, nec vltra ciendo ventri, sed roborando opera danda. Præterea adde cibo pyra, cotonea,azarola, sorba,mespila,&c. Et prout humores fuerint biliosi,aut pituitosi, propinandi sunt cibi,& medicinæ,vt lactuca cum aceto,endiuia,&c.In pituitosis hyssopus, serpillum, &c. In biliosis addantur cataplasmata sæpè dicta.

8 Cum fluxiones non cessant, dabis vinum adstringens ad robur ventris, & refectionem spiritus, decoctum adstringentium. Somnum medicato vino fastigiis papauerum conciliabis. Per frictiones, ligaturas, & frigefactiones extremitatum spiritus reuocabis à fluxu in centrum ad peripheriam,vt humores eò ferri reuocati dediscant, & tabis origo remittatur. Propterea & calefaciendæ sunt frigidæ aliquando extremitates, ad spiritum alliciendum amore;vel frigefactione, vt reuocetur timore. Adduntur cerata vẽtri ex gummosis, & adstrictiuis;& tandem cucurbitula, vt sistat vomitum, coctionémque iuuent. Hæc & alia superius dicta sunt, sed Medici iudicio cæcutiente, nulla præceptio, reguláque valet, &c.

9 Musculis contractis cerata,oleáque calida subueniunt.

De diarrhœa.

ARTIC. X.

Diarrhœa critica ex duplici causa, symptomatica ex septēplici.

1 EX prædictorum malorum causis solet alui profluuium immodicum, spontaneúmque,quod diarrhœam vocant; siue criticum, cum videlicet aliqua pars ægrotans prauos humores in ventriculum mittit, aut totum corpus plethoricum illorsum sese exonerat; siue symptomaticum, cum videlicet aut ventriculus non coquit bene,aut non bene distribuitur cibus,idcircóque semicrudus in secessum abit; vel ob imbecillitatem caloris, aut ob humores prauos, qui cibo admisti, & effluentes secum eos rapiunt, de quibus dictũ est cũ de vomitu loquebamur;seu ex inepta purgatione totius,vel partiũ;vel colliquatione, vt in hecticis.

Ex præcedenti morbo ar-

2 Præcedentes morbi causam indicant, membrúmque affectũ,vel corporis plenitudinẽ:à iecore enim biliosæ deiectiones, si

aliud

aliud membrum, vel totum corpus non afficiatur, quæ in iecur emittant noxia, & per illud in intestina: quorum passio præcedens indicat non esse iecur primò affectum. A liene subnigræ: à cerebro, spumosæ. Balbi etiam, & pueri, cum dentes nascuntur, alui profluuio laborant: illi sæpè critico, vt dictum est in libro 4. hi symptomatico, quoniam non commanducant cibum, aut irritantur dolore, & pruritu ad excretiones. Cum autē morbi non præcesserint, iudica causam in ventriculo esse intemperiem, vel humores, & propterea crudos emitti cibos, aut parum immutatos. Quales autem sint, in deiectionibus apparebit; & signis sæpè traditis, biliosorum, pituitosorum, & atrabiliosorum, &c. *guitur causa diarrhœa.* *Ex præcedenti quid.*

3 Quæ autem ex alimentorum copia, & grauedine accidunt, iam dicta sunt: similiter & quæ ex hectica intemperie non rarò: nec non & vbi à pharmaco.

De lienteria, & cœliaca.

ARTIC. XI.

4 EX his liquido constat lienteriam, quam intestinorum vocant læuitatem, in qua cibi egeruntur quales assumuntur, non dissimilis esse rationis à diarrhœa, & fluxione nuper declarata. Non enim, vt Medici quidam putant, propterea ventriculus, & intestina cibos emittunt, quia carent asperitate, qua eos complectuntur, læuitatem ex cicatricibus adipiscentes, cum multis aliis de causis, sicuti Galenus probè adnotauit, talis intempestiua emissio fiat. Si quidem præcessit vlcus, reliquiæ vlceris causa esse possunt; in quibus à cibo intestina aut venter læsus, eos non complecti, sed auersari cogitur. Idcircóque etiam post dysenteriam solet huiusmodi lienteria fieri; & etiam imbecillitas retentiuæ facultatis ab aliqua orta intemperie, vel morbo vicino, vel humore vitiato. Illa ex dolore, & motu agnoscitur: ista ex signis aliis dictis, cum de vomitu ageremus. Immò vlcere sanato remanet maior asperitas, quam vbi non fuit vlcus. *Causam lienteriæ non esse læuitatem, sed multas alias.*

5 Cum perfecta lienteria non est, cœliaca vocatur passio: in qua non omnino cocta, sed semicruda excernuntur crebrò aquosa, fœtidáque excrementa, ex eo quod vapor non eductus in fluorem reuertitur, & alij fluores excitantur aliunde, & proptereà gracilescunt ægri hoc affectu: qui si perseueret, fit lienteria, in qua prorsus incocti eiiciuntur. Et tandē solet etiam habitus *De cœliacæ causa, & consequentiis.*

hecticus fieri, sequentibus humoribus ex toto corpore ad intestina superfluis; primò accidentalibus, deinde substantialibus.

Notabilis peruersio succedēs cœliaca.

6 Probe enim nouimus, memoriæque mandandum, quod dum ventriculus, & intestina laborant, aut cibi grauitate, aut sui imbecillitate: ita vt esculenta coquere, & in iecur distribui cocta non possint: necessariò ex peripheria ad centrum fit reuersio humorum accidentalium: quoniam calor natiuus etiam in partibus deficit, qui absoluat, & excrementa pellat in cutem, vt transpiret. Propterea humores ab intestinorum grauitate, & pruritu perciti, ad centrum reuertuntur: qua facta via sequitur tabes, & colliquatio per humorum abscessum, facta intemperie in toto corpore: proptereáque ex autumno in hyemem isti affectus transeuntes, periculosiores sunt, quoniam frigus aduenìens adiuuat, vt ad centrum conuertantur humores.

Signum ad bonum, & ad malum.

7 At si ructus acidus præcesserit, indicat coctionem vel modicam inchoari: bonúmque post mala signum habetur in eiusmodi passionibus. Si autem spirandi difficultas, vel lateris punctura succedunt, tabes in proximo est, quod malum in cunctis euacuationibus immodicis, cum prę fatis symptomatis, suboriri solet, etiamsi à pharmaco ortum habuerit.

Si qualia oportet d-iiciuntur quia faciendum.

8 Non ergo horum cura morborum negligenda, & quidem si talia purgentur, qualia oportet, & facile ferunt, ac meliorantur: si probè facta est purgatio, naturæ iudicio relinquenda sunt omnia. Cibos tantum conuenientes subministrabimus, qui vim retentiuam, & concoctiuam augeant. Si autem integrè non sunt iudicata, naturam iuuabimus clystere, aut pharmaco, sicuti sæpè dictum est, donec vitiosi accidentales modò fluores efferuntur.

Quid si ex imbecil. aut humore.

9 Cum verò fluores fiunt ex imbecillitate, & non ex redundantia, ex plethora, malitiaue totius, aut partis: tunc naturam roborabis: & si humores in ventriculo peccant, eos purgabis secundum artem, cognita ex suis signis ipsorum natura. Si autem intemperies peccat calida, vel frigida, contrariis curabitur.

10 Emendatis ergo causis, si alui fluxus subsequitur vsque ad substantialium eductionem, corpus totum frictionibus, oleisque confortantibus, & spiritum augentibus, & humidum innatum reficientibus confortabis, dulcíque prius balneo humores ad cutim reuocabis. Spiritum reficies sorbilibus valde, subitóque nutrientibus; ventriculum adstrictiuis, & roboratiuis intus & extra.

Aluum

Aluum adſtringes moris ſycomori, aut rubi, non maturis, terra lemnia, cotoneis, myrto, roſis rubeis, corallo, balauſtiis, & ſimilibus; potione, clyſtere, fomento, cataplaſmate, vnctione, &c. applicatis ſecundum artem.

11 Cibus ſit facilis coctionis, boni ſucci, non fluxæ ſubſtantiæ. Potus modicus ex decocto roriſmarini, vetuſtum vinum adſtringens, &c.

12 Hæc eadem in lienteria ſeruanda intus, & extra: vbi etiam addunt, vt optimum vnguentum, oleorum abſinth. myrt. menth. maſtic. coton. ſantal. rub. acaciæ, reſinæ, &c.

13 Si vulnus, & cicatrix ſunt in cauſa, ea quæ vulnera abſtergunt ſanántque, dicta in articulo de tonſillarum vlceribus, conuenient, præter roborantia ventriculi, & inteſtinorum.

De morbis inteſtinorum miſtis affectibus, operibúſque appetitiui organicè ſubſeruientium.

CAPVT XIII.

SVbſequuntur ventriculi paſſiones inteſtinorum mala. Sunt enim inteſtina appetitiui principij organa miſta, id eſt, ſubſeruientia amori, & odio, appetenti, & expellenti ſimul; ſequeſtratio vtrumque deſignat. Vocantur ergo inteſtinorum morbi, dyſenteria, teneſmus, voluulus, colica affectio, & lumbrici, &c. miſtæ. *Diuiſio morb. inteſtinorum.*

De dyſenteria, eiúſque cura.

ARTIC. I.

1 DYſenteria vlceratio inteſtinorum eſt, quam mordaces dolores præcedunt, & abraſionum ramenta, & ſanguinis guttæ, mox puris, & cruſtulæ inteſtinorum, & membranoſæ particulæ cum ſtercorum eiectionibus ſubſequuntur, & dolor, & auiditas cacandi, & tormina, & bilioſæ, & ſpumoſæ, & pituitoſæ deiectiones. *Quid dyſenteria.*

2 Quapropter dyſenteria non eſt cum ex otio exercitióque intermiſſo ſanguis per aluum deiicitur, aut ſanioſus ſanguis ſimilis loturæ carnis ex iecore, aut melancholicus, aterque abundans ſanguis criticè, vel ſymptomaticè exprimitur, vti ſuis in locis dictum eſt; ſed ipſamet vlceratio. *Et quæ eius ſymptom. Definitio dyſ. ent. enucleatur.*

tatem, foraſque educit, ructibus, crepitibus, & tranſpiratione, præſertim vbi labor & motus acceſſerit calorem accendens, flatuſque agitatione, & calore ſimul attenuans.

Secunda cauſa humor impactus & caloris debilitas. 3 Aliquando in cauſa ſunt ventriculo impacti humores pituitoſi, viſcoſique. Interdum etiam atrabilioſi commiſcentur: quod quidem noſcitur, ſi ante prandium, & continuò vani ructus in ventriculo adſint, qui etiam caloris innati debilitatem indicant. Neque enim craſſeſcat, niſi caloris defectu, & humoris copia. Adeſt in his, præter ſymptomata prædicta, animi angor, triſtitia, deſperatio, ſæpéque vertigo, & delirium.

Caloris imbecillitas maxima cauſa flatus. 4 Vera tamen cauſa flatus omni tempore eſt caloris imbecillitas, qui cibum in fluorem, & fluores in vaporem diſſoluere nequit, nec vapores in tenuitatem: poteſt tamen ſolum eleuare; ſicut calor veris ventoſus, non autem æſtiuus ob robur ad diſſoluendum flatus: neque hyemalis, quia commouendo impar, propterea que periculum imminet, ne multi flatus in aquam inter cutem vertantur. *Calor nimius qui cauſa flatus.* Puto tamen quod plurimus calor, qui id quod in fluores vertere debebat, in vaporem agit: quod verò in vaporem, in tenuitatem; poſſet flatus gignere, de quibus vbi de hydrope ſermo occurret, agemus. Calor itaque imbecillus tam è cibis, quam è viſcoſis fluoribus, vapores craſſos intranſpirabiles creat.

Cura flatus ex cibo. 5 Cum cibus flatulentus eſt ſolus in cauſa, inedia ſanatur, & potu piperis in vino, & aniſorum, & fœniculi ſeminum. Cibos auerſabere huiuſmodi, præſertim legumina, & caſtaneas, & omne crudum. Condies vero cunctos pipere, aniſo, cumino, caryophyl. & aromatis flatum diſſipare valentibus, ſtomachum roborantibus, &c. & cum neceſſe fuerit, eiuſmodi vti cibis, vtere aromatis, & labore, & coctura forti, & allio, prout poteris, &c.

Cura flatus ex impacto humore. 6 Cum verò humores, potius autem lentores, ventriculo adhærentes peccant, purgabis eos per vomitum, aut per aluum ſecundum artem. Omnia cruda cauebis, & olera, & ſemina, & quæ iam diximus. Vino meraciori vteris, & abſterſiuo. Stomacho olea calida applicabis cum modico aceto, quæ calefaciant, & incidant, prout ratio peccantis poſtulabit cauſæ: de qua ſæpe. Extenuantibus vtere, & rarefacientibus.

7 Cum imbecillitas caloris peccat, cibos concoctu faciles, boníque

ionique ſucci imperabis, flatuique contrarios, aromatis conditos, prædictiſque iam rebus. Vinum meracius, non copioſum ne ſuffocet. Clyſteres ex decocto origani, pulegij, calamenthæ, cumini, mentaſtri, apij, fœniculi, radicis helenij, parentur, exque oleis abſinth. rut. aneth. pinguedinis gallinæ, addito ſale. Item ſuppoſitoria ex melle, & ſeminibus dictarũ rerum. Decoctio eorundem prodeſt mane ieiunis; oleáque ventri extrinſecus adhibita. Additur & caſtoreum, &c. Ex eiſdem rebus valent cataplaſmata, & farina hordei, & lolij. Cum perſeuerat afflictio, remedium optimum Galeno eſt affixa ſtomacho cucurbitula. *Curæ flatus ex imbecillitate.*

8 Reſpice etiam an caloris imbecillitas adſit à frigore; illúdque fuga: an à calore laxante ſéque ipſum cum tenuitatibus educente; & tunc vtere adſtrictiuis, & cohibitiuis modicè refrigerantibus: an à calore, & æſtu externo; quies, ſomnus, & vmbra ſint remedio, cibúſque ſubito nutriens, vel odores tantum, &c. de quibus pluries locuti ſumus.

De inflammatione ventriculi.

ARTIC. VII.

1 Contingit etiam ventriculo inflammatio ſiue in ore, quod inappetentia indicat; ſiue in cauitate, quod defectus coctionis demonſtrat. *Situs inflammationis ventriculi vt diſcernendus.*

2 Et quidem aut à ſanguinis eo confluentis copia, ob humoris irritationem, præſertim autem biliosi: aut à bilis confluxu cum ſanguine: id quod ſitis ardentiſſima, febris acutiſſima cum minori grauitate, ac tumore humiliore prodit. Sanguinem autem purum, vel non attractum irritamento, nequaquam inflammationis, præſertim hoc in loco, arbitror eſſe cauſam. *Cauſa.*

3 Periculum lethale eſt, niſi vires robuſtæ ſint ad reſiſtendum. Praua eſt febris, quoniam ſoluit, cum in morbum irruit, vires; prauior eſt ceſſio, quoniam deſperat vincere, vt in prognoſticis dictum eſt. *Periculi ratio.*

4 Cura fiat in aëre ſubfrigido. Victus ſit tenuis ex ptiſanæ cremore, & in bilioſiori phlegmone ex lactuca, endiuia, borragine cocta &c. in aqua hordei, vel pullorum brodio, anſerculorumve. Potus ſit aqua hordei cum ſucco punicorum, aut aliorum acidorum fructuum. Carnes, vinum, & omnia percalida, & craſſæ ſubſtantiæ, in quorum coctura laborat ſpiritus, vitentur. Som- *Cura interior, & exterior.*

nus breuis, ne ad interiora sanguis conuersus phlegmonem augeat.

5 Mittatur sanguis de cubiti interna vena multus, & repetitus, si plethora adsit, & vires: si bilis peccat, non adeò largiter. Tentetur aluus clysteribus lenibus, non acribus, & valdè irritantibus. Potest & purgatio, si fæces abundant, & vires; per manna, aut cassiam fistulam, & thamarindos, aut ros. infus. vbi phlegmone declinauerit, administrari, dum autem feruet, minime; sed repellentibus, & diuersiuis cucurbitulis, strictoriisque minuenda inflammatio.

6 Vtendum à principio adstrictiuis corroborantibus ventriculum tum fomentis, tum oleis, tum emplastris, & cerotis, miscendo etiam quæ laxant phlegmonem, fermentántque, vt maturetur, aperiatur, flammáque, facto exitu, abscedat, aut suppuratio fiat. Et quoniam videtur duplex scopus respiciendus, alter est confortatio ventriculi, quæ per adstrictiua perficitur; alter laxatio phlegmones, vt exhalet calor, & maturetur tumor: propterea vtrisque pharmacis erit opus. Nec ineptè Medici veteres adstringentia adhibent, ne ventriculi tonus roburve dissoluatur, nec phlegmones cura eidem prosit.

Igitur ex absinthio, cotoneo, mastice, pyro, rosa purp. santalis, farina hordei, bolo armeno, nuce mosch. balaustiis, istorúmque oleis, cera, resina terebinth. omphacio, hypocystide, & similibus, parentur emplastra, cerota, epithem. &c. Et remisso æstu, vel ex parte, additur farina fœnugræc. lini semina, althæa, flores chamom. aneth. melilot. ros. purp. cæteráque iam nominata adstringentia, propter vtrumque vsum.

De triplici cruditate ventriculi ingestorum.

Artic. VIII.

Cruditatis causa. 1 Cum ventriculus, siue ventriculi spiritus quacunque causa languet, aut distrahitur, cruditas assumptorum fit ciborum, concoctione impedita, vel sublata, vel deprauata. Vnde triplex cruditatis genus habemus. *Triplex vitium cruditatis.* Aut enim nihil coquuntur cibi, & quemadmodum assumpti sunt ita eiiciuntur, eandem qualitatem retinentes. Aut alterantur quidem ad cocturam, sed non quantum opus est, vt in chylum vertantur. Aut

alte

alterantur in alienam à chylo nutrimentali qualitatem.

2 Causa totalis defectus coctionis esse solet, vel nimia ciborum ingurgitatio, quam nec aggredi audet spiritus: vel spirituum absentia, & distractio totalis, quæ acutos morbos comitatur: vt cum in vteri passionem, aut capitis, aut aliorum sese confert: Vel spiritus resolutio defectúsque, qui ab intemperie calida nimis, vel inflammatione, vel aliis subsequi solet; quæ omnes facilè ex his, quæ præcesserunt, dignosci possunt. Frigus autem totalis cruditatis causam vnquam esse non arbitror, nisi etiam sit & mortis: non enim tantum colligi potest in viscere quin occidat.

Causa totalis cruditatis triplex.

3 Mediocris cruditatis causæ sunt vel imbecillitas caloris ob nimiam exhalationem spiritus à multo actam calore; vel frigiditas stomachi, quæ à cibis, & potibus frigidis, alteráve causa exoritur: nam & defectus caloris pro frigiditate hic sumitur; vtrumque ex excrementis puris, crudis, absque humore aliquo agnoscitur; & ex stomachi æstu, & ructu tenui, vel acido, crassóque: Vel causa est prauus humor in ventriculo contentus, qui non sinit coctionem absolui: & in excrementis dignoscitur, cæterisque olim datis signis. At si non excernuntur, nausea indicabit, & vani ructus eos ventriculi tunicis impactos esse. Propterea vigilia nimia, studium litterarum, aliæque ecstases, attentiones, distractiones, imperfectas reddunt, vel tardant coctiones, prout spiritus magis, minusve in actu coctionis, distrahunt, vel minuunt. Ocium quoque, vel labor nimius, quibus ventriculus est raræ texturæ, est causa cruditatis. Quapropter oportet raram habentes ociari ex parte; densam labor non adeo impedit. Coitus multus, qui elicit sanguinem, omnem coctionem aufert: qui debilitat vires, impedit ex parte, tardátque: moderatus iuuat, nisi statim à cibo fiat; quemadmodum & aliæ distractiones, & ludus alearum, & talorum. Præterea si assumuntur cibi, nondum priorum digestione perfecta. Aut nimis auidè impetuoséque, aut non bene macerati dentibus, aut crassæ viscosæque substantiæ, aut venenatæ, quam spiritus auersatur.

Causa mediocris cruditatis sextuplex, quarum qualibet multiplex.

4 Vitiatæ cocturæ in causa sunt, vel assumpti cibi prauæ qualitatis; vel humores praui ventriculo impacti, qui misti cibo alterationem vitiant. Indicant autem acidi ructus, & absque siti, & fuliginosi bilem atram; & fumosi acidi pituitam acescentem,

Duplex causa vitiatæ cocturæ ipsarumque indicia.

tem, ſitis & amaricatio flauam bilem, quæ omnia ex iam dictis patuerunt.

Curatio. 5 Cognitis cauſis facilè medicaberis: ſi enim vigilia, aut ſtudium, aut quæcunque diſtractio præceſſerit, quies, & feriatio proderunt; ſi qua intemperies, per contraria curabitur pharmaca cum ſit in via. Si humores innatantes; per vomitum ſi impacti, per abraſiua, abſterſiuáque, & inciſiua. Si morbus vicinus, illius curam ſuſcipies non neglecta ventriculi confortatione. Si Venus, aut calor ſpiritus exhauſerint, per ea quæ facile nutriunt, ſubitóque, vel ſolo odore fiet inſtauratio. Memento tamen odoriferis, acetóque aſperſis rebus, & herbis ventriculum afficere ſemper, quibus & ſpiritus inſtauratur, & excitatur, & oſtiola aperiuntur. Si copia ingeſtorum peccauerit, procuretur vomitus, & per inediam, & roborantia ſtomachum intus, & extra curetur; & cibi boni, faciliſque concoctu ſucci deinde ſequantur. Menthæ & capparis non obliuiſcaris. Vino auſtero, aquoſóque in potu vtere. Fames expectabitur, ordóque ingerendorum ſeruabitur. Abſtine à fœtidis cibis, prauiſque in qualitate, & ſubſtantia craſſis, &c. & non bene dente contritis, aut crudis. Quæ tandem concoctionem iuuant intus, & deforis applicabis, vt ſunt aromatica, & adſtringentia, & defectum caloris emendantia.

De immodica ſupernè, infernéque ſimul euacuatione; quam choleram vocant; & bifluxus vocari poteſt.

ARTIC. IX.

Quid cholera. 1 PORrò cum ſimul infernè deiectiones alui, ſupernè verò vomitus immodici accidunt (quam paſſionem choleram veteres Medici dixerunt, ſiue ab inteſtinis, ſiue ab eo quod eius cauſam cholericum humorem eſſe putarunt, cuius eſt amaritudine afficere inteſtina; qua ad expulſionem irritantur excrementorum:) nequaquam arbitrandum, vt Medici dicunt, expultricem facultatem deprauatam eſſe, ſed auctam, præter quam vbi nimia euacuatio tabem accerſit, conſequentibus bonis humoribus ad malorum effluxionem: etenim virtutis opus eſt expellere noxia vndique ſimul.

In cholera non eſt debilitas expultricis in cauſa, ſed robur. Exceptio.

Quatuor cauſæ choleræ fluxionis. 2 Huius paſſionis cauſas enumerant, vel cibi potúſque multitudinem onerantem; aut qualitatem prauam; vel copiam bilis

irritantis

irritantis supernè, infernéque ad excretiones: vel frigidæ potum: quæ omnia ex præcedentibus dignosci poterunt.

3 Symptomata sunt emissiones vtrinque, sitis, sudor, incisus pulsus; manuum, pedúmque musculorum, maximè vero surarum, contractio, tensióque. *Symptomata quinque.*

4 Equidem arbitror grauamen cibi tantas passiones excitare non posse, nisi praui sint per totum corpus humores, qui cibo irritati grauante, sponte in ventriculum, & intestina feruntur. Immò nec nisi qualitas vitiosa sit in cibo, tanta subsequi attractio non valeat, puto. Manifestum est enim, quod antimonium, & ea quæ vtrinque purgant pharmaca, non nisi qualitate accersente prauitates, tam diras euacuationes facere posse. Multi copiosiori cibo grauati in hanc perturbationem non prorumpunt, sed vbi vomuerint cibum, & quæ in ventriculo erant, quiescunt. Copiam ergo bilis in causa magis commendo. Excitata enim bilioso cibo, vel potu erumpit, stimulátque intestina, quam stimulationem, & eruptionem alij humores consequuntur. Frigida quoque aluum vomitúmque non mouet, nisi vbi confluens spiritus ad eius infesti tactus amolitionem simul humores rapiat. Siquidem etiam in deliquio frigidam aspergimus in faciem, vt spiritus contra eam subitò foras reuocetur; itidem ergo & intro. Frigus tamen externum per repercussionem humores in centrum deducit, quemadmodum de catarrho loquentes demonstrauimus. Nulla autem ratio est huiusmodi fluxus, nisi iam dictæ. Frigus enim per se constipat, stringitque fœces, intestina, & aluum: tantum abest, vt fluxum ciere queat. *Causa verior non grauamen, nec frigus. nisi per accidens.*

5 Quoniam ergo perciti humores confluunt, se mutuo consequentes post irritationem, & spiritus accursum, ac simul bonos trahunt, consuetudinémque hanc in corpore faciunt, vnde tabes exoritur, qua nutribile nutrimentum nutrit, & non nutrimentum nutribile. Oritur etiam syncope dissipatis exinde spiritibus ob eiusmodi confluxum, sicut alibi dictum est: propterea statim remedia adhibere necessum est. *Periculum pharmaciam vocans subito.*

6 Igitur si talia purgentur, qualia oportet; irritandus est stomachus ad vomitum facili irritatione pertepidam, & pennæ immissionem, præsertim vbi nausea perseuerat: vel si minus, per inferiora tentandum, cassia fist. manna, aloë, myrobal. *Cura vt euacuentur magis.*

7 Si autem sequitur fluxio eorum, quæ non oportet, aut cum euacuatio probè peracta fuerit, ne insuper probos educat suc- *Vt minus.*

cos, quies procuranda eſt ſomno, & hypochondria oleo maſtic. abſinth. nard. &c. inungenda. Mox gallinarum iuſcula cum omphacio propinanda, & cibi boni ſucci, atque odoris, aſſique conueniunt, & potus ſucci punicorum, vel miſti aqua, & roſarum aqua, vel in qua chalybs ſit extinctus, & abſtergentia foris ſæpè dicta adhibenda, nec vltra ciendo ventri, ſed roborando opera danda. Præterea adde cibo pyra, cotonea, azarola, ſorba, meſpila, &c. Et prout humores fuerint bilioſi, aut pituitoſi, propinandi ſunt cibi, & medicinæ, vt lactuca cum aceto, endiuia, &c. In pituitoſis hyſſopus, ſerpillum, &c. In bilioſis addantur cataplaſmata ſæpè dicta.

8 Cum fluxiones non ceſſant, dabis vinum adſtringens ad robur ventris, & refectionem ſpiritus, decoctum adſtringentium. Somnum medicato vino faſtigiis papauerum conciliabis. Per frictiones, ligaturas, & frigefactiones extremitatum ſpiritus reuocabis à fluxu in centrum ad peripheriam, vt humores eò ferri reuocati dediſcant, & tabis origo remittatur. Propterea & calefaciendæ ſunt frigidæ aliquando extremitates, ad ſpiritum alliciendum amore; vel frigefactione, vt reuocetur timore. Adduntur cerata vẽtri ex gummoſis, & adſtrictiuis; & tandem cucurbitula, vt ſiſtat vomitum, coctionémque iuuent. Hæc & alia ſuperius dicta ſunt, ſed Medici iudicio cæcutiente, nulla præceptio, reguláque valet, &c.

9 Muſculis contractis cerata, oleáque calida ſubueniunt.

De diarrhœa.

Artic. X.

Diarrhœa critica ex duplici cauſa, ſymptomatica ex ſeptẽplici.

1 Ex prædictorum malorum cauſis ſolet alui profluuium immodicum, ſpontaneúmque, quod diarrhœam vocant; ſiue criticum, cum videlicet aliqua pars ægrotans prauos humores in ventriculum mittit, aut totum corpus plethoricum illorſum ſeſe exonerat; ſiue ſymptomaticum, cum videlicet aut ventriculus non coquit bene, aut non bene diſtribuitur cibus, idcircóque ſemicrudus in ſeceſſum abit; vel ob imbecillitatem caloris, aut ob humores prauos, qui cibo admiſti, & effluentes ſecum eos rapiunt, de quibus dictũ eſt cũ de vomitu loquebamur; ſeu ex inepta purgatione totius, vel partiũ; vel colliquatione, vt in hecticis.

Ex præcedenti morbo ar-

2 Præcedentes morbi cauſam indicant, membrúmque affectũ, vel corporis plenitudinẽ: à iecore enim bilioſæ deiectiones, ſi aliud

aliud membrum, vel totum corpus non afficiatur, quæ in iecur emittant noxia, & per illud in intestina: quorum passio præcedens indicat non esse iecur primò affectum. A liene subnigræ: à cerebro, spumosæ. Balbi etiam, & pueri, cum dentes nascuntur, alui profluuio laborant: illi sæpè critico, vt dictum est in libro 4. hi symptomatico, quoniam non commanducant cibum, aut irritantur dolore, & pruritu ad excretiones. Cum autẽ morbi non præcesserint, iudica causam in ventriculo esse intemperiem, vel humores, & propterea crudos emitti cibos, aut parum immutatos. Quales autem sint, in deiectionibus apparebit; & signis sæpè traditis, biliosorum, pituitosorum, & atrabiliosorum, &c.

guitur causa diarrhœa.

Ex præcedenti quid.

3 Quæ autem ex alimentorum copia, & grauedine accidunt, iam dicta sunt: similiter & quæ ex hectica intemperie non rarò; nec non & vbi à pharmaco.

De lienteria, & cœliaca.

Artic. XI.

4 EX his liquido constat lienteriam, quam intestinorum vocant læuitatem, in qua cibi egeruntur quales assumuntur, non dissimilis esse rationis à diarrhœa, & fluxione nuper declarata. Non enim, vt Medici quidam putant, propterea ventriculus, & intestina cibos emittunt, quia carent asperitate, qua eos complectuntur, læuitatem ex cicatricibus adipiscentes, cum multis aliis de causis, sicuti Galenus probè adnotauit, talis intempestiua emissio fiat. Si quidem præcessit vlcus, reliquiæ vlceris causa esse possunt; in quibus à cibo intestina aut venter læsus, eos non complecti, sed auersari cogitur. Idcircóque etiam post dysenteriam solet huiusmodi lienteria fieri; & etiam imbecillitas retentiuæ facultatis ab aliqua orta intemperie, vel morbo vicino, vel humore vitiato. Illa ex dolore, & motu agnoscitur: ista ex signis aliis dictis, cum de vomitu ageremus. Immò vlcere sanato remanet maior asperitas, quam vbi non fuit vlcus.

Causam lienteria non esse læuitatem, sed multas alias.

5 Cum perfecta lienteria non est, cœliaca vocatur passio: in qua non omnino cocta, sed semicruda excernuntur crebrò aquosa, fœtidáque excrementa, ex eo quod vapor non eductus in fluorem reuertitur, & alij fluores excitantur aliunde, & propterea gracilescunt ægri hoc affectu: qui si perseueret, fit lienteria, in qua prorsus incocti eiiciuntur. Et tandẽ solet etiam habitus

De cœliaca causa, & consequentiis.

hecticus fieri, sequentibus humoribus ex toto corpore ad intestina superfluis;primò accidentalibus,deinde substantialibus.

Notabilis peruersio succedès cœliaca.

6 Probe enim nouimus,memoriæque mandandum,quod dum ventriculus,& intestina laborant, aut cibi grauitate, aut sui imbecillitate: ita vt esculenta coquere, & in iecur distribui cocta non possint:necessariò ex peripheria ad centrum fit reuersio humorum accidentalium:quoniam calor natiuus etiam in partibus deficit,qui absoluat,& excrementa pellat in cutem,vt transpiret. Propterea humores ab intestinorum grauitate, & pruritu perciti,ad centrum reuertuntur:qua facta via sequitur tabes, & colliquatio per humorum abscessum,facta intemperie in toto corpore: proptereàque ex autumno in hyemem isti affectus transeuntes,periculosiores sunt,quoniam frigus adueniens adiuuat, vt ad centrum conuertantur humores.

Signum ad bonum,& ad malum.

7 At si ructus acidus præcesserit, indicat coctionem vel modicam inchoari: bonúmque post mala signum habetur in eiusmodi passionibus.Si autem spirandi difficultas, vel lateris punctura succedunt, tabes in proximo est, quod malum in cunctis euacuationibus immodicis,cum prefatis symptomatis,suboriri solet, etiamsi à pharmaco ortum habuerit.

Si qualia oportet d·iiciuntur quid faciendum.

8 Non ergo horum cura morborum negligenda,& quidem si talia purgentur, qualia oportet ,;& facile ferunt,ac meliorantur: si probè facta est purgatio,naturæ iudicio relinquenda sunt omnia. Cibos tantum conuenientes subministrabimus, qui vim retentiuam, & concoctiuam augeant. Si autem integrè non sunt iudicata,naturam iuuabimus clystere, aut pharmaco, sicuti sæpè dictum est, donec vitiosi accidentales modò fluores efferuntur.

Quid si ex imbecii.aut humore.

9 Cum verò fluores fiunt ex imbecillitate, & non ex redundantia,ex plethora,malitiaue totius,aut partis: tunc naturam roborabis: & si humores in ventriculo peccant, eos purgabis secundum artem, cognita ex suis signis ipsorum natura. Si autem intemperies peccat calida,vel frigida,contrariis curabitur.

10 Emendatis ergo causis, si alui fluxus subsequitur vsque ad substantialium eductionem,corpus totum frictionibus, oleísque confortantibus, & spiritum augentibus, & humidum innatum reficientibus confortabis,dulcique prius balneo humores ad cutim reuocabis. Spiritum reficies sorbilibus valdè subitóque nutrientibus; ventriculum adstrictiuis, & roboratiuis intus & extra.

Aluum

Aluum adſtringes moris ſycomori, aut rubi, non maturis, terra lemnia, cotoneis, myrto, roſis rubeis, corallo, balauſtiis, & ſimilibus; potione, clyſtere, fomento, cataplaſmate, vnctione, &c. applicatis ſecundum artem.

11 Cibus ſit facilis coctionis, boni ſucci, non fluxæ ſubſtantiæ. Potus modicus ex decocto roriſmarini, vetuſtum vinum adſtringens, &c.

12 Hæc eadem in lienteria ſeruanda intus, & extra: vbi etiam addunt, vt optimum vnguentum, oleorum abſinth. myrt. menth. maſtic. coton. ſantal. rub. acaciæ, reſinæ, &c.

13 Si vulnus, & cicatrix ſunt in cauſa, ea quæ vulnera abſtergunt ſanántque, dicta in articulo de tonſillarum vlceribus, conuenient, præter roborantia ventriculi, & inteſtinorum.

De morbis inteſtinorum miſtis affectibus, operibúſque appetitiui organicè ſubſeruientium.

CAPVT XIII.

SVbſequuntur ventriculi paſſiones inteſtinorum mala. Sunt enim inteſtina appetitiui principij organa miſta, id eſt, ſubſeruientia amori, & odio, appetenti, & expellenti ſimul; ſequeſtratio vtrumque deſignat. Vocantur ergo inteſtinorum morbi, dyſenteria, teneſmus, voluulus, colica affectio, & lumbrici, &c. miſtæ. *Diuiſio morb. inteſtinorum.*

De dyſenteria, eiúſque cura.

ARTIC. I.

1 DYſenteria vlceratio inteſtinorum eſt, quam mordaces dolores præcedunt, & abraſionum ramenta, & ſanguinis guttæ, mox puris, & cruſtulæ inteſtinorum, & membranoſæ particulæ cum ſtercorum eiectionibus ſubſequuntur, & dolor, & auiditas cacandi, & tormina, & birioſæ, & ſpumoſæ, & pituitoſæ deiectiones. *Quid dyſenteria.*

2 Quapropter dyſenteria non eſt cum ex otio exercitióque intermiſſo ſanguis per aluum deiicitur, aut ſanioſus ſanguis ſimilis loturæ carnis ex iecore, aut melancholicus, aterque abundans ſanguis criticè, vel ſymptomaticè exprimitur, vti ſuis in locis dictum eſt; ſed ipſamet vlceratio. *Et quæ eius ſymptom. Definitio dyſ. ent. enucleatur.*

Triplex gradus dysent. 3 Triplex tamen gradus vlcerationis est: principio enim sola pinguedo abrasa excernitur: deinde intestinorum superficiei interioris ramenta. Tandem substantia crassior intestinorum vlcerata corraditur, excernitúrque.

Locus intestini agrotantis vnde scitur. 4 Fit aliquando vlceratio in superioribus, angustioribúsque intestinis; quod dolor circa vmbilicum, & stercoribus adiuncta biliosa, porracea, variegata, animi semideliquia, sitis, febris, & crudum stercus, indicabunt. Crudius autem erit, & sanguis nigrior, si in ieiuno sit vlcus: & bilis abundantior è felle in ipsum confluens, mordicansque. Vnde & vomitu, qui ventriculo proximus, & bilis primum exceptorium est, subsequi solet, & nausea. Aliquando verò lata intestina patiuntur, & tunc excrementa minus cruda, sed pinguedine, & cruore mista, flatuosa spumosaque; ingensque edendi cupiditas.

Causa dysent. 5 Horum causas puto non frigus humorum, & æstum, vt aliqui comminiscuntur; sed corrosiuos biliosos humores: qui à toto corpore, vel ab aliqua parte affecta, mittuntur: vel salsos, pituitososque, alibi, vel in intestinis genitos: vel bilem atram, acidam recoctam, vitiatámque. Verùm difficilè abradent, nisi multi sint, & comprimantur, aut occasionem habeant à cibo findente, vel pungente, & dante locum penetraturo humori, dum membranæ, quæ quasi stanno munita interius est, infigitur. Propterea cibi crudi, & crassi, & ossei, & acres, & pharmacum corrodens, qualis scammonea, & vlceratiua quædam, causam præbent, aut occasionem vlceribus sæpissimè.

Cura trium graduum dysent. 6 Primus dysenteriæ facilè sanatur gradus, secundus difficilè, tertius nunquam: & cum fit in superioribus intestinis longè minus, quam in crassis: & minus in mulieribus, pueris, & senibus, quam in iuuenibus. Et quæ à pituita sanabilior: quæ à bile flaua, sanatur difficilè: quæ ab atra, impossibiliter. Fit enim, sicuti cancer, vlceratio. Si autem critica fuerit, salubrius est. At pituita salsa nimis cum bile excocta pernicialis habetur.

Tria facienda in cura dysent. 7 Qui dysenteriam curant, tria respicere debent. Primò auersionem, & exsiccationem vlcerantis humoris. Secundò fæcum & irritantium vlcus purgationem, ac simul ipsorum vlcerum cōsolidationem, & Tertiò, quasi intestinorum instannationem. Victus ergo instituatur in aëre sicco: imperetur quies ab exercitio, & perturbatione. Somnum mirum in modum iuuare compertū est.

Cibus

Cibus esto lac mistum mica panis, cæterísque ex rebus, quæ superficiem interiorem instaurant. Quapropter vitentur omnia acria, corrosiua. Principio abstersiua conueniunt ad saniem tollendam; quæ tamen non vlcerent, quale est mel simul cum lacte. Valent succi, & medullæ coctæ pyrorum, cotoneorum, sorborum, mespilorum, aliáque huiusmodi. Quibus agrestum modicum, potius autem succus granatorum semiacidorum, vt particulæ consolidantes, ipsæque fibræ vlcerum adstringantur. Igitur istorum mistura cum lacte maximè proficua censetur. Curatio.

9 Verum enim vero per tres dies patientem inedia macerabis, si vires adsint, & repletio: carnes, crassíque cibi auferendi sunt: debilitata enim intestina res crassas conficere non valent; nec decet succos multos ingenerari. Postmodum adhibere conuenit pistam carnem, in qua flos farinæ semper admisceatur ad instannandum. Puto tamen pista animalium intestina in fluorem redacta, succóque punici, & cotonei, mista, optimum esse intestinis vlceratis cibum instaurandis.

10 Vinum non dabimus à principio, sed aquam hordei; in qua plantago, & lacteus tyrsus lactucæ decocta sint; Addunt & punici succum subacidum. Cum autem opus fuerit ad vires reparandas, vinum dabimus subdulce, adstrictiuum dilutum aqua, in qua chalybs ignitus extinctus fuerit. Iuuant carnes perdicum, columbarum, caprearum, & leporum: amylum, oua, pultes ex alica, & milio, addito semper lacte, nisi febris obstiterit.

11 Ad auersionem solent quidam venæ sectione vti: quod tamen tunc solùm est vtile, cum è corpore in intestina sanguis exuperans influit, vel praui humores symptomaticè, non autem si criticè; si tamen vires adsint, & plenitudo.

12 Clysteres prosunt si inferiora intestina laborant, ex rebus adstringentibus, & abstergentibus, quales ex decocto hordei, & melle rosaceo absque sale; similiter & butyro. Proderunt etiam cum dolor, & mordicatio vehementes adsunt, clysteres ex lacte caprino, vel vaccino, adipe hircino, butyro, vitellis oui, & huiusmodi.

13 Cum verò intestina superiora laborauerint, proderit vomitus, & deinde adstrictiua, & consolidatiua per os sumpta, vt syrupus de myrto, ex infusione rosarum, & succo plantaginis, portulacæ. Addunt corallia rubra in puluerem acta: rasuram cornu ceruini; terram lemniam; mora ruborum exsiccata. Conuenit

in lacte stercoris canini ossibus triduo nutriti puluis ad consolidationem mirum in modum, ex Galeni testimonio.

14 Cum autem non cessauerint dolores, purganda est aluus per ea quæ peccantibus conueniunt humoribus: vt si pituita salsa, quæ pituitam purgant: si bilis flaua, vel atra, ea, quæ bilem flauam, vel atram secundum artem. Cauebis tamen, ne medicina vlcerationes augeat. Quapropter datis syrupis ex infusione rosarum, cichoreæ aut endiuiæ, aut plantaginis, aqua mistis, purgabis bilem flauam thamarindis, myrobalanis, manna, modico rhabarbaro, & similibus, vt dictum est in 5. lib.

15 Inferiorem ventrem adstrictiuis oleis myrti, rosarum, mastic. menthæ, & similium: terebinthina, ceráque. Item ex foliis plantarum adstringentium facto cataplasmate fouebis, semper adhibito aceto ad penetrandum, & stringendum. Præterea hoc remedium validum est, si cæpa alba benè coquatur in pice nauali (quam vulgo *catalanam* vocant) & in frustula concisa, calidaque, quantum ferri potest, vmbilico apponatur.

De tenesmo.

Artic. II.

Quidditas tenesmi. 1 Est tenesmus dysenteria recti intestini, in qua assidua implacabilisque cacandi cupiditas inest, fitque excretio mucosa modica, interdum cruenta, sempérque flatuosa.

Curatio. 2 Facilis est curatu, quoniam in latiori fit intestino, & propè anum: proptereáque calidis clysteribus adstringentibus & purgantibus causas, aut biliosas, aut salsas, aut atrabiliosas, benéque mundantibus, sicut & dysenteria solet sanari. Valent etiam olea inter anum & penem adhibita; & pectini. Similitérque fomenta, qualia supra descripsimus.

3 Sed mirum quidem, quoniam citra vlcerationem affectus eiusmodi accidere solet Medicis, vel ex stercorum retentione multorum in recto, vel intestini inflammatione, vel tandem ex frigore concepto multo, quod & ipse probaui. Cum enim sederit quis super lapide frigido, aut frigidæ noctis irroratione affectus fuerit, præsertim in capite, & sede: tenesmo corripitur procul dubio, ita vt frigus potissima causa esse videatur. Contra quam Medici meracum propinant vinum, pecten, inguina, & sedem calidis inungunt oleis, liliaceo, rutaceo, &c. Addunt sacculos calida-

rum

rum rerum. Laterem etiam non coctum vna cum paleis in frustula comminutum, acetóque feruenti perfundunt, sedique applicant. Iubendum etiam, vt sedeant super calefactam tabulam pineam, aut cupressinam. Clysteres ex mentastro, pulegio, origano, abrotano, semine anisi, fœniculi, & huiusmodi, parant: & tamen hæc opposita sunt priorum causarum medelæ.

4 Equidem credo, quòd si vlceratio causa sit excretionis incessanter recurrentis, tenesmus est ipsamet dysenteria, loco tantum differens. At si frigore fiat, propriè est tenesmus. Cum autem à stercoribus, vel inflammatione contingit, alterius est rationis.

Verum quidem est quod irritatio tanta ad excretiones fieri nequit, nisi pungantur intestina. Frigus enim solum, aut calor, aut humor, id non præstant. Declarãt clyster, & suppositorium ex sale, & acribus constitutum rebus, ciendo egestionis implacabilem appetitum, donec intra anum retinentur: res non nisi pungentes esse causam assiduæ excretionis, etsi multæ, vel modicæ dum insunt. Ergo stercora retenta, quoniam putrescunt, acescunt, & pungunt, excitant hunc affectum; inflammatio verò, quoniam humores acuit, aut intestinum afficit. Frigus tandem, non quo frigus; sed quo repercutit humores à peripheria ad centrum, quemadmodum diximus de catarrho loquentes: qui intestina subeuntes, cum acres sunt, mordicant. Hoc etiam qui à cerebro descendunt salsi, spumosique addunt. Flatus verò fiunt, quoniam frigus transpirationem impedit; ideóque exhalatio introrsum fit, & humoribus mista spumam, & punctionem confert. Quæ Medici non considerantes, statim, causis plurimis oppositis, & per accidens concurrentibus, tanquam causis per se, morbum quemlibet tribuunt, causandi rationem non inuestigantes, nec distinguere potentes.

5 Igitur si stercorum copia est causa, quod retentio præcedens ostendit, & durities intestinorum: purgabis manna, cassia, leuibúsque pharmacis, infernè ministratis: vbi primùm clysteres ex malua, althæa, mercuriali, beta, violis, &c. tentaueris. Si vero inflammatio, ea quæ inflammationi conueniunt, vt succus ptisanæ, decoctio rosarum & plantag. oui albumen, &c. Si frigus, ea, quæ paulò ante scripsimus, & cum de catarrho ageremus.

De coli passionibus, & cura.

Artic. III.

Colica prima causa & indicia. 1 Fiunt passiones in colo intestino diræ, & ingentes, aut ex inflammatione: quam indicat ægri feruor, & febris, & pulsus circa ventrem; sitis, ardor, nausea, bilis vomitiones, vrinæ stercorumque retentio.

Secunda indicia. 2 Aliquando verò ab acribus, mordacibusque humoribus pungitur affligiturque. Accedit febris minor, ardor; sitis, vigilia. Item vrina acris & biliosa. Similiter & deiectiones, quæ & cruciatum inducunt, præsertim ab assumptis cibis, potibusque calidis.

Tertia indicia. 3 Sæpè verò veræque colicæ passionis causa est crassus humor, seu fluor, & lentor pituitosus, putridus, globulis coli impactus, qui inferiorem ventrem ita excruciant, vt quasi palo intestinum perforari ægri sentiant. Adsunt tormina, nausea, ructus, & interdum pituitæ vomitus. Aluus verò ita stringitur, vt neque flatum transmittere queat: quòd si aliquando emittitur stercus, illud simile bouino erit, & fœculentum, ita vt etiam contra morem stercorum in aqua supernatet. Quamobrem puto tunc huiusmodi humores dolorem efficere, cum incipiunt coqui & putrescere; nec tamen possunt in halitum absolutum verti, sed imperfectum, irretitumque crassitie; & dolores grauantur ab esculentis frigidis.

Quarta signa. 4 Tandem plerumque ex flatu soluto, sed valdè crasso, succis adhærente, dolor accidit cum tensione, & rugitu intestinorum: quod quotidie experimur, cum cibos flatulentos, & semicrudos, & fructus horarios & frigidam ingerimus.

Comparatio. Cura colicæ ex inflam. 5 Omnium pessima est colica ex inflammatione, quæ in ileum solet transire. Curatur autem sicut cæteræ inflammationes ab emissione sanguinis ex interna cubiti vena facto principio. Deinde clysteres adhibendi, non quidem acres, sed lenitiui: quales ex malua, althæa, violis decoctis, & oleo violaceo, rosaceo, amygdalino dulci, sacchаro rubro, adipe anserino, &c. Subministrant etiam lac cum cassia fistula, prædictisque oleis. Vteris etiam fomentis, insessionibus, balneis, sacculis, cataplasmatibus, cæterisque, inflammationem vel per se, vel per accidens, minuentibus. Cibósque dabis inflammationi conuenientes.

6 Cùm verò humores acres sunt in causa, ab omnibus abstinebis cibis potibusque, & medicamentis acribus. Vtere ergo humidiore,

diore, & frigidiore victu. Clysteres verò ex detergentibus non mordicantibus fiant rebus;ea autem sunt quæ iam diximus. Adde succum ptisanæ, seminis lini, vitellos oui , & huiusmodi, &c. Cùm verò pertinax perseuerat humor: medicamento purgante vti consueuerunt ex manna, vel aloë, hiera, infusionibus rosarum,&c.

7 In colica ex crassis fluoribus aër tenuis,cibíque tenues, modicæque substantiæ , & à principio inedia , eligantur. Nulla res cruda,neque ad satietatem adsumatur. Carnes volucrum faciléque digestibiles conueniunt : pisces nulli,nulláque legumina,neque terrestres carnes , nisi iuuenum , velociúmque animalium conueniunt,neque assatæ,sed elixæ:in quorum iure allium,pulegium , serpillum, origanum , cæteráque calida tenuis substantiæ coquantur. Apponendum est etiam aliquid agrestæ, vel aceti ad incidendum,sed benè modicum. Prodest etiam & cæpa semicocta. Nimis calidos ita vitabis vt frigidos, nisi calor humori copuletur. Prodest ergo paulatim curari blando calore magis, quàm multo repentè, ne fluores excalefacti assentur. Clysteres ex decocto rutæ,fœniculi,anethi,maluæ,mercurialis,chamomillæ, fœnugræci,& similibus,corúmque oleis,& adipe anserino, & butyro,&c.Fiunt etiam suppositoria ex hiera,agarico,melle,& prædictis rebus. Adduntur fomenta ex eisdem, & insessiones ex decocto fœnugræc. artemisiæ,lauri,anethi,cumini. Fiunt & cataplasmata ex iisdem,& consimilibus.Procuratur & vomitus, ne fluores ventriculi descendentes viscositatibus associentur. *Cura colica ex crassis fluoribus.*

Non cessantibus doloribus propinant theriacam diatrium pipereon,vinum, in quo absinthium permanserit, & castoreum, quod omnibus præfertur remediis.

Præterea additur purgatiuum ex hiera,cassia tracta,diacathol. & infus.ros.damasc. &c. quæ eiusmodi lentoribus in via positis emolliendis,educendísque simul valent. Adderem & abstersiua, & incisiua.

8 Cum autem crassus flatus colicam effecerit,eadem medicamenta valent,sed minùs crassa, addendo tamen quæ contra flatum pugnant , vt cumin. anisum , fœnicul. origanum , pulegium,maioranam,anethum & similia.Sed Galenus probat valde cucurbitulæ in abdomine applicationem:statim enim sanat.Nec ratione vacat,quia calorem introducit dissoluentem flatum, quẽ simul etiam attrahit,educítque,& cũ minera flatus non affuerit, *Cura colica ex flatu succulento.*

non reuertetur dolor. Si affuerit, sequenti nocte iterum ex ea elevabitur flatus. Quapropter eius purgationi vacandum, vt nulla fiat recursio, sicuti ex præcedenti sermone consultum fuit.

9 Ex magica philosophia Medici veteres adhibuerunt remedia cunctis passionibus colicis quædam eadem. Nec mirum; sympathia enim & primalitates communes operantur. Ergo stercus lupi album in pulucrem actum datur in aqua, aut in vino tenui, albóque, & mirificè sanantur. Prodest etiam quasi amuletum gestatum in corio ouis à lupo occisæ iliis alligatum, vel in ceruino. Puto etiam & intestina lupi prodesse valdè, quoniam eius voracitas, & coli extorsio eidem solita in deuorando suam vim conciliant nostris: ita vt quasi nihil ab ingestis patiantur malis. Ad idem valet corydalis planta, & auisalauda, ei in galero consimilis, siue assata, siue elixata cum suo brodio; siue in cinerem acta, bibendum in aqua calida per tres dies, vel mulsa. Alij dant tres cochleas in olla noua clausas, & ibi intra furnum combustas, & in cinerem actas, & triduo in vino potatas. Item jecur caprinum consimiliter epotum. Dant etiam quasi amuletum, vmbilicum fœtus pridie editi, inclusum in argēto, gestatum. Sed menthæ viridis decoctio tribus vicibus sumpta, & marrubij in vino decoctio similiter exhibita, quæ ita sanant, vt malum non reuertatur: ex qualitatibus habēt virtutem. Valdè prodest exercitium super omnia, potúsque calidus secundum artem, vt ne in colicam quis incidat: quemadmodum ocium corporis, angor animi, & potus frigidus, crudique cibi nunquam non ventris dolores, & sæpissimè colicos afferunt. Magis autem prosunt, si fiant fauente astrorum configuratione.

De volulo, eiusque cura.

ARTIC. IV.

Descriptio voluuli. VOluulus autem est obstructio ilei intestini, qua prohibentur excrementa inferiùs descendere; vnde tumor sequitur in ventre similis chordæ conuolutæ, si quis tangat, veheménsque dolor, ac superfluitatum cibi retentio. Solent & comitari vomitus nauseaque, & ructus inanes; pulsus inordinatus, respiratio difficilis, dum sursum excrementa, succos, & vapores noxios mittunt: & cùm sequitur pertinacitas obstructionis, etiam stercus per os vomitur.

2 Obstru

2 Obstructioni commoditatem præbet alui angustia; causam vero inflammatio, vel abscessus, vel sicci stercoris concretio, vel crudi, pituitosi, crassique fluoris coaceruatio, quales ex ciborum crassorum, crudorũ, multorũ, pinguiúmque fieri solent: maximè autem vbi frigidus potus accesserit, & ab aëre, vel aquis frigiditas multa sit conciliata intestinis ita, vt spiritus debilis timeat per vlcerosum locum transmittere excrementa. Putant etiam si intestinum cum stercore in scrotum delapsum violenter extrusum fuerit, inflammationem, ac stercoris proinde indurationem parere, quorum omnium signa permanifesta sunt.

Commoditas & causa sæpè voluuli.

3 Pueris iste morbus ob cruditates solet accidere, sed facile soluitur humiditatis cessione. Senibus plerumque lethalis, sed cum stercus vomitur cunctis lethalis est. Similiter vbi conuulsio, vel singultus & desipientia aderint: nec medicamentis minuuntur.

Qui lædantur, & qui necantur, & qui insanabiles.

4 Voluulum ex inflammatione curat venæ sectio, & ea, quæ colicæ passioni ex eadem causa dicta sunt conuenire.

Cura voluuli ex inflam.

5 Ex stercorum induratione, conueniunt humida, pinguia, lenitiua brodia medicamentosa, & clysteres eiusmodi ex maluis, viol. mercur. dulcibus oleis & rebus blando calore præditis, videlicet emolliente, non exsiccante. Vnde & sal subtrahimus, nisi modicum adhibeas solùm ad irritandum. Adde cataplasmata, & fomenta earundem rerum. Fuge omnem cibum non liquidum, aut crudum. Vtere potu calido etiam per artem: nihil enim vtilius humido calore ad emolliendas concretiones.

Cura voluuli ex stercorũ duritie.

6 Ex cruditate ciborum si fiat, vomitum primò procurabis, si cruditates in ventriculo adsint, ne causis associentur actu causantibus. Mox per inferiora curabis excernere viscosos humores, flatulentiámque per clysteres lenitiuos, incisiuos, & abstersiuos. Adde contra flatum etiam decoctum fœniculi, cumini, origani, quæ in colicis diximus, & cum opus fuerit etiam pharmacum purgans ex hiera, & confect. de dactyl. & diacath. Extrinsecus ventri applicabis fomenta, & cataplasmata, prout in colica ex eisdem causis, & cucurbitulas &c. vbi etiam vt ibidem.

Cura voluuli ex cruditate ciborũ.

7 Si ex frigiditate, quæ tamen sola non potest obstruere, nisi & crassæ materiæ insint, tunc potibus calidis cum cynam. pipere, & huiusmodi vtere, & brodiis alliorum, & aromatum condimento affectis. Cætera, vt suprà.

Cura voluuli ex frigiditate.

8 A venenatis pharmacis voluulus vomitione curatur per

multam ergo intemperiem,& abrasionem per vlcerantes res fieri in intestino oportet: vt sic membrana sequestrari, & animari queat.

Indicia. 7 Signa autem eiusmodi lumbricorum pauca habemus, quoniam rarò fiunt. Tradunt tamen excerni ramenta, quasi cucurbitarum semina, quoniam membranæ abrasionem, & corruptelam indicant. Hæc tamen ramenta animata esse multi contendunt, non ab re.

Præterea circa ventriculum mordicatio accidit, & ingens ciborum appetentia, vt morsum vitent, & vermis saturatus cibo non rodat. Attamen facilè crudi excernuntur cibi ob coquendi imbecillitatem; quam & corporis gracilitas, & flaccitudo contestantur.

8 Ascarides vocati vermiculi in recto fiunt intestino, ex quotidiano etiam prauè concocto cibo. Indicium ipsorum est pruritus ani, & excernendi auiditas nimia, quæ cacando minuitur. Item graueolentia, quæ indigestionem consequitur, vt alibi dictum est.

Comparatio. 9 Minutiores vermes minus periculosi sunt, quoniam in recto fiunt intestino, ac facile expelluntur: ac minimi roboris sunt. Deteriores autem teretes propriique puerorum, præsertim maiores,& rubescentes.

Quorum curam qui negligit, febrem prius attendendo, indoctus est valdè: quoniam non causam morbi, sed bellum contra morbum cōterit; intereáque causa, idest vermes forant intestina.

Pessimi autem sunt lati, longíque; plus enim afficiunt, emaciant corpus, nutritionem tollunt.

Cura. 10 In curatione lumbricorum nullo pacto respiciat febrem, cuius ipsi fuerint causa, sed tantummodo ipsorum mortem, ac deinde expulsionem. In aëre calido, & sicco; cibi boni succi, facilísque distributionis administrentur, sed frequenter, vt vermes pascantur: ne deficiente pastu intestina corrodant.

11 Quæ vermes occidunt sunt aloë in primo loco, item absint. abrotanum, calamentum, marrubium, ruta, dictamnus, lupini: mentha, pulegium, gentiana, aristolochia, allium, semen brassicæ, & sinapis: amygdala amara, coriandrum, flores persicæ: quæ si à pueris respuuntur, infundantur per fistulam. Fiant ex his emplastra, vnguenta, decoctione, clysteres, cerata, additis requisitis secundum artem.

12 Eneca

12 Enecatos vero statim pellendos procurabis per clysteres, suppositoria, & pharmacum, præcipuè hieram picram, & pilulas Rufi, ne pestilentes vapores cadauercula submittant.

13 Si autem simul affuerint alui fluxus in lumbricis, medicamenta adstringentia admouebis vnà cum amaris.

14 Ascaridas solis clysteribus, quoniam fiunt recto in intestino, extrahes, ex lupinorum, pulegij, & aliorum acrium simplicium decoctione, & adstringentia applicabis, ne fluiditas commoditatem ipsorum generationi præstet. Præterea si innumeri fuerint, & periculosi, sedere facies patientem super cantharum calce virgine plenum, & aqua calida, cuius vapore necentur. Vtuntur ad extractionem carne salita oblonga, filo ligata, intrusaque podici: quam cum vermes inuaserint, extrahendo extrahuntur. Alliciuntur etiam foras melle, & lacte, in clysteribus etiam teretes lumbrici.

15 Præterea contra vermes puerorum probatissimum est oleum benedictinum, quod conficitur ex libra vna nucleorum persicorum, amygdalarum amararum, alliorum, cæparum, ascaloniarum, lumbricorum rubeorum. Item ex sex manipulis herbarum, videlicet radicibus gentianæ, & fraxinellæ, & graminis, & carlinæ, & pœoniæ, & maioranæ, & dictamni albi: & ex dragmis 4. croci, calami aromatici, caryophyll. aloës epaticæ, galbani, zinziberis, nucis moschat. cynam. piperis longi, thuris, carpobalsami, corall. rub. simul ponderatorum. Item theriacæ, & myrrhæ dragmis sex. Item manipulum vnum absinthij, abrot. centaurij min. frond. persic. lauri, saluiæ, rorismar. centaur. maior. betonicæ, cort. aurantiorum, & punicorum, pulegij, plantaginis tritæ, marrubij, apij. Item ex portulac. raphan. plantag. cumin. coton. fœnic. petroselin. frond. eupat. lupin. phaseolorum rubeorum simul. Adde baccarum lauri, & ceruini cornu, & fellis taurini libram dimidiam, aceti albi fortissimi, & vini cotoneorum lib. tres. Item oleorum mastic. spicæ, petroselin. lauri libram dimidiam. Quæ omnia contunduntur in mortario, & simul ebulliuntur in 24. libris veteris olei, donec ingredientium specierum humiditas consumatur lento, suauique igne, cooperto semper vase; deinde vero seruatur ad opus. Inunctio enim huius liquoris in vmbilico, temporibus, orificio ventriculi, & naribus, lumbricos omnes occidit.

in lacte stercoris canini ossibus triduo nutriti puluis ad consolidationem mirum in modum, ex Galeni testimonio.

14 Cum autem non cessauerint dolores, purganda est aluus per ea quæ peccantibus conueniunt humoribus: vt si pituita salsa, quæ pituitam purgant: si bilis flaua, vel atra, ea, quæ bilem flauam, vel atram secundum artem. Cauebis tamen, ne medicina vlcerationes augeat. Quapropter datis syrupis ex infusione rosarum, cichoreæ aut endiuiæ, aut plantaginis, aqua mistis, purgabis bilem flauam thamarindis, myrobalanis, manna, modico rhabarbaro, & similibus, vt dictum est in 5. lib.

15 Inferiorem ventrem adstrictiuis oleis myrti, rosarum, mastic. menthæ, & similium: terebinthina, ceráque. Item ex foliis plantarum adstringentium facto cataplasmate fouebis, semper adhibito aceto ad penetrandum, & stringendum. Præterea hoc remedium validum est, si cæpa alba benè coquatur in pice nauali (quam vulgo *catalanam* vocant) & in frustula concisa, calidaque, quantum ferri potest, vmbilico apponatur.

De tenesmo.

ARTIC. II.

Quidditas tenesmi. 1 EST tenesmus dysenteria recti intestini, in qua assidua implacabilisque cacandi cupiditas inest, fitque excretio mucosa modica, interdum cruenta, sempérque flatuosa.

Curatio. 2 Facilis est curatu, quoniam in latiori fit intestino, & propè anum: propter eáque calidis clysteribus adstringentibus & purgantibus causas, aut biliosas, aut salsas, aut atrabiliosas, benéque mundantibus, sicut & dysenteria solet sanari. Valent etiam olea inter anum & penem adhibita; & pectini. Similitérque fomenta, qualia supra descripsimus.

3 Sed mirum quidem, quoniam citra vlcerationem affectus eiusmodi accidere solet Medicis, vel ex stercorum retentione multorum in recto, vel intestini inflammatione, vel tandem ex frigore concepto multo, quod & ipse probaui. Cum enim sederit quis super lapide frigido, aut frigidæ noctis irroratione affectus fuerit, præsertim in capite, & sede: tenesmo corripitur procul dubio, ita vt frigus potissima causa esse videatur. Contra quam Medici meracum propinant vinum, pecten, inguina, & sedem calidis inungunt oleis, liliaceo, rutaceo, &c. Addunt sacculos calidarum

rum rerum. Laterem etiam non coctum vna cum paleis in frustula comminutum, acetóque feruenti perfundunt, sedique applicant. Iubendum etiam, vt sedeant super calefactam tabulam pineam, aut cupressinam. Clysteres ex mentastro, pulegio, origano, abrotano, semine anisi, fœniculi, & huiusmodi, parant: & tamen hæc opposita sunt priorum causarum medelæ.

4 Equidem credo, quòd si vlceratio causa sit excretionis incessanter recurrentis, tenesmus est ipsamet dysenteria, loco tantum differens. At si frigore fiat, propriè est tenesmus. Cum autem à stercoribus, vel inflammatione contingit, alterius est rationis.

Verum quidem est quod irritatio tanta ad excretiones fieri nequit, nisi pungantur intestina. Frigus enim solum, aut calor, aut humor, id non præstant. Declarāt clyster, & suppositorium ex sale, & acribus constitutum rebus, ciendo egestionis implacabilem appetitum, donec intra anum retinentur: res non nisi pungentes esse causam assiduæ excretionis, etsi multæ, vel modicæ dum insunt. Ergo stercora retenta, quoniam putrescunt, acescunt, & pungunt, excitant hunc affectum; inflammatio verò, quoniam humores acuit, aut intestinum afficit. Frigus tandem, non quo frigus; sed quo repercutit humores à peripheria ad centrum, quemadmodum diximus de catarrho loquentes: qui intestina subeuntes, cum acres sunt, mordicant. Hoc etiam qui à cerebro descendunt salsi, spumosique addunt. Flatus verò fiunt, quoniam frigus transpirationem impedit; ideóque exhalatio introrsum fit, & humoribus mista spumam, & punctionem confert. Quæ Medici non considerantes, statim, causis plurimis oppositis, & per accidens concurrentibus, tanquam causis per se, morbum quemlibet tribuunt, causandi rationem non inuestigantes, nec distinguere potentes.

5 Igitur si stercorum copia est causa, quod retentio præcedens ostendit, & duritics intestinorum: purgabis manna, cassia, leuibúsque pharmacis, infernè ministratis: vbi primùm clysteres ex malua, althæa, mercuriali, beta, violis, &c. tentaueris. Si vero inflammatio, ea quæ inflammationi conueniunt, vt succus ptisanæ, decoctio rosarum & plantag. oui albumen, &c. Si frigus, ea, quæ paulò ante scripsimus, & cum de catarrho ageremus.

De coli passionibus, & cura.

ARTIC. III.

Colica prima causa & indicia.

1 Fiunt passiones in colo intestino diræ, & ingentes, aut ex inflammatione: quam indicat ægri feruor,& febris, & pulsus circa ventrem;sitis,ardor,nausea,bilis vomitiones, vrinæ stercorumque retentio.

Secunda indicia.

2 Aliquando verò ab acribus,mordacibusque humoribus pungitur affligiturque. Accedit febris minor,ardor;sitis,vigilia.Item vrina acris & biliosa.Similiter & deiectiones, quæ & cruciatum inducunt,præsertim ab assumptis cibis, potibusque calidis.

Tertia indicia.

3 Sæpè verò veræque colicæ passionis causa est crassus humor, seu fluor,& lentor pituitosus,putridus,globulis coli impactus,qui inferiorem ventrem ita excruciant,vt quasi palo intestinum perforari ægri sentiant. Adsunt tormina,nausea,ructus, & interdum pituitæ vomitus. Aluus verò ita stringitur, vt neque flatum transmittere queat: quòd si aliquando emittitur stercus, illud simile bouino erit, & fœculentum, ita vt etiam contra morem stercorum in aqua supernatet. Quamobrem puto tunc huiusmodi humores dolorem efficere,cum incipiunt coqui & putrescere; nec tamen possunt in halitum absolutum verti,sed imperfectum,irretitumque crassitie;& dolores grauantur ab esculentis frigidis.

Quarta signa.

4 Tandem plerumque ex flatu soluto,sed valdè crasso, succis adhærente, dolor accidit cum tensione, & rugitu intestinorum: quod quotidie experimur,cum cibos flatulentos, & semicrudos, & fructus horarios & frigidam ingerimus.

Comparatio. Cura colicæ ex inflam.

5 Omnium pessima est colica ex inflammatione,quæ in ileum solet transire. Curatur autem sicut cæteræ inflammationes ab emissione sanguinis ex interna cubiti vena facto principio. Deinde clysteres adhibendi,non quidem acres,sed lenitiui: quales ex malua,althæa,violis decoctis,& oleo violaceo,rosaceo, amygdalino dulci, sacchyaro rubro, adipe anserino, &c. Subministrant etiam lac cum cassia fistula,prædictisque oleis. Vteris etiam fomentis,insessionibus,balneis,sacculis, cataplasmatibus, cæterisque,inflammationem vel per se, vel per accidens, minuentibus. Cibósque dabis inflammationi conuenientes.

6 Cùm verò humores acres sunt in causa,ab omnibus abstinebis cibis potibusque,& medicamentis acribus. Vtere ergo humidiore,

diore, & frigidiore victu. Clysteres verò ex detergentibus non mordicantibus fiant rebus;ea autem sunt quæ iam diximus. Adde succum ptisanæ, seminis lini, vitellos oui, & huiusmodi, &c. Cùm verò pertinax perseuerat humor: medicamento purgante vti consueuerunt ex manna, vel aloë, hiera, infusionibus rosarum,&c.

7 In colica ex crassis fluoribus aër tenuis,cibíque tenues, modicæque substantiæ, & à principio inedia, eligantur. Nulla res cruda,neque ad satietatem adsumatur. Carnes volucrum faciléque digestibiles conueniunt: pisces nulli,nulláque legumina,neque terrestres carnes, nisi iuuenum, velociúmque animalium conueniunt,neque assatæ,sed elixæ:in quorum iure allium,pulegium, serpillum, origanum, cateráque calida tenuis substantiæ coquantur. Apponendum est etiam aliquid agrestæ, vel aceti ad incidendum,sed benè modicum. Prodest etiam & cæpa semicocta. Nimis calidos ita vitabis vt frigidos, nisi calor humori copuletur. Prodest ergo paulatim curari blando calore magis, quàm multo repentè, ne fluores excalefacti assentur. Clysteres ex decocto rutæ,fœniculi,anethi,maluæ,mercurialis,chamomillæ, fœnugræci,& similibus,corúmque oleis,& adipe anserino, & butyro,&c.Fiunt etiam suppositoria ex hiera,agarico,melle,& prædictis rebus. Adduntur fomenta ex eisdem, & insessiones ex decocto fœnugræc. artemisiæ,lauri,anethi,cumini. Fiunt & cataplasmata ex iisdem,& consimilibus.Procuratur & vomitus, ne fluores ventriculi descendentes viscositatibus associentur. *Cura colicæ ex crassis fluoribus.*

Non cessantibus doloribus propinant theriacam diatrium pipereon,vinum, in quo absinthium permanserit, & castoreum, quod omnibus præfertur remediis.

Præterea additur purgatiuum ex hiera,cassia tracta,diacathol. & infus.ros.damasc. &c. quæ eiusmodi lentoribus in via positis emolliendis,educendísque simul valent. Adderem & abstersiua, & incisiua.

8 Cum autem crassus flatus colicam effecerit,eadem medicamenta valent,sed minùs crassa, addendo tamen quæ contra flatum pugnant, vt cumin. anisum, fœnicul. origanum, pulegium,maioranam,anethum & similia.Sed Galenus probat valde cucurbitulæ in abdomine applicationem:statim enim sanat.Nec ratione vacat,quia calorem introducit dissoluentem flatum, quē simul etiam attrahit,educítque,& cū minera flatus non affuerit, *Cura colicæ ex flatu succulento.*

non reuertetur dolor. Si affuerit, ſequenti nocte iterum ex ea eleuabitur flatus. Quapropter eius purgationi vacandum, vt nulla fiat recurſio, ſicuti ex præcedenti ſermone conſultum fuit.

9 Ex magica philoſophia Medici veteres adhibuerunt remedia cunctis paſſionibus colicis quædam eadem. Nec mirum; ſympathia enim & primalitates communes operantur. Ergo ſtercus lupi album in puluerem actum datur in aqua, aut in vino tenui, albóque, & mirificè ſanantur. Prodeſt etiam quaſi amuletum geſtatum in corio ouis à lupo occiſæ ilıis alligatum, vel in ceruino. Puto etiam & inteſtina lupi prodeſſe valdè, quoniam eius voracitas, & coli extorſio eidem ſolita in deuorando ſuam vim conciliant noſtris: ita vt quaſi nihil ab ingeſtis patiantur malis. Ad idem valet corydalis planta, & auisalauda, ei in galero conſimilis, ſiue aſſata, ſiue elixata cum ſuo brodio; ſiue in cinerem acta, bibendum in aqua calida per tres dies, vel mulſa. Alij dant tres cochleas in olla noua clauſas, & ibi intra furnum combuſtas, & in cinerem actas, & triduo in vino potatas. Item jecur caprinum conſimiliter epotum. Dant etiam quaſi amuletum, vmbilicum fœtus pridie editi, incluſum in argēto, geſtatum. Sed menthæ viridis decoctio tribus vicibus ſumpta, & marrubij in vino decoctio ſimiliter exhibita, quæ ita ſanant, vt malum non reuertatur: ex qualitatibus habēt virtutem. Valdè prodeſt exercitium ſuper omnia, potúſque calidus ſecundum artem, vt ne in colicam quis incidat: quemadmodum ocium corporis, angor animi, & potus frigidus, crudíque cibi nunquam non ventris dolores, & ſæpiſſimè colicos afferunt. Magis autem proſunt, ſi fiant fauente aſtrorum configuratione.

De volulo, eiuſque cura.

ARTIC. IV.

Deſcriptio voluuli.

VOluulus autem eſt obſtructio ilei inteſtini, qua prohibentur excrementa inferiùs deſcendere; vnde tumor ſequitur in ventre ſimilis chordæ conuolutæ, ſi quis tangat, vehemenſque dolor, ac ſuperfluitatum cibi retentio. Solent & comitari vomitus nauſeaque, & ructus inanes; pulſus inordinatus, reſpiratio difficilis, dum ſurſum excrementa, ſuccos, & vapores noxios mittunt: & cùm ſequitur pertinacitas obſtructionis, etiam ſtercus per os vomitur.

2 Obstructioni commoditatem præbet alui angustia; causam vero inflammatio, vel abscessus, vel sicci stercoris concretio, vel crudi, pituitosi, crassique fluoris coaceruatio, quales ex ciborum crassorum, crudorũ, multorũ, pinguiúmque fieri solent: maximè autem vbi frigidus potus accesserit, & ab aëre, vel aquis frigiditas multa sit conciliata intestinis ita, vt spiritus debilis timeat per vlcerosum locum transmittere excrementa. Putant etiam si intestinum cum stercore in scrotum delapsum violenter extrusum fuerit, inflammationem, ac stercoris proinde indurationem parere, quorum omnium signa permanifesta sunt. *Commoditas & causæ sæpè voluuli.*

3 Pueris iste morbus ob cruditates solet accidere, sed facile soluitur humiditatis cessione. Senibus plerumque lethalis, sed cum stercus vomitur cunctis lethalis est. Similiter vbi conuulsio, vel singultus & desipientia aderint: nec medicamentis minuuntur. *Qui lædantur, & qui sanentur, & qui insanabiles.*

4 Voluulum ex inflammatione curat venæ sectio, & ea, quæ colicæ passioni ex eadem causa dicta sunt conuenire. *Cura voluuli ex inflam.*

5 Ex stercorum induratione, conueniunt humida, pinguia, lenitiua brodia medicamentosa, & clysteres eiusmodi ex maluis, viol. mercur. dulcibus oleis & rebus blando calore præditis, videlicet emolliente, non exsiccante. Vnde & sal subtrahimus, nisi modicum adhibeas solùm ad irritandum. Adde cataplasmata, & fomenta earundem rerum. Fuge omnem cibum non liquidum, aut crudum. Vtere potu calido etiam per artem: nihil enim vtilius humido calore ad emolliendas concretiones. *Cura voluuli ex stercorũ duritie.*

6 Ex cruditate ciborum si fiat, vomitum primò procurabis, si cruditates in ventriculo adsint, ne causis associentur actu causantibus. Mox per inferiora curabis excernere viscosos humores, flatulentiámque per clysteres lenitiuos, incisiuos, & abstersiuos. Adde contra flatum etiam decoctum fœniculi, cumini, origani, quæ in colicis diximus, & cum opus fuerit etiam pharmacum purgans ex hiera, & confect. de dactyl. & diacath. Extrinsecus ventri applicabis fomenta, & cataplasmata, prout in colica ex eisdem causis, & cucurbitulas &c. vbi etiam vt ibidem. *Cura voluuli ex cruditate ciborũ.*

7 Si ex frigiditate, quæ tamen sola non potest obstruere, nisi & crassæ materiæ insint, tunc potibus calidis cum cynam. pipere, & huiusmodi vtere, & brodiis alliorum, & aromatum condimento affectis. Cætera, vt suprà. *Cura voluuli ex frigiditate.*

8 A venenatis pharmacis voluulus vomitione curatur per

aquas tepidas, & vomitorias res, procurata; & oleorum potus. Deinde dãt theriacã; & si opus fuerit, pharmacũ purgãs vt suprà.

9 Si ex descensu in scrotũ, eleuatis clunibus retrocessus procuretur, & ex butyro fiat litus, si opus fuerit, contineantúrque intestina, ne iterum elabantur, fascia, funda, cingulo ferreo, prout solent qui hernia laborant.

10 Plinius à Magis medicamenta voluulo affert ex sanguine vespertilionis illito ventri. Item spolij serpentis in vase stanneo, cum rosaceo decocti, illitionem. Adde voracium animalium intestinum, vt luporum, leonum, &c.

De lumbricis.

ART. V.

Generationi lumbricorum dignotio.

1 Ex omni re humida putrescẽte vermes generari, & in terra, & in stercoribus in cantharo diu seruatis, & in vulneribus non bene curatis, manifestũ est. Quapropter qui per anũ, aut per os excernuntur animalis, eandẽ eos habere generationẽ oportet.

Triplex genus lumbricorum.

2 Sunt autem in triplici genere, alij videlicet teretes in conum vtrinque desinentes, albidi, vnius palmi longitudinem plus, minusve habentes; qui in superioribus intestinis oriri putantur, quoniam ibi symptomata ipsorum eduntur. Alij lati & longissimi interdum vsque ad tricenos palmos, qui totum intestinum cõplent ferè vsque ad colon. Alij minuti exiguique, teretes tamen; quales ex putrefactis cerasis, & in stercoribus fiunt: & horum generatio in recto intestino demonstratur: qui interdum innumerabiles sunt, vt sola multitudine periculum indicẽt magis, quàm faciant.

Quis calor quantusque gignit vermes.

3 Calor magnus vermes non gignit: assat enim materiã, tenuitatémque, quã ingenerat, educit: calor modicus ingenerare spiritũ, & sequestrare materiã, ingenerato spiritu animatã, è reliqua mole, non est aptus: ergo calor mediocris, ac diu agens, inueteratúsque in materia, vermiũ genitor est: neque enim assata caro, neque frigida in hyeme vermescit, sed quæ proprio calore conficitur, liquatur, & vapor fit, vt dictum est sæpè. Igitur non rectè quidam in ventriculo non fieri vermes, qui ore emittuntur, propterea docent, quod calor nimius in ventriculo inest: nec stercora, lumbricorum materia, adsunt. Euenit enim aliquando, vt calor minuatur, & res multæ in stomacho putrescant, præsertim pituita cruda crassaque; quam etiam materiam faciunt Medici lumbricorum. In vulneribus etiam fiunt vermes absque stercore, &

An vermes aliqui generentur in vẽtriculo.

in

in fungis, & ficubus, & cerasis. Quapropter in fundo ventriculi aliquos oriri non abnegem. At in intestinis sæpe, quoniam ibi stercora, illis aptiora, retinentur. Quapropter nisi fiat stercorum retentio, teretes vermes non creantur. Idcircò in cæco intestino ipsorum generationem facio magis, quod in dissectionibus porcorum probatur: in quibus lumbrici quasi semper intra cæcum reperiuntur: non sic autem in cæteris intestinis.

4 At verò ex recenti cibo fiunt lumbrici non rarò, quando crudus, pituitosúsque, & plurimus est, qui putrefactioni aptus sit: nam & iumenta ex prauo cibo eos gignere visuntur; & pueri qui nimis replentur, nec absoluere concoctionem sibi proficuam possunt; sed immanens calor animat materiam irretitus.

5 Rotundos lumbricos indicat non solum ipsorum excretio, sed etiam erosio, & mordicatio intestinorum superiorum, ipsiúsque ventriculi, quem pungunt; & quoniam sua motione, & rosione excitant vapores prauos, & indigestos, humorésque mouent: accidit nausea, vomitúsque; item vertigo quædam in capite, & angor, & decubitus mutatio, & ventris inflatio, cibi odium, & corruptorum egestio, crudorúmque. Item singultus, sicca tussis, qui sunt conatus ad expellendum vani. Item suffusio sanguinis in oculis, eorúmque clausio, taciturnitas, vociferatio, delirium, præsertim in somnis, quando & peregrina loquuntur, & cum clamore exurgunt. Pulsus obscuri, deficientes, recurrentes, sudor frigidus, & liuor in facie, fremitus dentium. Adsunt & febres ordinem accessionum non seruantes, & sæpè quater in die renouantur. Immo & tabes corporis quosdam consequitur. Vt hinc videas febrem non esse morbum, sed pugnam: neque tabem oriri ex pulmonis vlcere. aut calore habituato, vel euacuatione, vt Medici autumant; sed quia corpus nutriri nequit, ideóque putrescit, ac nutrit, ac calore proprio conficitur, cum cibos conficere impotens est, vndecunque oriatur impotentia; vt sæpè dictum est. *Indicia rotundorum vermium.* *Nota.*

6 Latum lumbricum meliores Medici, non tamen Galenus, ex interioris membranæ putrefacta substantia ortum ducere arbitrantur. Nec temere quidem: videmus enim funiculos, & pilos equorum in aqua pluuiali stagnante animari, vermésque fieri, quanta est materiæ longitudo, crassitiésque. Quomodo autem abscindatur ab intestino mēbrana hæc, nō facile scitur: esse tamē intestini portionem figura, & longitudo lumbrici indicat. Quam *Generatio latorum vermium, causaque probatio.*

multam

multam ergo intemperiem,& abrasionem per vlcerantes res fieri in intestino oportet : vt sic membrana sequestrari, & animari queat.

Indicia. 7 Signa autem eiusmodi lumbricorum pauca habemus, quoniam rarò fiunt. Tradunt tamen excerni ramenta, quasi cucurbitarum semina, quoniam membranæ abrasionem, & corruptelam indicant. Hæc tamen ramenta animata esse multi contendunt,non ab re.

Præterea circa ventriculum mordicatio accidit, & ingens ciborum appetentia, vt morsum vincant, & vermis saturatus cibo non rodat. Attamen facilè crudi excernuntur cibi ob coquendi imbecillitatem;quam & corporis gracilitas, & flaccitudo contestantur.

8 Ascarides vocati vermiculi in recto fiunt intestino, ex quotidiano etiam prauè concocto cibo. Indicium ipsorum est pruritus ani, & excernendi auiditas nimia, quæ cacando minuitur. Item graucolentia, quæ indigestionem consequitur, vt alibi dictum est.

Comparatio. 9 Minutiores vermes minus periculosi sunt, quoniam in recto fiunt intestino,ac facile expelluntur : ac minimi roboris sunt. Deteriores autem teretes propriique puerorum, præsertim maiores,& rubescentes.

Quorum curam qui negligit,febrem prius attendendo,indoctus est valdè : quoniam non causam morbi, sed bellum contra morbum cõterit;intereáque causa, idest vermes forant intestina.

Pessimi autem sunt lati, longíque ; plus enim afficiunt, emaciant corpus,nutritionem tollunt.

Cura. 10 In curatione lumbricorum nullo pacto respiciat febrem, cuius ipsi fuerint causa, sed tantummodo ipsorum mortem, ac deinde expulsionem. In aëre calido, & sicco ; cibi boni succi, facilisque distributionis administrentur, sed frequenter, vt vermes pascantur:ne deficiente pastu intestina corrodant.

11 Quæ vermes occidunt sunt aloë in primo loco, item absint.abrotanum, calamentum, marrubium, ruta, dictamnus, lupini : mentha, pulegium, gentiana, aristolochia, allium, semen brassicæ, & sinapis : amygdala amara, coriandrum, flores persicæ : quæ si à pueris respuuntur, infundantur per fistulam. Fiant ex his emplastra, vnguenta, decoctione, clysteres, cerata,additis requisitis secundum artem.

12 Encca

12 Enecatos vero ſtatim pellendos procurabis per clyſteres, ſuppoſitoria,& pharmacum,præcipuè hieram picram, & pilulas Rufi, ne peſtilentes vapores cadauercula ſubmittant.

13 Si autem ſimul affuerint alui fluxus in lumbricis, medicamenta adſtringentia admouebis vnà cum amaris.

14 Aſcaridas ſolis clyſteribus, quoniam fiunt recto in inteſtino, extrahes, ex lupinorum, pulegij, & aliorum acrium ſimplicium decoctione, & adſtringentia applicabis, ne fluiditas commoditatem ipſorum generationi præſtet. Præterea ſi innumeri fuerint, & periculoſi, ſedere facies patientem ſuper cantharum calce virgine plenum, & aqua calida, cuius vapore necentur. Vtuntur ad extractionem carne ſalita oblonga,filo ligata, intruſaque podici: quam cum vermes inuaſerint, extrahendo extrahuntur. Alliciuntur etiam foras melle, & lacte, in clyſteribus etiam teretes lumbrici.

15 Præterea contra vermes puerorum probatiſſimum eſt oleum benedictinum, quod conficitur ex libra vna nucleorum perſicorum, amygdalarum amararum, alliorum, cæparum, aſcaloniarum,lumbricorum rubeorum. Item ex ſex manipulis herbarum, videlicet radicibus gentianæ, & fraxinellæ, & graminis, & carlinæ, & pœoniæ, & maioranæ, & dictamni albi: & ex dragmis 4. croci, calami aromatici, caryophyll. aloës epaticæ,galbani, zinziberis,nucis moſchat. cynam. piperis longi, thuris, carpobalſami, corall. rub. ſimul ponderatorum. Item theriacæ, & myrrhæ dragmis ſex. Item manipulum vnum abſinthij, abrot. centaurij min. frond.perſic.lauri, ſaluiæ,roriſmar. centaur. maior. betonicæ,cort. aurantiorum, & punicorum, pulegij, plantaginis tritæ, marrubij, apij. Item ex portulac. raphan. plantag. cumin. coton. fœnic. petroſelin. frond. eupat. lupin. phaſeolorum rubeorum ſimul. Adde baccarum lauri,& ceruini cornu, & fellis taurini libram dimidiam,aceti albi fortiſſimi,& vini cotoneorum lib.tres. Item oleorum maſtic. ſpicæ, petroſelin. lauri libram dimidiam. Quæ omnia contunduntur in mortario, & ſimul ebulliuntur in 24.libris veteris olei,donec ingredientium ſpecierum humiditas conſumatur lento,ſuauique igne,cooperto ſemper vaſe; deinde vero ſeruatur ad opus. Inunctio enim huius liquoris in vmbilico,temporibus,orificio ventriculi, & naribus, lumbricos omnes occidit.

De morbis ani.

CAPVT XIV.

1 TErminus intestinorum est anus, organum odio appetitiui principij deseruiens: per ipsum enim noxia cuncta ferè expelluntur, præsertim excrementitia. Eius morbi sunt procidentia, rimæ & hæmorrhoïdes, & horum species.

De ani procidentia, eiúsque cura.

ARTIC. I.

Descriptio procidentiæ. 1 CVm postrema pars recti intestini nimia mollitie, & fluoribus diuturnis laxata fuerit, musculique etiam obliqui debilitati fuerint, extra rotundum musculum cum cacandi vim facit, procedit, nec per se ipsum redire valet, peracto officio. Hunc *Causa.* igitur morbum, ani vocant procidentiam, eique plurimas assignant causas, cum vix duæ sint, potius autem vna, hoc est laxitas intestini, & musculorum proinde debilitas à nimia ortæ fluiditate. Pueris inest morbus hic familiaris hanc ob causam; & cum adoleuerint, per se sanatur fluiditate paulatim desiccata. Scio etiam amicum pane, & aqua, & solis oleribus ex religione vtentem, in hunc morbum incidisse in virili ætate: post vbi hanc viuendi rationem sibi constituit: herbæ enim, & aqua humiditates ingenerant plurimas, & fluxiones; quod non semel & ipse expertus sum, ita vt sponte ex aluo erumperent.

Inflammatio è non causa. 2 Qui ergo inflammationem pro causa assignant Medici, falluntur. Inflammatio enim exsiccat, stringit, retinétque intestinum, non educit. Contingit forsan tamen aliquando inflammari solitum educi ex ipso prolapsu, & intemperie, quam ab euersione extrorsum sortitur, vel à nouis comitantibus causis.

Curatio. 3 Quapropter cum expurgans se anus prociderit: si inflammatus fuerit, intumueritque, ita vt intrudi in locum suum iterum nequeat: tunc si plethora adest, secetur vena, vel saltem aperiatur, vt calor eò vertatur, & procuretur vomitus ob idem, vtque humores non confluant deorsum, præsertim biliosi, acrésque. Inungitur mox posca lotus prius anus oleo anethino, & chamomill. vt dissoluto tumore recondi possit. Adhibe etiam fomenta ex decocto althææ, chamomill. semin. lini, fœnugræc. & spongia, eodem decocto imbuta, foueatur, & acribus, & abstersiuis vtendum;

dum; sed his, quæ tumorem, & inflammationem tollunt. Tunc retrudendus est anus in locum suum; & quæ in eiusmodi passione sunt propria adhibebimus.

4 Propria quidem sunt ea, quæ exsiccant, calefaciúntque, vt exsiccent, & adstringant, & simul corroborent. Ergo generoso vino veteri, austeróque anum lauabis, in quo galla, aut rosꝭ. thus, bolus armen. myrrha, hypocystis, &c. incocta fuerint. Et remisso in loco abluetur podex ex decocto balaustiorum, nucum, cupressi, gallæ, cupularum glandis, corticis cotoneorum, & huiusmodi cum rosemarino, rubo, immaturisque moris, & huiusmodi similibus.

5 Sedebit patiens perpetuò, vel per vices super tabula picea, vel cupressina prius calefacta. Caueat autem ne vnquam in frigido loco, præsertim super lapidem sedeat.

6 Caueat à cibis odore aromatico, & styptico sapore carentibus simul: quales sunt intybum, beta, borrago, cucurbita, & similia. Iurulentis quoque non vtetur, nisi modice, & medicatis cynamom. nuce moscha. caryophyl. Vtetur potu vini veteris, austeri myrrhatique; & in quo myrti baccæ immoratæ sint. Horum pulueribus in potu, & cibo, & in ablutionibus podicis vtiliter quoque vtetur, & insessionibus. *A quibus cauendum.*

De rimis ani.

Artic. II.

1 Fiunt in exteriori ani circulo rimulæ quædam, quales in labris sæuiente aquilone. Fiunt autem ab acribus humoribus illabentibus extra intestinum, vel intus vnà cum excrementis. Solent etiam tubercula rugas circuli interstantia intumescere, & per sui tensionem rimas efficere. *Rimarum descriptio & causa.*

2 Ablues ergo rimas decocto rosarum, & gallarum, vel mororum prius; quibus & lenientia addes, si inflammatio adest. Deinde vnguentum ex oleo rosaceo, myrtin. thur. & mastic. gall. myrt. terra lemnia, alumin. & huiusmodi rebus adstringentibus, & non vlcerantibus confectum applicabis. Prius tamen, si res postulauerit, purgabis humores acres secundum artem. At vero hoc nunquam omittes, videlicet emollitionem alui, ne stercora dura rimas amplificent, & ipsarum conglutinationem impediant, prædictis comparatam rebus. In

grandioribus vrgentioribúsque ardoribus camphorato albo vtuntur quidam.

De hæmorrhoidibus, earúmque cura.

Artic. III.

Quid hæmorrhoides. 1 SVnt hæmorrhoïdes venarum in podice terminatarum tumores, aut eruptiones sanguinis crassi, fæculentique confluxu factæ.

Vtilitas hæmor. primo speciei. 2 Et quidem aliæ periodicæ, quæ certis temporum interuallis sanguinem emittunt prauum, non secus atque mulierum vterus menstruum; & hæ vtilissimæ. Qui enim sic purgantur, laterum doloribus, pulmonis inflammatione, depascente vlcere, lepra, vitiliginibus, furunculis, cæterisque morbis, qui ex vitiato sanguine ortum ducunt, viuunt liberi. Proptereáque curandum non est, vt supprimantur. *Cura.* Solent enim si vna relicta non fuerit marisca, morbi accidere præfati, & alij crudeliores. Qui autem iis curari vult, bona victus ratione vtetur, vt sanguinem purum gignat, omniáque tetra, & crassa esculenta vitet. Deinde purgetur pharmaco atram bilem educente: & sic apertas obserare hæmorrhoïdas absque periculo valebit.

Quando nociua. 3 Cum autem cœperit & bonus subsequi sanguis dilatatis foraminibus, & multus, tunc supprimendæ sunt, ne aquæ inter cutem, & debilitationes, & tabes succedant. *Cura.* Vtatur ergo cibis modicum sanguinem, sed purum procreantibus, vt alica, oriza, cichorio, intubo, portulaca cocta in pedum vituli brodio, vel arietis, addito omphacio, vel adstrictiuis, non autem irritatiuis. Potest è carnibus, & incoctis cotoneis exprimi succus, cum ægri debilitantur. Præterea auersionem procurabis, per frictiones, ligamenta, apertionem venæ modicam in brachiis, cucurbitulas in hypochondriis, aut in humeris etiam scarificatas. Vtere intus, & extra rosis, & myrtillis, cotoneis, corallis, bolo armeno, terra lēnia, & his, quæ loquentes de sanguine sistendo scripsimus: & per fomenta, & syrupos, & ablutionem, &c. Galenus vtitur aloë, & thure cum oui candido, pilisque leporis contusis simul, inque formam vnguenti redactis, applicatisque ano. Alij squama ferri, exusto plumbo. Vidi vnguentum plumbeum mirificè statim suppressisse hæmorrhoïdes. Vina etiam adstringentia intus, & extra valent, & vinaciorum combustorum fumi.

fumi. Item decoctum nucum cupressi, balaustiorum, cupularum glandium, rorismarini, & modico vitrioli.

4 Quædam hæmorrhoides sunt criticæ, cum post diuturnum erumpunt morbum; vel breuem, præsertim cum alleuiant, & facilè ferunt; & tunc naturæ iudicio relinquantur: nisi cum cæperint mala præfata ex nimio subsequi fluxu: quæ præfatis comprimuntur medicinis. *Hamor. secunda speciei salubres.*

5 Aliæ sunt hæmorrhoides symptomaticæ dolorem multum facientes, & quemcunque educentes sanguinem, ex prauiis causis enatæ: solent enim ex confricatione ani prorsus fieri, & sanguinis concursus, & simul aperiri aliquando ex durorum stercorum crassorumque summo nisu eductorum, principium habent: aliquando ex sanguinis praui abundantia, quæ ad modicam irritationem vbicunque fiat, erumpunt: aliquando ex lue venerea ortum ducunt. *Hamor. tertia speci. ex quadruplici causa.*

6 Sunt aliæ cæcæ hæmorrhoides, id est non apertæ, tumidæ: ideoque modicum sanguinem mittunt, sed doloribus cruciant diris; ad quos sedandos vtuntur Medici mica panis in lacte cum vitello oui. Item fomento ex decocto maluæ, violæ, melilot. fœnugræc. semin. leni, & eiusmodi lenientibus rebus: quibus non sedatis aperiendæ sunt hirudinibus, aut lanceolæ modico tactu, si foras prominent. Alioqui felle bubulo intra anum lana excepto immissa; aut succo cyclamini, vel cæpæ aperiuntur, & eiusmodi rebus. Suppositoria etiam oblonga ex radice cyclamini valent; præsertim columbino illita stercore, acribusque rebus & corrosiuis. *Hamor. quarta speciei.* *Cura.*

Præterea vtemur cibis boni nutrimenti, non sanguineis: & auersionibus iam dictis. Et si corpus plethoricum fuerit, in brachio, vel malleolo aperienda vena, &c.

7 Aliæ hæmorrhoides sunt apertæ: quas dicta priùs ratione curabis in cibo, & adstingentibus intus & foris pharmacis. Cum vero eminent mariscæ, si instar mororum habent tumorem, excipiendæ sunt arctissimo serici filo, donec sponte decidant: quod facilius eueniet, si equitabit æger, vt contundantur, sicut experti sumus. Si verò vt galli cristæ oblongæ fuerint, vt filo ligari nequeant, argenteis filis concludendæ sunt, & stupefacientibus tractandæ: deinde nouacula abradendæ: tunc terra lemnia, myrrha, mastice, & huiusmodi adhibenda, ne sanguis defluat. Solent & ignito metallo inuri, quibus multus defluit humor. De- *Hamor. quinta speciei.* *Cura mariscarum.*

inde decocto gallarum, balaustiorum, cupressinarum nucum, & vitrioli modici aut aluminis fomentum: & tandem ablutio fiat.

9 Cauendum autem ne fistula relinquatur: propterea pharmaco purgante prius vtendum: deinde sectione mariscarum: deinde exsiccationibus, & per insessum, & ablutionem, & potum, & cibum procuratis.

10 Tandem probatum est, quòd lotio propriæ vrinæ sanat vlcera ani, & hæmorrhoides, vt in Scioppio factum est.

De venarum mesaraicarum morbis,

Capvt XV.

1 POstquam de morbis organorum deseruientium amori, & odio appetitiui principij in prima attractione, coctione, sequestratione nutrimenti dictum est: consequens est, vt de organorum secundæ operationis in alimentum, disseramus. Venæ mesenterij in intestinis radicatæ exugunt meliorem chyli partem, & in iecur deferunt, vbi in sanguinem vertatur. Cum ergo hoc munus haud rectè exequuntur, vel minimè exequuntur, affectib. aliquib. præter naturam tenentur: qui quidem esse solent obstructio venarum; inflammatio; & scirrhus mesenterij; & vlcus.

Continuatio dicendorum.

4. Species morborum in mesent.

De mesaraicarum obstructione.

Artic. I.

1 OBstructionem mesaraicarum totalem vix vnquam inuenies: sic enim iecur, & venæ, & corpus totum sublata porta nutrimenti statim macie conficerentur, & morte. Cum autem fit ex parte: tunc partes modicæ, tenuésque in iecur feruntur, quas statim in flatum & aquam vertit, cum suæ actioni impares sint: vnde sequitur hydrops, & totius corporis tabes: cum enim non nutritur nutrit, vt sæpe docuimus.

Quæ mala ex totali, & quæ ex partiali obstructione mesaraic.

2 Cognoscitur autem obstructio, cum chylus per anum excernitur: non enim potuit in iecur ferri. At si sanguis mistus sit, vel sanguinea aqua: non erit mesaraicarum obstructio, sed iecoris alimentum refutantis refusio, amplius digerere non potentis, vt in sequenti capite docebimus.

Dignotio obstructionis & non obstruct.

3 Quoniam obstructio non fit, nisi crassi alimenti reliquiis

viscosis,

viscosis, orificiis venarum impactis: Pharmaca inferne, supernéque abstergentia, incidentia, attenuantia, & penetrantia proderunt; de quibus sæpe.

De inflammatione, & scirrho mesenterij.

ARTIC. II.

1 INflammatio fit in mesenterio, & mesaraicarum radicibus, cum ex iecore, liene & renibus, refunduntur excrementitiæ reliquiæ, ibique putrescunt, & inflammantur, & tumorem faciunt. *Causa inflammationis & scirrhi.*

2 Quod tactu discernitur, & puris cum fæcibus excretio, lenta febris, & grauitas in mesenterio, patefaciunt. Dolor enim obscurus est in mesenterio, nisi neruosum genus afficiatur. *Discretio.*

3 Scirrhus & ibidem oriri solet, qui à crassorum humorum illuuie contrahitur.

4 Curatur autem inflammatio tenui victu, & refrigerante, & sectione venæ basilicæ: clysteribus lenientibus, & trahentibus. Adde topica remedia, cataplasmata, fomenta, olea, &c. quæ repellant influentem materiam: & si opus est, deinde quæ emolliant, & maturent ad suppurationem, donec fiat eruptio: & tunc primò irritatiuis, deinde abstersiuis, deinde purgatiuis vtere, sicuti dictum est in pleuritide. Purgatio autem cum sit rerum in via, fiat lenis ex cassia, vel manna, vel hiera, prout, &c. Tandem consolidantia, cicatricemque generantia adhibebis, vt decoct. cydon. gallæ, terram lemniam, &c. *Cura.*

5 De scirrho eadem, & quæ sequuntur in capite sequenti.

De morbis organi secundæ operationi interiori principij appetitiui, idest iecoris sanguificationi, deseruientis.

CAPVT XVI.

POst hæc chylus in iecur adducitur, ibi vertendus in sanguinem, perque corpus distribuendus. Iecur autem multis afficitur malis, videlicet obstructione, inflammatione, scirrho, vlcere, ictericia, atrophia, cachexia, cacochymia, imbecillitate, & hydrope: horum enim malorum est vel subiectum, vel causa. *Decem morborum species in iecore.*

De

De iecoris inflammatione.

ARTIC. I.

Causa inflam. non sola copia sanguinis.

1 PRincipium inflammationis reputatur vbique calidi sanguinis copia, sed ex hoc ebullitio quædam fit, non autem morbosa inflammatio, nisi adsit simul tenuitas biliosa, vel acrimonia, & concursus eiusmodi sanguinis, vel missi ab alia parte exuberante, lacessitáque, vel ab inflammati membri calore, imbecillitate, aut dolore: propter punctionem aliquam, vel laborem attrahentis, sicuti epati contingit, cum omnes partes in ipsum se exonerant: vel cum in ipso tenuitas, & acrimonia fit, bilescente sanguine, vel non satis expurgato.

Indicia inflam iecoris & hypochondrij.

2 In omni iecoris inflammatione dolor, & grauitas in dextro hypochondrio sentitur, & tumor, & febris assidua, linguæ ardor, primò rubescentis, deinde liuescentis. Tumor autem est rotundus, qui minor apparet corpore in dextrum reclinato, maior in sinistrum, & cuticula exterior eodem modo se habet. Cum vero inflammatio est hypochondrij, fit tumor oblongus, & cutis tensio, vt nec digitis eam contrahere possis. Quæ notæ adductæ sunt, ne quis alteram pro altera inflammationem accipiat.

Signa inflam. gibbosæ partis.

3 Et cum gibbosa jecoris pars inflammatur, præter dictas notas accidit dolor internus, quia costarum spuriarum gibbitas neruosæ membranæ adhæret. Item tussis sicca, difficultas anhelitus, sitis, cibi fastidium, & dolores vsque ad iugulum extenduntur. Hæc fiunt affectu simæ partis, sed minora. Adsunt tamen adstrictio alui, fastidium, nausea, vomitus vitellinus, & æruginosus, ingens sitis, vt in affectu gibbæ; sed ibi longè maiores: est etiam spiratio parua, & crebra: sed minus atque ibi: & pulsus durus, inæqualis, serratus, non tantus, quantus inflammatis membranis, sed maior, & celerior.

Signa curua

Indicia pessima inflammat.

4 Quando inflammatio est maxima, & pessima, febris validior est; & singultus fit communicante ventriculo in affectu, vel bile erumpente ipsum pungente: & pro febris, & virium robore, iudicabis de euentu.

Curatio.

5 In curatione aër serenus, ad frigidum modicè inclinans requiritur: cibus tenuis valdè, & refrigerans, & emolliens, qualis cremor ptisanæ, intubus in brodio gallinaceo, vel phasianorum, vel aliorum huius conditionis. Victum calidum, & qui sangui-

nem

nem multum generet, præsertim tenuem, omninò vitabis: ergo & vinum.

6 Venæ sectio dextri brachij jecorariæ vocatæ, præcedat etiam pluries, vbi vires adsunt: magis autem si & plethora. Et diuersiuis vtere ligamentis, & cucurbitulis, vt sæpè dictum est: clysteres abstersiui, & lenitiui, non nimiùm acres adhibendi; & hoc vbi caua jecoris pars laborat magis: nam cum phlegmone est in gibba, prodest magis per vrinam euacuare, & hanc cientia pharmaca adhibere. *Phlebot. & diuersiua.*

7 Cauendum autem ex peritorum Medicorum animaduersione, ne frigida actu applicentur, quoniam phlegmone per antiperistasim augetur, & calor digerens morbosam causam impeditur. Secundò, vt cum medicamentis semper aliquid adstringens addatur, cum ad reprimendum influxum sanguinis, cum ad jecoris robur & complexionem seruandam. Equidem nec valde calida applicarem, ne accersant aliundè humores, & calorem iecoris ita augeant, vt asset & induret. Neque frigida propter iam dictas paulo ante rationes. Placent ergo lenitiua blando calore prædita, tenuique substantia: qui aperiat iecoris poros, vnde exhalet calor nimius, non tamen excalefaciat: idcirco semper aliquid incisiuum, modicè tamen adhibebis. Ergo lac acetosum valdè prodest extrinsecus, vbi febris intro non admittit. Item neque adstrictiua adeò sint, vt flammam occludant, sed jecoris substantiam seruent. *Animaduersio.*

8 Erunt ergo fomenta, & olea, & cataplasmata, & emplastra ex lini seminibus, fœnugræc. hordei farina; cotoneis, meliloto, absinth. iunco odorato, ros. purp. plantagine, anetho, chamæm. endiuia, glycyrrhiz. mulsa; & similibus. *Fomenta, vnctiones, emplastra.*

9 Cum suppurationis signa apparent, acuti dolores, pulsus, anxietates, febres, deliria, fastidium cibi. Adhibe quæ suppurationem maturant, vt dictum est de pleuritide, intus, & extra. Deinde remittente dolore prius, succedit postea ruptionis noua afflictio: tunc adhibe acria, & quæ rupturam faciunt. Qua perfecta subsequuntur abstersiua, incarnatiua, & consolidatiua. *Signa suppurationis sex, & cura. Signum ruptionis, & cura.*

10 Valent ad jecur solidandum jecora animalium, præsertim lacte nutritorum altilium: probatur & hircinum. Item jecoraria, & punica, & cotonea cocta, &c. Extrinsecus emplastrum ex mastice, myrrha, rosis, vino veteri, &c. *Consolidationis cura.*

De iecoris obstructione, & cura.

ARTIC. II.

Obstructio iecoris quæ, eiusque effectus.

1 QVanquam & substantia iecoris possit obstrui, vt tota sanguine, spirituve implantato non priuetur: tamen propriè obstructio eius dicitur, cum portæ venæ occluduntur, vt in ipsius simam partem chylus non, aut modicè penetret; vel partis gibbæ orificia, ne per corpus sanguis distribuatur rectè, aut quantum opus est.

Causa.

2 Causam horum malorum assignant duplicem, vel flatum crassum difficile attenuari valentem; vel crassos, viscososque fluores: vel vtrumque simul. Prior causa signatur per dolorem dextri hypochondrij acutum, & simul tensionem, & grauitatem: posterior per dolores obtusos, & grauitatem absque tensione. Adest febris cum multiplex, aut diuturna obstructio. Ibi enim pugnat spiritus per se, contra obstruentes causas: hic etiam putrefactione lacessitus. Omnis enim obstructio diutina putrefactionem, & inflammationem adducere solet. Vrina erit tenuis, crudaque: facies pallida: pulsus paruus: corpus calidius.

Signa.

Cautela.

3 Cauebimus futuras obstructiones cibi frugalitate, & substantia concoctu facili, non viscosa crassaque; & exercitio moderato, vt dictum est in Ethicis. Curabimus ergo cibo tenui, incisiuo, aperitiuo, vappáque generosa, non flatuosa, calidáque per artem: vel vino veteri præpotenti calidissima aqua diluto, multáque. Vitabimus frigidum potum, cibumque omnino. Vigilia ex parte confert, moderatúmque exercitium; aër tenuis calidus.

Cura.

4 Prosunt asparagi, cappares, anisum, fœniculum, origanum, apium: raphanus, flos iunci odorati, spica nardi, marrub. & similia in flatulenta obstructione. In corpulenta adde absinthium, hyssopum, quinque radices, oxymel, eupatorium, santala, semina melonis, pistacia. & alia eiusmodi applicanda intus, & extra secundum artem. Fiunt enim ex iis & syrupi, & fomenta, & emplastra, & cerata, &c.

5 Laudatur autem præ cæteris iecur lupi aridum in puluerem tritum, vinóque potum: valetque etiam in cibum, vt & iecora laboriosorum animalium. Præterea, succus fumariæ in pastillos actus: aut decoctum tribus datum vicibus, soluit obstructionem, & dolorem omnem, vt alij probauerunt. Eandem virtutem dant

dant anagallidis ſucco, & radicis decocto, & ſemini petroſelini.

6 Hæc ſi minus profecerint purgatione vtere, craſſis humoribus & flatibus educendis apta, & prout humores peccantes diſcreueris: laudant aloë in decocto ſarzæ parillæ, hieram, agar. rhabar. manna, ad primas tantum vias expurgandas. Vtere vel clyſteribus prædictarum ſpecierum. Sectio venæ, ſi vires adſint, etiam confert. Maxime autem ſi plethora, præſertim ſolius ſanguinis infarcti faciat impedimentum. *Purgatio.*

7 Cichorij, & endiuiæ decoctio frequentata, & ſerum caprinum præcauent morbum, & factum tollunt, & ſanguinem purificant.

De iecoris ſcirrho, & cura.

ARTIC. III.

1 SCirrhum eſſe tumorem hepatis durum, aliquando toto ſenſu carentem, aliquando ex parte tantum, manifeſtat dextri hypochondrij tactus durus abſque dolore, vel cum modico; eiuſque differentiam à tumore hypochondrii, figura, & tenſio, & ſenſus ſupra declarauit. Adſunt præterea in ſcirrho, color corporis flaueſcens, fuſcus; partes corporis tepeſcunt, ſuperne gracileſcunt, & inferne intumeſcunt: deiectiones tenues ſunt, multæque, & vrinæ a principio multæ. Et cum perfectus eſt ſcirrhus, in hydropem labitur ita, vt vix vnus euadat. Pereunt autem longum poſt tempus. *Quid ſcirrhus. Quid tumor.*

2 Opinantur Medici cauſam ſcirrhi eſſe frigidam: tum quia in aquam inter cutem degenerat: tum quia caret ſenſu: & cum omnia dura fiant ex repletione nimia, aut concretione, aut exſiccatione, vel horum coniugatione: concludunt ſcirrhos fieri ex frigidi humoris impletione, ſimul congelati ac concreti vehementi frigore: quo etiam inſenſiles fiunt. Deinde volunt vel exſiccata pituita, vel atra bile intumeſcere, vel ex vtriſque. Ex prima naſcitur in corpore color albidior: ex ſecunda nigrior, ex miſtis miſtus. *Cauſa ex Medicorum dogmate.*

3 Sed profecto non ſatis rectè loquuntur: conſtat enim plerumque ſcirrhus ex præcedenti eryſipelate, & inflámatione ortū ducere: quę cauſam habent calorē, tenuesque humores, & ſanguinē impurum, vt & Medici docent. Calor autem aſſat humores hoſce *Correctio. 1. arg.*

 craſſio

crassioresque facit: proptereáque arbitrandum non frigus, sed calorem esse causam actiuam: materiam verò calidam & dissimilarem, quæ tenuium abscessu concrescat. Nec frigus congelans

2.arg. rectè Medicis affertur: nullus enim humor tam frigidus in calido iecore, qui est ventriculi fornax, & ignis; congregari queat, qui ipsum, humoresque infarctos indurare possit, nedum congelare: nisi & jecoris statim vitam perimat, & omnem in ventriculo co-

3.arg. ctionem tollat. Præterea aquam inter cutem opus esse caloris suo in loco probauimus, dictumque est non semel. Ergo calore in scirrhum congregato ad victoriam animæ vi, funditur chylus, non in sanguinem, sed in aquam, & aërem.

4.arg. Insensilitas autem non à frigore fit in scirrho confirmato, sed à spiritus abscessu. Cum enim jecoris caro induratur abeunte tenuitate, in qua viget sensus, stupiditas in illo remanet, sicuti in osse, cæterisque duris rebus, spiritu modico, vel nullo plenis. Præ-

5.arg. terea lapidescunt jecinora animalium senio: ipsique scirrhi lapillos ingenerant: hoc autem non fit, nisi caloris assantis vi; vt de calculo loquentes demonstrauimus.

6.arg. Præterea si vehemens frigus congelaret scirrhos, tunc vehementi calore soluerentur. Nunc autem contra se habet: calore enim indurescunt magis, quam frigore: sed blando, mollique mitescunt, quod proprium est induratarum à copioso calore rerum; quemadmodum in Physiologia probauimus.

7.arg. Præterea, & pituitæ, & atræ bili, quas materias faciunt scirrhorum, assamentum ipsi addunt, vt indurescant; ergo frigus vaniloquo syllogismo adducitur.

8.arg. 4 Immo neque defectum caloris pro frigore afferant: hydrops enim, in quem abeunt scirrhi, indicat calorem augeri, non deficere propter assationem. Et quamuis in rebus cæteris induratis ita accidat, haud tamen jecori: in quod totus confluit continuo spiritus morbi expellendi gratia ab ipso, quod nutritionis est officina, in quam vel ob indigentiam accurrunt.

9.arg. 5 Illud etiam vanum, quod pituita exsiccata sit scirrhi materies. Si enim pituita sanguis crudus est, accedente calore in sanguinem perfectum abit: & deinde in atram fæcem, quod ipsius subsidet. Si vero pituita sit alterius speciei, vt vitrea, & mucor, & albumen concretum, in jecore non congregabitur. Hæc enim in ventriculo, & cerebro fit. Igitur putandum albidius fieri corpus, cum calor minor est: nigrius, cum maior.

maior. Nos autem ſemper ſquallidos, flauè nigreſcentes vidimus,ſcirrhoſos hômines;flatúque, & aqua inter cutem aliquando ſubalbidos fieri, non autem ex materia ſcirrhi per corpus cum alimento ſparſa:ſi enim ſpargeretur, ſanabilis eſſet ſcirrhus. Neque in pituitæ, qua afficitur, naturam conuertat iecur nutrimeutum,ſed in ſuam rubram aſſatam. Ergo flatus in cutem aliquando alborem, velut intumeſcente in mari,oſtentabit.

6 Omnino igitur inſanabiles ſcirrhi ſunt imperitis, quoniam calidiſſimis curantur pharmacis, dum à frigore concreſcere autumant:propterea viam medicamentorum veram ab ipſis etiam, contra ſuum dogma,Medicis decantatam tentabimus. *Cur Medici ſcirr. non curant.*

7 Medicamenta ergo, & eſculenta ſcirrhoſis conueniunt humida, & penetrantia, blandóque prædita calore, vt calor poſſit emollire iecur, non autem quam ingenerat,educere tenuitatem. Acuitas etiam ad penetrandum requiritur, vt craſſities iecoris inciſa rareſcat, ac conceptus proinde exhalet calor; humiditas ad emolliendum;miſta enim duritici, quam acumine, & calore penetrat, diſponit trahitque ipſum ad mollitiem: calórque igneus, arénſque apertis poris elabitur, & iecur ſuam ad temperiem blandam redit, vt cum de reiuueneſcentia loquebamur, manifeſtauimus. *Cura propria.*

8 Vinum primò non bibat ſcirrhoſus, præſertim rubrum, ſed lac modico albo vino permiſtum; & decoctum cichorij, vel endiuiæ. *Potus.*

Cibus autem ſit caro iuuenculorum agnorum, hœdorum, porcellorum, anſerum, cum iuſculis, vbi cichorea, aut endiuia coquantur;addatúrque modicum aceti ad penetrandum.Omnia etiam,quæ edit,etiam panis, condiantur butyro,quod facilè permeat, & mollificat ſuo calore blando. Dabimus & lac; melius autem ſi incipit aceſcere. Vitabimus atrabilioſos cibos & craſſos: ſimiliter acutos, humiditatis expertes. Non enim laudo fœniculum,pulegium,origanum, hyſſopum, & quæ Medici approbant,niſi valdè modica ſint, & in brodio macerata multo vel in lacte,vt penetrent, non autem calefaciant exſiccatiuo calore. Placent cappares, intuba, aſparagi. Super omnia autem pineæ, piſtacia,dulces amygdalę,ouorum recentium vitelli,& iecora altilium lacte nutritorum, vt gallorum indorum, & porcellorum, & gallinarum. Abſint piper, & ſal, & allia cruda, & cæpæ, & cinaræ: niſi coctiſſima. *Cibus.*

9 Extrinsecus verò fomenta, emplastra, cataplasmata admouebimus, non ex calidis exsiccantibus, sed penetrantibus, emollientibus, vt medullis cerui, vituli, adipe anseris, gallinæ. Potes absinthij portiunculas addere: & salicis, & aceti.

10 Vtuntur moderni sarzæ parillæ, vel chinæ decocto in syrupis, & modico exercitio, & non inept. . Pharmacum esto manna, & cassia. Sed vbi morbus inualuerit, antimonium præparatum: potens enim est emollire iecur.

11 Si vero calculosum factum sit, quæ calculos frangunt, educúntque adhibebis; de quibus cum de renum morbis . rit sermo. Veruntamen etsi calculus non innotescat, valent quæ ipsum frangunt: propemodum enim lapidescit scirrhus omnis. Memento tamen, vt his saxifragis rebus, addas lac, butyrum & emollientia alia, vt supra. Prodest etiam stillicidium exterius, de quo alias verba facimus, & acetosum lac.

De intemperie hepatica, & cachexia.

ARTIC. IV.

Quid hepaticus. 1 EX præfatis iecoris morbis subsequi solet hydrops & hectica, aucto per obstructionem, & inflammationem calore, humidum radicale, ac solidum mox liquante. At etiam absque præfatis passionibus ex sola intemperie idem accidit; cui morbo Medici non indidere nomen: sed hepatici vocantur, quicunque intemperie iecoris, ac proinde imbecillitate laborant citra tumorem hypochondrij, sed cum dolore.

Vnde noscitur. 2 Cognoscitur autem læsio iecoris huiusmodi ex colore pallido & macie, item excrementorum specie sanguinea quasi aqua, in qua lota fuerit mactata caro Quando enim sanguis sincerus excernitur: non iecoris temperies peccat, sed obstructio impediens spargi à iecore per corpus sanguinem, vel aliqua pars per iecur sese in intestina expurgans, vt dictum est nu. er.

3 Ergo in hepaticis virtus sanguifica patitur, quæ tamen non est ablata, nec viciata, sed diminuta, imbecilláque reddita, vt Medici aiunt. Imbecillitatis autem causam dicunt vel calorem esse, vel frigus.

Quæ accidunt hepatico calido ex Medic. 4 Cum calida adest intemperies, indeque imbecillitas hepatis, colliquatio primò humorum fit: deinde carnis ipsius hepatis: & per ventrem euacuatur bilis crassa, fœtida, multum colorata:

assan

assantur exinde humores: adest inappetentia, sitis vehemens, febrisque, vomitus prauorum, interdúmque æruginosorum; flauæ vrinæ, oris amaritudo, calor vrens in plantis pedum, & volis manuum, pulsus celer. Sequitur hinc tabes totius. Indicabit ætas, & anni tempus, & temperies ægri, & mores, an calida sit affectio.

In frigida verò vrina albescit: excrementa sunt pituitosa, neque assidua, neque multa, neque graueolentia, vti in calida; absque siti, sed non sine cibi appetentia æger reperitur, & sanguis excretus est quasi limus, non grumus, neque bilis, neque assatio nigra. Solet subsequi aqua inter cutem, durante intemperie frigida. Dicunt vtrique accidere siccitatem interdum; quod paucitas, & siccitas excrementorum indicat. Interdum humiditatem, quod liquiditas eorundem, & sitis defectus prodit. *Quæ frigido.*

5 Hoc in morbo non satis rectè Medici philosophati videntur. Intemperies enim frigida non in limum atrum sanguinem vertit, sed non coquit, & semicrudum relinquit. Item neque aquam generat inter cutim, quam non nisi calor multus probabitur efficere. Hanc quoque intemperiem sequitur cachexia, quæ ex liquefaciente calore nascitur, ergo ex plurimo. Calida quoque intemperies non facit colliquationem introrsum, sed per transpirationem extrorsum, neque fœtores, cum eius sit attenuare. Attenuata autem non grauant spiritum, nec proinde graueolent; quod proprium est indigestorum excrementorum, & colliquatorum viscerum. Igitur ex præfatis signis probantur. Præterea neque intemperiei causas reddunt, vti oportebat. Siquidem ex se ipsis fieri calor, & frigus propter naturam non possunt: ergo ex vitiato sanguine, quia fel, aut lien, aut renes, non trahunt ad se excrementa, aut viæ obstructæ sunt, aut ex cibis percalidis, & ebrietatibus accumulato sanguine impuro, aut non transeunte chylo per obstructam portam iecoris, temperies proprio calore consumitur. *Correctio.*

6 Igitur dicendum videtur, quod quoniam iecur propria temperie sanguinea chylum vertit in sanguinem: ac simul in excrementa eas partes, quæ in sanguinem probum vertibiles non sunt: hoc autem facit tenuitatem educendo, & partes puras incrassando in lubricositatem rubram, calidiores, ac densiores assando: tenuiores in spumas vertendo; aliásque crassiusculas in cinerem, aliásque molliusculas in serum, cum talis temperies *Vera ratio accidentium nimius calor in calido.*

immu

immutata fuerit caloris vi retenti aliqua de causa, nec potentis exhalare cum tenuitate: tunc fiet aptius ad conuertendum chylum totum pænè in serum sanguineum, eo quod sanguinem ipsum colliquat, nedum incrassat: partes enim tenues non elabentes aliqua ex obstructione, disponunt reliquas ad aquositatem, & liquefactionem: proptereáque instar loturæ carnis excrementa eliciuntur: & cum calor increuerit, assantur sanguineæ particulæ. Ergo non rectè putant Medici imbecillitatem iecoris efficere loturam cruentam, sed robur caloris, quod manifestat deinde colliquatio humorum, & substantiæ iecoris, quæ potiùs nutrit, quam nutriatur, vt sæpè docuimus. Proptereáque hanc intemperiem sequitur hectica, & sitis, & febris, & inappetentia. Et profectò si absque vitio, & absque obstructione fieret, quemadmodum Medici opinantur, sola frigidorum applicatio curaret hunc morbum. Indicat etiam graueolentia hanc temperiem esse hecticam, nec transpirationem posse calorem moliri.

In vocato frigido idem calor est causa per quam nimius.

7 Illa verò intemperies, quam frigidam dicunt Medici, non nisi calorem eundem, at fortiorem indicat: propterea enim non fœtent excrementa, quia attenuantur, & transpirant. Adest à principio appetitus ex voracitate, quoniam iecur non nutrit, sed nutritur plusquam oportet vi caloris. Deest sitis, quoniam repleri cupit corpus nimio calore inanescens magis, quam molliri. Præterea albescunt excrementa ex retento calore in intestinis, & sanguis est fæculentus, & limosus qui egreditur, quoniam nimio calore assatur, & assatus mox liquescit: partibus tenuibus regredientibus in ipsum, sequitur aqua intercus, quoniam in aquam, non in sanguinem calor validus concentratus conuertit alimentum. Igitur hecticus calor iecoris est illa intemperies, quam Medici dicunt calidam, & eius finis est hectica totius corporis. Hydropicus calor iecoris, est illa intemperies eiusdem, quam Medici vocant frigidam, idcircóque ad ipsam totius corporis sequitur hydrops, & primo quidem cachexia.

Nota.

Quid cachexia.

8 Est autem cachexia malus habitus corporis hydropisque principium, nempe aquosus, laxúsque ex sanguificationis defectu proueniens: proptereáque albicanti pallore, & virore afficiens cutim: vnde affectiones iecoris subsequi solet: hoc est, scirrhum, obstructiones, intemperies. Item profusiones sanguinis immodicas, hæmorrhoidum, menstruorumve: & mesentericas, & cœliacas. Itémque retentiones earundem excretionum, vt Medici

dici testantur. Vnde palam fit, calorem exhalationis defectu in subiectum sanguinem plus iusto grassari, cum excrementa impediunt, aut abeuntibus humoribus, in solido accendi, & sic sanguificationem serosam efficere.

9 Signa huiusmodi sunt color liuidus, vel subuiridis, albicans, crura languida, respiratio debilis, & rara, inflatio faciei, & partium externarum. *Signa.*

10 Imbecillitatem igitur hepatis ex intemperie calida hectica ortam curabimus, sicut hecticum habitum, cum etiam toti corpori communicatur: atque etiam balneis dulcibus, tepidis, aperientibus exhalanti calori poros, & simul humiditatem conciliantibus sui ipsorum ingressu vsque ad hepar. Propterea etiam laudamus cataplasmata, & emplastra ex rebus emollientibus, conciliantibus mollitiem, & extrahentibus ad se caliditatem, non secus ac imposita aqua aheno bullienti super ignem: cuius fundum etsi à calore ambustum, tamen frigidum sentitur: quoniam calor à sicco ære libenter in aquam sibi similiorem adsumitur. Si ergo althæa, malua, fœnugræc. farina, & hordei decocta, acetosóque lacte mista adhibeantur hypochondrio dextro, facile emendabunt eius duritiem, & calorem immodicum ad se allicient. Valent & anserulorum, & pullorum gallinaceorum iuscula, in quib. cichorium, endiuia, borrago, & res huiusmodi aperitiuæ, & refrigerantes, incoctæ sint: limones & omphacium, cæteráque acida modicè, imponantur ad penetrandum, & incidendum, non autem immodicè, ne etiam exsiccent. Res mellitæ nocent, omniáque adstrictiua, nisi cum aceto ad abstergendum misceantur. Prosunt pisces saxatiles, melones, præcipuè aquatici, punica. Conficiuntur etiam medicamina intus, & extra ex diarrhod. Ab. diatrionsant. vuis passis, semine endiuiæ, rosſ. purp. iunc. odorat. absinth. palmul. coton. lactuc. & similibus. Cibi etiam validi offerendi, quoniam flaccidi in sanguinem aqueum vertuntur caloris vi, vt carnes præfatis cum rebus coctæ. *Curatio hepaticorum.*

11 Respicies autem semper ad caloris eductionem, ad partis mollificationem, & simul adstrictionem, seu consolidationem, ne in fluores liquescat hecticos. Quibus respectibus arrident tepida, mollia, aperitiua, & simul consolidatiua, vt præcipuè est vua passa, & succus cichorij in mulsa.

12 Si autem fluor quispiam obstruens, aut vitians iecur, in causa accensionis fuerit: illud simul purgabis secundum artem frigi-

da autem, & calida, valdè cauebis.

13 Vinum non dabis, nisi, stomacho exigente, dilutum aqua multa potius autem menthæ decoctum, aut succum punicorum: aut aquam hordei, vel cichorij, vel endiuiæ. Puto tamen vinum lacte mistum prodesse.

Cura Medicorũ in hepatico frigido. 14 In iecoris frigida Medicis vocata intemperie, nobis verò hydropica; vtuntur illi calidis medicamentis, vt brassica, serpillo, hyssopo, satureia, fœniculo, sampsuco, oreoselino, & carnibus gallinarum, phasianorum, perdicum, & condimentis caryophyl. cynamom. & vino odorifero intus, & extra. Addunt olea calida absinth. nard. cynamom. eupat. &c. Vitant in vtraque intemperie pistacia, pineas, amygdalas, eo quod sint oleosa, accendibilia. Castaneas dant, & ventriculos anserum nullos assatos, non autem pisces, & res frigidas.

Correctio. 15 Nobis autem videntur non satis rationabiliter ista tribui, tanquam calida addentia calorem, sed tanquam aperientia poros, educentiaque calorem. Ea enim intemperies nimij caloris est index, qui si prorsus exhalauerit, assationem relinquit, aut frigus, hoc est sui carentiam, quæ mortem accersit.

Cura propria. Dabis ergo tenuia vt penetrent; sed simul crassa, ne nimio calore in fluores aqueos conuertantur: vtque in chylo amplificatus calor, à iecoris substantia, vel ex parte abscedat. Præterea si pistacia, & pineæ adeo nocent in calida intemperie, iuuabunt in frigida: quid est ergo quod in vtraque ab aliis Medicis prohibentur, ab aliis vero in frigida conceduntur? Item castaneæ, & crassæ res à peritioribus adduntur: quæ frigidæ temperiei prorsus obessent.

16 Totus ergo scopus esto, calorem calore minuere, & extrahere, & imbecillitatem corroboratiuis simul erigere, ex parte humectantibus, ex parte adstringentibus, ex parte spiritus multos procreantibus, & ex parte temperiem restituentibus. Hæc autem cum de hydrope erit sermo, melius declarabuntur.

Cura cachexia. 17 Cachexia etiam, quæ ad hydropem via est. si eius humiditatem, qua perfunditur corpus, spectes, vt Medici faciunt, exsiccatiua remedia quærit. Sed quoniam iecur est in causa, calore nimio fundens cibum in aquas, caloris correctioni vacandum. Et si quidem illius augmentatio ex retentione prauorum humorum: vel hæmorrhoidum, vel menstruorum, in quibus incendantur opus habẽt, acciderit: tunc quæ ista profligent adhibebimus.

Si vero obstructio, aut scirrhus, aut inflammatio sunt in causa, eis per sua remedia, suis dicta locis, occursabimus. Si verò per nimias euacuationes fiet, cuius causam Medici non intelligunt: cur enim, & nimia euacuatio mariscarum, & nimia suppressio, eandem causent ægritudinem, nunquam dixere. In nostro autem dogmate clarum est. Cum enim abierit humor, in quo calor operabatur, & expandebatur: tunc in iecore abstersò retinetur, ibique augetur, non secus, atque in olla feruenti, ex qua aqua, in quam calor agebat, & amplificabatur, egressa fuerit. Vnde sequitur ollæ combustio, & exsiccatio radicalis viscositatis, & ruptio, fractióque. Quod si calor ille in angustis inclusus esset concauitatibus, etiam liquefaceret ollam, vt in vitraria fornace. Sic calor in iecore augetur, & ipsum colliquat in fluores potius, quàm in sanguinem vertat.

18 Propterea intentio Medicorum ad huius diminutionem in robore, & augmentationem in copia, tendere debet. Ipsi autem contrarium omninò procurant. Quapropter ad hydropem descendamus, licet, vt ex illo, etiam huius cura clarescat.

19 Quomodo autem iecur lupi manducatum, aut in puluere epotum, & cochleæ tres in puluerem actæ, epotæque per magicam vim emendent iecoris intemperies omnes, dictum est prius. Add. iecora altilium, & herbas iecorarias, & quæ iouialia sunt secundum artem.

De hydrope, eiúsque cura.

ARTIC. V.

1 CVm triplex sit hydrops Medicorum consensu: videlicet tympanites eorum, quibus intumescens venter, verberatus instar tympani sonitum edit. Alter ascites; quibus instar vtris aqua pleni tactu percipitur, & reclinatione in latera facta, veluti fluctus aquæ intra peritonæum, & intestina fieri sentitur. Tertius anasarca dictus, in quo totum corpus mollescit, laxatur, & aquositatis plenum agnoscitur. Quæritur causa harum passionum proxima quænam sit; efficiens nimirum & formalis, & locus existentiæ, ex effectibus, & signis.

Triplex hydrops. Signa tympanit. Signa ascite. Signa propria anasarca.

2 Commune est in quolibet hydrope, tumor corporis, præcipuè ventris inferioris, grauitas, vitiatus color, ex virore albicans, cibi fastidium, potus appetentia nimia, febris, & crurum intumescentia. Quæ autem propria sunt cuique, dictum est.

Communia signa hydropicorum omnium.

Sanguificationem eiusque organum lædi in quolibet hydrop.

3 Conuenit nobis cum Medicis in omni hydrope læsam esse sanguificationem, ergo & iecur, siue per se, siue per consensum: ex hoc enim fit, vt cibus, qui in sanguinem redigendus erat, in aquam, ac vaporem crassum conuertatur.

Vnde scitur organum per se læsum esse.

Vnde per participationem.

4 Tunc per se affici iecur agnoscimus, cum signa scirrhi, vel obstructionis, vel inflammationis eius, in præcedentibus notata articulis, apparuerint. Item si tussiant ægri absque excretione, & deiectiones paucæ sint, aridæque. Per participationem, & redundantiam, si alij morbi præcesserint: etenim solet hydrops lienis morbos subsequi, & immodicas euacuationes siue per aluum, siue per menstrua, siue per hæmorrhoides. Item retentiones menstruorum, & hæmorrhoidum. Item longas febres, & inflammationes. Item dysenteriam, & cœliacas passiones. Item affectus pulmonis, & diaphragmatis, & icteritiam. Item podagram, & ischiadem. Ex his enim contingit sanguificationem vitiari, & impediri.

Medicorum sententia frigus esse causam viciatæ sanguificationis, in communi, & speciatim.

5 At in ratione deprauatæ sanguificationis est nobis cum Medicis controuersia. Ipsi enim asserunt cum Aëtio, & Galeno, *lib. 5. & 6 de locis affectis*, iecoris infrigidationem, quæ cum maxima est, fit anasarca: communicatur enim venis, & toti corpori frigiditas, & ideo nutrimentum in aquam vertitur, aquosúmque fit, non sanguineus fluor, nutritioni aptus. Cum minor; fit ascites in iecore solo, non potente chylum in sanguinem perficere, sed aquosum dimittere: cuius aqua in ventrem inferiorem secernitur. Cum autem nimia est frigiditas, fit tympanias. Siquidem aqua in flatum aliquo calore vertitur. Alij addunt, quod tympanias sequitur imperfectam ventriculi coctionem, ascites iecoris, anasarca venarum. Disputant etiam quisnam periculosior. Celso enim anasarca, Aëtio tympanites, Auicennæ ascites, vbi sitis maior, hepárque affectum magis, pulsus imbecillior, & syncopes periculum, &c. Purgari volunt in anasarca pituitam: in ascite aquam; in tympanite flatum.

Obiectio.

Nobis vero obiicientibus hydropem ex acutis febribus ortum; respondent, frigiditatem priuatiuè saltem in iecinore fieri.

Respons. Medicorum.

Prognosticũ Medicorum.

6 Circa euentum, curationem promittunt à principio saltem: non autem vbi morbus inueterascit. Anasarcam alui fluxionibus spontaneis solui ex Hippoc. dicunt. Itidem si aqua è venis in ventrem fluxerit. Item hydropem ex acuto morbo mortiferum, nec febrem soluere, nec dolorem.

7 Omnes

7 Omnes hydropes ergo calefactiuis curari volunt in aëre calido,& ſicco,& lecto duriuſculo,ſubſtratis origano, vitice, pulegio,calamento,& ſimilibus;nam & tecti arena calida,& frumento ſæpè ſanantur. Deambulationes & exercitia addunt,& ſudatoria medicata,& ſitim,& vigiliam ex parte; cibum coctu diſtributuque facilem,& duriuſculum panem,& carnes volatilium,& quadrupedum non pinguium,& ferarum magis,cum condimentis aromaticis, & herbis extenuantibus,vt fœniculo,aniſo, origano,eruca,braſſica,pulegio,rapa,paſtinaca,porro:dant piſces, cancros,locuſtas. Vitant legumina, & bellaria, dant tamen paſſulas, punica, pyra cocta. Aquam negant, vinum concedunt magis ex abſinthio,ſpica nardi,apio :ita tamen, vt nunquam potu ſaturentur,nec ex parte. Reſpiciunt in cunctis calefacientia, & exſiccantia. *Medicorum curatio omnis hydrop. per calefacientia.*

8 Speciatim vero anaſarcam venæ ſectione à principio curant, vt multus ſanguis frigidus imbecillitatem jecoris,& caloris natiui non extinguat. Deinde pharmacum purgans ex rheo,agar. & hiera,miniſtrant;facta præparatione per ſyrupos extenuantes,incidentes, ac meatus aperientes: ſingulis ſeptimanis aluum mouent,præcipue cort.med.radicis ſambuci, vino decocta: & ſem. ebuli.Corroborant jecur diarrhod.diacurc.dialac.theriaca, roſaceo aromate.Addunt cataplaſmata ex deſiccantibus, & emplaſtra,& vnguenta.Palam ſunt farina hordei,fœnigræc.lauri baccæ, origani,abſinth.rad. ebul.ſtercus bubulum reſiccatū cum oxym. & ſulph. caſeus recens, ſterc. columb. lil. euph. alum. thus, ſal &c.Et tandem crura ſupra malleolos ſcarificant, vt exeat aquoſitas;& occludunt,prout & quando oportet. *Cura anaſarcæ ſpeciatim.*

9 In aſcite verò venæ ſectionem cauent, præparant humores ſyrupo de cortic.citri,melle roſ.aut oxym.Purgant agar.trochiſc. rhabarb.vigorato,hiera ſimplici in pilulas actis. Vtuntur potione ex cortic.citri,myrob.ſambuc.aliiſque extenuantibus.Commendant ſoldanellam, in cibo, & potu: quam alij improbant; ſed ex foliis chamelææ in aceto albo 24. horas maceratis, vbi cidonia prius decocta fuerint;deinde exſiccatis,& contuſis,& cum hiera picra, & ſucco radicis iridis,in paſtillos actis, exque agar.trochiſ. rhabarb.& myrob.cheb.trochiſc. conficiunt vtiliſſima catapotia, probatiſſimaque contra aſcitem. Vtuntur etiam cientibus vrinam, & clyſteribus acribus, & topicis remediis extrinſecus exſiccantibus iam dictis; & tandem contumacem humorem, cute *Cura aſcitis ex Medic.*

punctionibus perforata, educunt, non tamen confertim totum, quia periculum ex Galeno, & Hippoc.

Cura tympanit. ex Medic.

10 In tympanite præparant, & purgant iisdem rebus humores, quos mistos flatui exploratum habent. Addunt attenuantia vaporem, videlicet fœnicul. cumin. anis. pulegium, calament. & huiusmodi in cibo: & clysteribus, & suppositoriis, quæ ex melle, agaric. hiera. Præterea cucurbitulas ad flatum educendum, & cataplasmata ex attenuantibus & exsiccantibus.

Correctio; quod nullus hydrops fit à frigore, sed omnis à nimio calore. Ex ratione productionis hydrop. Et probatur. 1.

11 Nos autem habemus persuasum omninò, nullum hydropem frigefactione fieri, sed caloris reuerberati vehementia. Cum enim calor transpirare non valet, quas educit tenuitates, miscentur crassitiei, in quam agit chylosæ sanguineæque: ipsamque in fluorem disponunt: non secus ac in terræ visceribus detentus calor, & exhalans tenuitas, ambustam terram in fluorem salsum parant, conuertúntque: id quod in aperto loco non facerent, sed tantummodo assarent. Si autem calor imbecillus, neque intus coopertus, neque foris apertus posset in fluores aqueos crassum chylum conuertere, sed in crudum sanguinem, quem phlegma vocant, vel in lubricam crassamque substantiam; si exhalare nequit; non autem in liquorem, & vaporem, quales in ascite, & tympanite. Præterea idem docet salsedo aquæ intercutis, & vlcera, quæ intestinis, & peritonæo ab ea fiunt in dissectionibus comperta, quæ non nisi ab erodente salsedine, & acredine, fieri possunt: hæ autem passiones sunt à vehementi inditæ calore. Siquidem debilis calor fluores dulces, & quasi petrificos crassósque producit, vt in Phys. probatum est. Præterea sitis vehemens, & inexplebilis nullam frigoris opem, sed robusti caloris in venis, & iecore, declarat. Præterea ipsi Medici sæpius experti ab inflammatione, & febribus magnis ortum hydropem, manifeste cæcutiunt, dum frigiditati eum attribuunt. Hoc argumento victi, respondent priuationem caloris pro frigore accipi tunc; eam autem flammæ abscessu fieri contendunt.

2 Ex salsedine. — *3. Ex siti.* — *4. Ex his quæ præcedunt.* — *Responsio Medic. ad 4.*

Confutatio.

Non ineptè quidem, si solummodo sensum frigoris inquireremus. Cum autem quærimus actionem, qua chylus in aquam, & vaporem vertitur: hanc autem frigoris non esse, cuius nimirum ingenium est congelare, & incrassare chylus; non autem in fluorem tenuiorem chylo, & in vaporem conuertere, præsertim salsum; palam est in Philosophia, & experimentis; neque caloris debilitati, eius enim est subiectã materiam in similarem crassitiem,

albamque,

albamque, dulcémque agere, cum non possit eam attenuare, suáque tenuitate, & albore spoliare, sicuti docuimus agentes de marmorum, & petrificorum succorum, & salium generatione.

Nunc autem videmus crassum chylum in salsum humorem & fumum verti: quod non nisi caloris, & bene magni opus esse, cum de maris, & aquarum origine disseruimus, inferebamus. Cum autem doceut in quibusdam corporis humidis tumefactionibus; permanente appetitu, sitim deesse; morbum illum hydropem non esse putandum erat, sed vesicæ, & renum imbecillitatem: qui serosum è venis humorem non trahunt, aut obstructionem viæ ad renes. Idcircoque ex venis exudare, & carnes madefacere; vnde spuria etiam cachexia nascitur, falsaque anasarca: quæ perfecta est cachexia. Accidit etiam obstructis meatibus mesenterij ad jecur, non nisi aqueam partem chyli transmitti, sicque spurium incipere hydropem, & aucto calore verum, vel potius hecticum, vel inflammationem. Præterea manifestè à morbo conualescentibus calido crura intumescunt, assatiuo calore partem cibi in fluorem vertente, donec humidior fiat jecoris temperies. Nisi quis dicat exsiccatã obstructamque pellem vapores transpirantes non emittere, sed in fluorem cogere falsumque hydropem. Præterea manifesta est hinc differentia caloris hectici, & hydropici: ille enim in solido habituatur ad solidi liquefactionem, vt in putrefactionibus accidit, laxante calore molis suæ texturam. Hic verò in iecore tantum est vehemens, agénsque magis, quam oportet, ac robustius; ac proinde vertens in id, quod sanguinis excedit temperiem. Tandem palam est, quod aqua inter cutem & exinanitione, & retentione euacuandorum fit, quorum vtrumque calorem debilitare, vel frigus conciliare contrariis actibus non potest. Sed si retentio menstruorum frigefacit, eiectio calefacit: In nostro autem dogmate statim liquet, quomodo calor humoribus prauis non eductis in ipsos augetur occlusione, & irritatione, bonisque etiam cum prauis eductis in visceribus exsiccatis clausus, nec diffundi cum vapore valens, totus excandescit, & in chylum aliter agit atque prius, robustius videlicet; etsi non copiosius. Et ipse hydrops ex euacuatione promptior est ad hecticam, quam qui ex repletione, ob dictam causam. Depascitur enim exsiccatum solidum jecoris, & consequenter in corpus diffunditur totum.

Occurrit obiectioni.

Confirmatio dogmatu.

Differentia caloris hectici, & hydropici.

6. Ratio ex generationis termino.

7. Ex euentibus.

Quapropter

Cau. a hydrop.

12 Quapropter arbitramur omnia mala ingentem calorem contra se excitantia, qualia sunt morbi lienis, iecoris, intestinorum, pulmonis, & inflammationes, & febres, & quartanas, posse hydropem procreare; maximè autem jecinoris: cætera. n. proue jecori accensionem communicant. Verum quæ euacuationes faciunt grandes, & multas; potius hecticam; quæ vero retentiones, obstructiones, & repletiones; potius hydropicam passionem, vt modo referebamus.

Euacuatio immodica hecticam, obstructio hydropic. generat.

13 Sanandus ergo hydrops aliis ortus causis & membris, per illarum causarum, & membrorum curationem, suis in locis singillatim declaratam. Quæ vero ex jecoris primaria intemperie, propriáque, per jecoris correctionem.

Non est curandum calidis, sed frigidis, potius autem humidis.

14 Iecur autem calefactiuis non emendatur, nisi per accidens, educendo foras caloris vehementiam: ad quod cichorium, fœniculum, & alia iam dicta, & cataplasmata & acetosa humida, parumque calida ad se flammas euocantia, non secus atque aqua bullientis aheni ignem ex aheni fundo ad se inuitat.

Correctio.

15 Frigida actu omnino vitabimus, ne calorem concentremus.

Ratio cura Medicorum.

16 Medicorum cura, qua flatum dissoluere, & aquam educere satagunt, respicit effectum, non causam; ergo iners & insufficiens. Calor ergo, temperiésque iecoris corrigenda, nec deserenda cura flatus, & aquæ, sed illa prius. Quod si quando arena calida, & insolationes sanauerunt hydropicos, absque medicamento alio iecur corrigente, vt aiunt; hydrops ille spurius fuit, & vt paulo ante diximus, non legitimus.

An prosint medicam. purgantia.

17 Medicamenta purgantia nullatenus prosunt aquæ intercuti, vt volunt; nisi etiam velint non frigefactione, sed humore calorem accendente hydropem fieri. Vnde miror, quomodo hiera, agarico, & rheo vtantur in frigefactione sola iecoris: nisi & nobiscum obstructiones, & irritationes alias concedant in hydrope.

An, & ubi vena sectio.

18 Præterea neque venæ sectio prodest, nisi praui humores calorem accenderint; friuola enim ratio est, quod sanguis frigidus extinguat calorem, nisi educatur. Non enim sanguis à calore modico genitus suum genitorem vincit, vt nec flammula à modico calore suum generantem calorem. At si à fortiori calore genitus fuerit, calorem imbecillum iuuabit, non extinguet. Nec à frigore

sanguis

ſanguis gigni poteſt. Valet ergo venæ ſectio, vbi hydrops ex retentione menſtruorum, & hæmorrhoidum, & ex inflammationibus ortum ducit; in euacuationibus immodicis nequaquam.

19 Proſunt autem hydropicis cibi duriuſculi, ne vehementia caloris in aquam vertantur, ſicuti fluidi, herbacei, ventoſique. Prodeſt ſitis, quoniam potus facile alit aquam inter cutem. Propterea que in potu darem non vinum, niſi ſaltem ſtillas quaſdam ad emendationem aquæ; ſed aquas arte craſſas, in quibus decoctæ ſunt farinaceæ lacteæque res. Prodeſt decoctum hordei in aceto, quoniam penetrat ad caloris eductionem, & iecur ſolidat. Sed ſerum caprinum cum modico vino, & decoctum cichorii, & brodia conſummata cum lacte, potus hydropicorum ſunt vtiliores. Cibus autem carnes ſilueſtres pingues, non aridæ, in lacte decoctæ, vel ſero. Hoc tandem experti ſumus, cum Medicorum pudore, & ægrotorum commodo; Vinum lacte miſtum, & carnes coctas ſero, & pepones, & pulpoſas res frigidiuſculas reſtituiſſe ſalutem: quam ipſi pipere & calidis potibus cibiſque peſſunderant.

Cur cibi craſſa ſubſtantia proſunt hydrop. tenuis, nocent.

Potus qui.

De icteritia flaua, eiuſque cura.

ARTIC. VI.

1 CVm de prognoſticis ſermocinabamur, diximus icteritiam criticam fieri, cum aliqua vaſa bilis malitia laborantia ipſam in cutim emittunt: in qua nimirum, neque vrinæ croceæ valdè, neque iecoris morbus aderat, eamque iudicio naturæ commiſimus. Quam tamen frictionibus, dulcibuſque balneis, modiciſque ſudoribus ad expulſionem Medicus iuuare poterat.

De ictero critico.

2 Nunc de icteritia morboſa dicendum venit: in qua vrinæ croceo colore pannum valde tingunt, & albeſcit virore corpus, & oculi albumen flaueſcit: pruritus in corpore, & pigritia ad motum, & repletio venarum ſub lingua.

Symptomata icteri morboſi.

3 Hanc autem oriri contingit vel ex venenatorum morſu, quod ſeipſum indicat, & febris vacuitas; vel ex calida iecoris intemperie ſanguinem in bilem vertente, quod feruor in hypochondrio dextro citra grauitatem ſignificat. Vel ex imperfecta iecoris inflammatione, ſanguinem in bilem mutante, & hoc

Ex ſex cauſis oritur icterus, & illarũ ſigna.

ex febre, & deiectionibus biliosis, & hypochondrij grauitate cognosces. Vel ex obstructione meatus fellis bilem suscipientis, & emittentis; & hoc grauitas hypochondrij citra febrem, albáque excrementa ostendunt. Vel ex infirmitate facultatis attrahentis bilem ex iecore, & expellentis eam ad intestina: & tunc alba erunt excrementa citra grauitatem hypochondrij; vrinæ vero biliosissimæ. Signa autem icteritiæ nigrę suo in loco ponemus. Contingit etiam vesicam felleam angustiorem esse, & præ nimia bile disrumpi, vel alio ex accidente: & tunc biliosi vomitus incessanter adsunt, & tandem mors, præter cætera signa.

Prognosis. 4 Prognosticum de icteritia critica suo in loco dedimus: de symptomatica aiunt, quod sicut post febrem prodest: ita ante febrem nocet, ob causas ibi dictas.

Præterea quandocunque venerit, si dextrum hypochondrium obduruerit, malum: pessimum autem si bilis vomitus non cessat: indicat enim cystis fellis ruptionem, aut inuictam obstructionem.

Cura. 5 Igitur si à veneno ortum ducat, ea, quæ venenum educunt pharmaca adhibenda. Si vero à iecoris inflammatione, vel intemperie, vel obstructione, vel scirrho, ea iuuabunt quæ contra has passiones nuper scripsimus.

6 Cum verò ab obstructione ves. fellis, tunc purgatione, & venæ sectione vtendum: prius tamen iis quæ in via sunt expurgatis, ne sanguinis missio in iecur ea accersat. Non enim sola bilis pertenuis videtur obstructioni suffecisse. Quæ bilem purgant, nota sunt.

Victus. 7 Cibus esto humidus, facilisque coctionis, laxæ substantiæ, & extenuatiuus, calidus parum actu, sed natura frigidus ex parte: vt auiculæ montanæ, pisces saxatiles, olera jecoris amica, & asparagus, &c.

8 Applicabis & hypochondrio humida aperitiua, &c. Adde clysteres bilem purgantes, & acres.

Remedia ex magia naturali. 9 Omnes plantæ, quarum flores, aut cortex bilem repræsentāt, bilem educunt, aut extinguunt magicè, vt aloë, rheúmque, raphan. centaur. melopepo, colocynth. citria, aurantia, absinth. tithymal. ricinus, thapsia, &c. Item decoctum pedis gallinæ crocei, vel aliarum talium auium croceo pennatarum. Galgulus auis sola intuitu icterici, ad se icterum trahit, sanat intuentem, ipsaque moritur. Idem efficit charadrius auis, & parus. Præterea lacerta

viridis

viridis in sacculo clausa ligatáque super ictericum, donec ipsa moriatur, contrahatque morbum sympathia. Præterea pallidę res bilem pallidam, rubræ rubram purgant: præsertim vbi alia adsunt indicia, vt in lib. 5. Applicentur etiam in cataplas. & emplast. exterius, quæ confortant fel, & tollunt obstructionem, elementaliter, vel magicè.

Crocus, triticum, ebur in vino propinatur quotidie mane contra icterum fæliciter.

De morbis viscerum deseruientium appetitiui principij mistis actionibus, & primo de lienis affectibus.

CAPVT XVII.

1 IN iecore secundo nutritionis organo, concoquitur conuertiturque chylus in sanguinem; cuius coctionis fæces in lienem, spuma in fel, cinis in renes, serum in vesicam vrinariam, secernuntur ad excretionem & alios vsus, in Physiologia descriptos. Quæ sequestrationes quando non fiunt, aut plus quam decet, aut minus rectè fiunt, multorum morborum sunt causæ; quorum alios in lienis, & fellis examine iam scripsimus, alios nunc scribere oportet: & primò quidem lienis, in quem fæces nigræ secernuntur, & sanguis eius sequestratione purificatus, fit floridus plerumque. Propterea spiritus lucidos creat, hilaresque; dilatationi, diffusionique sui aptissimos: proptereaque lien risus causa putatur, quasi remouens nigrores, qui risum impediunt. Non ergo assentiendum vulgo sedem risus in ipsa ponenti, quemadmodum ex penultimo Physiologiæ capitulo compertum est. Lienis autem morbi sunt icterus niger, inflammatio, obstructio, scirrhus, debilitas, cæteraque mala, quæ consimiliter iecori euenire docuimus, quorum nunc singillatim sermonem attexere oportet.

De ratione coctionis chyli, & vsu, & vitio.

Vsus lienis.

Cur risus sedes putatur.

Morbi lienis qui.

De icteritia nigra.

ARTIC. I.

1 POst communes notas omnis icteritiæ in præcedenti articulo enarratas, hæ adduntur icteritiæ nigræ, quibus à flaua secernitur: videlicet ater color totius corporis, tristitia spon-

Signa nigri icteri octo.

tanea, difficultas ſpirandi, auerſatio ciborum, vrinæ nigræ, mordicatio ventris, reſiccatio alui, & ſtercora calcanthi colore inſignita.

Cauſa ſignorum. 2 Cauſa horum eſt fæx ſanguinis non ſequeſtrata, quæ ſimul per corpus cum ſanguine transfuſa, exundanſque ſuo nigrore cutem inficit, & vrinas: quo peracto officio, ſegregatur in veſicam: ſpiritum ideóque fuliginoſum ex ſanguine oriri tunc eſt opus, timidum, triſtemque, illa nigredine territum, affectumque. Difficultas ſpirandi non ex lienis vi fit, qui parum vitalia, etiam ſi excreſcat, tangit; ſed ex fuliginum volatu, quæ ad ſui expulſionem ſpiritum diſtrahunt, mouendíque pulmonis munus intermittere faciunt, vnde ſuſpiria, & ſpirandi difficultas videntur accidere. Mordacitas inteſtinorum non adeo eſt ex bile flaua, ſicuti ex atra: fuligo enim, & aſſata bilis pungentior, & amarior, vt & oculi à fumo experiuntur. Similiter color vrinarum, & ſtercorum ex horum mixtura. Item alui exſiccatio ex maiori aſſatione, & aſſatorum miſtione innoteſcunt.

Quadruplex cauſa effuſionis bilis cauſa icteri. 3 Cauſa autem diffuſionis huiuſmodi bilis eſt, vel abundantia ipſius, quam vel cibi præcedentes atrabilioſi cumularunt, ex ipſiſque indicium ſumes; vel iecoris calida intemperies, & inflammatio, quæ ſanguinem aſſat, totumque atrum fuliginoſumque facit. Idque dignoſces ex eo, quòd lien bene ſe habet. Morborum autem iecoris nuper enarrata ſigna adſunt. Vel cauſa eſt lienis ſcirrhus, aut inflammatio, de quibus poſtea rationem notaſque afferemus. Aut eiuſdem intemperies calida, ſuperaſſans bilem, attrahenſque plus nutrimenti quam decet, quod in bilem verſum vomit, afficitque corpus. Signum eius eſt ſiniſtri hypochondrii feruor, & frigidorum applicatione melioratio: vel frigida intemperies, quam calida iuuabunt.

Non poteſt atra bilis generatio, nec effuſio aſſignari niſi per accidens. 4 At quidem Medici in hoc probe falluntur, dum eandem effuſionē atræ bilis, vel generationem calori, & frigori adſcribunt, quæ quidem propria eſt aſſantis caloris: frigus enim potius in pituitam, & alborem verti faceret. Verum id exiſtimandum, quod imbecillitas ex frigore ſeu caloris defectu in liene propterea eſt icteritiæ nigræ cauſa, quod non poteſt nutriri atrabili, ac proinde eam non attrahit, potius autem euomit, cauſaque eſt vt totum corpus ipſa coloretur. Eſt tandem obſtructio cauſa, ne bilis atra in lienem trāſeat, proptereaque cum ſanguine

per

per corpus effundatur, quod distentio lienis, grauitas, & dolor indicabunt, cæteráque signa suo dicenda loco.

5 Cum exuberantia atræ bilis est in causa, si à cibis ortum ducit: contrariis cibis, potibúsque curabis, qui nimirum floridum, hilarem, dulcem sanguinem gignunt. Præparatósque humores per syrupos atram respicientes bilem, purgabis pharmacis eiusdem ordinis, de quibus in lib. 5. & in sermone de furore, & epilepsia sæpè locuti sumus. *Cura icteri ex abundantia atræ bilis.*

6 Cum verò iecoris caliditas nimia est in causa, refrigerabis iecur, & bilem extrahes pharmacis eisdem, & clysteribus, & cibis, &c. In vtrisque venæ sectio copiosè celebranda, nisi quid impediat. *Ex inflammatione.*

7 Si scirrhus, aut inflammatio lienis causa mali fuerit, eorum curatio in sequenti articulo suggeretur. *Ex scirrho.*

8 Si obstructio lienis, eodem modo curabitur, quo & iecoris obstructio: pharmacis tamen validioribus ad incidendum, attenuandum, & aperiendum. Memento semper aceti, & corticis radicum capparum, & scolopendrij: quale enim absinthium iecori, & eupatorium: talis capparis lieni, & scolopendria, ex Galeno. *Ex obstruct.*

9 Calida intemperies cum in causa fuerit, curabis vt inflammationem, vt suo in loco, & vt in iecoris inflammat. insinuatum, &c. *Cura icteri ex calida intemperie.*

10 Cum peccat intemperies frigida, seu imbecillitas; tunc purgabis melancholiam ex arte præparatam aquis melissæ, lupul. fumar. de pom. scolopendr. per diacathol. diasen. confect. hamech, cassiam, myrobal. ind. & alia &c. sicut nosti. Lienem vero confortabis cataplasmatibus, emplastris eiusdem generis. Victus erit ex pane albissimo, vinóque generoso, brassica, satureia, hyssopo, serpillo coctis in brodio anseris, phasiani, columbæ domesticæ, sturni, perdicis, & lætorum animalium. Impone caryophyl. cynam. & similia. Præterea fœnic. absinth. maioran. menth. aneth. amygdal. amar. vuam passam, myrrham, coton. & huiusmodi applicabis extrinsecus cum vino generoso. *Ex frigida.*

11 Habemus etiam ex Magia, quæ icteritiæ nigræ occurrunt, lienémque iuuant: remedia ex leone, hyæna, simia, ceruo, merula, turdo, coruo, lepore; stibio, sapphyro, hyacintho, lap. lazul. myrobal. nigris, & beton. cæterísque saturninis, & autumnalibus rebus, fauente Saturno in bono Iouis, Venerísque aspectu.

De lienis inflammatione, & cura.

ARTIC. II.

Signa inflammationis lienis. 1 LIenis inflammationem deprehendemus ex dolore sinistri hypochondrij,feruore,tumore, distentione, duritie, vt & in epate;& grauitate.

Causa. 2 Causa est lienosus sanguis mistus bili : neque enim optimus in eum influit;nec si influit,inflammat morbosa inflammatione, nisi etiam bilis tenuis adsit vitiata.

Periculum. 3 Si segniter curabitur, multa afferet mala, præsertim scirrhum,& hydropem,vbi & iecori communicatur. *Cura.* Victus ergo sit qualis in iecoris inflammatione, tenuis, frigidus non actu, sed substantia. Potus aqua hordei,vel aquosum vinum austerum.

4 Ministrato clystere leni, fiat sinistræ venæ lienaris sectio larga, si cætera non multum dissentiant: est enim præsentaneum cunctis inflammationibus remedium : nisi tamen è nare sinistra hæmorrhagia exuberans sponte splenem liberauerit. Deinde præparatos humores ex decoctionibus fumariæ, borraginis, melissæ,lupul. oxymelite, &c. purgabis cassia, manna, senna,epith. secundum artem.

5 Mox cataplasmata, emplastra, vnguenta extenuantia, atque humectantia,ne per siccantia induretur in scirrhum, adhibebis; nec frigida actu,ne per antiperistasim idem fiat. Consonent omnia dictis in iecoris inflammatione, & cum attenuantibus,& refrigerantibus, & calorem per modicam relaxationem educentibus. Addantur adstringentia,videlicet vinum,acetum,cappares, mora, &c. Farinæ etiam fœnugræc. hordei, & huiusmodi, lacti acetoso tepidiusculo immisceantur.

6 Si autem suppurationis etiam signa apparuerint,iuuabis suppurationem,& ruptionem,& tandem abstersionem,iuxta pridem dicta in iecoris, & pleuræ inflammat.

De lienis scirrho, & cura.

ARTIC. III.

Signa. 1 SCirrhum lienis indicant durus tumor in hypochondrio sinistro,oris fœtor,gingiuarum erosio, vlcera in cruribus insanabilia,non sanato scirrho;squallor cutis.

Causa. 2 Causam scirrhi efficientem esse calorem assantem, prout in

iecoris

iecoris scirrho contra Medicos, adducentes frigus, demonstrauimus, vnde ex inflammatione, & erysipelate solet oriri. Materiam verò fæcem sanguinis assatam, & viscosas simul sequestrationes. Quod magis eueniet, si venæ, per quas in ventriculum, aut infernè splen expurgatur, obstructæ fuerint: & quidquid confluit a iecore in ipsum, intumescat, indurescátque.

3 Accidit quandoque sic obstructo tumor, & spurius scirrhus ex crassis flatibus coaceruatis; qui tactui non pertinaciter resistit, sed cedit. Adest punctio, tensióque lienis absque pondere; duritie, quasi vtris.

4 Primi generis scirrhum curabimus eisdem, victu, potu, & pharmaco, quibus epatis scirrhum, videlicet, emollitiuis subtepidis, incisiuis, & attenuantibus paulatim. Dulcia & glutinosa vitabimus: acida, & tenuia amplectemur: capparis, myricæ, & scolopendriæ, & passularum non obliuiscemur. Butyro, & adipe blandísque penetratiuis vtemur intus, & extra: carnes non vitabimus, ne nimius calor res laxæ substantiæ in aquam intercutem vertat. Purgantia medicamenta, semper bilem atram, & caloris superfluitatem respiciant. Cura.

5 Scirrhum ex flatu, rebus contra flatulentiam expellemus; vt fœnic. origano, maiorana, pulegio, & huiusmodi: de quibus sæpè. Addemus olea calida, aceto mista; attenuantia, non autem exsiccantia.

Ex Magia.

RHombus viuus lieni impositus, deinde mari submersus lienosos sanat. Item aqua tamaricis. Item aqua in qua carbones myricæ fuerint extincti. Item puluis gallæ cum aceto potus; aut flos chamædrios, cum aceto. Item teucrij, siue asplenij flos mirificè sanat. Item betonica, tragoriganum, vrtica, hyssopus, pulegium, lupinus, &c. Item lapis lazuli, & animalia saturnina, de quibus supra.

De renum affectionibus.

CAPVT XVIII.

POst lienem expurgationi proximè deseruiunt renes, qui cineres ad se trahunt, serúmque eos deferens, vbi, peracta distributione nutrimenti, sequestrandum venit.

Peccant:

Renum morbi sex. Peccant ergo renes, vel cum non trahunt serum, vel cineres, vnde fit cachexia spuria, & vulnera serpentia: vel cum nimis trahunt, & fit diabetes: vel patiuntur inflammationem; de quibus singillatim dicere nunc est opus.

De diabete, eiúsque cura.

ARTIC. I.

Descriptio. 1 Reputant diabetem renum passionem esse, vel consequi, quatenus per eos totum serum, omnisque potus, subitò transit: nam & diabetes transitus interpretatur: Hoc autem est potissimum signum, quod potus sicuti bibitur, ita mingitur subito, nihil immutatus, in quo proportionatur lienteriæ. Præterea sitis ingens, & inexplebilis: quoniam & venæ, & iecur humore statim priuata, statim, sempérque sitiunt: in quo caninæ appetentiæ est analoga. *Gal. 6. de loc affect. cap. 3. Proportionatur lienteriæ.*

Proportionatur caninæ appetentiæ. 2 Item ardor, & exustio viscerum, animi anxietas, & dubietas, & tandem mors. Si vero vrina retinetur intumescunt lumbi, testes, & coxæ: venter superior corrugatur, & venæ in eo eleuantur, sequitur habitus gracilis, & macies, & tandem totius corporis tabes.

Prima causa ex Gal. cit. loc, & lib. de crit. lib ca. 12. 3 Causas Medici inconstanter pronunciant. In hoc tamen plurimi conueniunt, quod attractrix renum facultas ob calorem sit validissima ad attrahendum vndique humores ad se: retentrix, & alteratrix imbecillæ. Ideóque statim in vesicam attractos exonerant humores. Verum hæc responsio petitio principij est: idem enim quæritur, cur trahunt, & non retinent. Medicus vero respondet, quia attrahere, & non retinere valeant.

Secunda causa ex Paul. Aegin. l 3. cap. 14. & Alex. lib. 9. cap. 8. 4 Alij assignant causam immodicam renum caliditatem, cuius ratione ex venis omnem ad se trahunt humorem, quem postea retinere immodicum non valent: non enim vesica attrahit, sed à renibus recipit, sicut intestina à ventriculo. Neque est in culpa ventriculus, & intestina: excernerent enim per aluum, si hanc humorum ipsi facerent abundantiam: neque iecur, quod per mesaraicas probe attrahit chylum ex potu, cibóque confectum, non autem ex imbecillitate canalium, per quos fit attractio, & eductio; ergo renes sunt in causa nimio vsti calore; propterea que humorum sitientes: vnde in toto corpore exsiccatio, sitisque sequitur.

Verum

Verum enim vero hæc ratio inualida est: siquidem si renum calor in causa tantæ attractionis, subitæque, ac incessantis, esset, profectò cum inflammantur, idem magisque facerent, quod tamen non euenit: propterea ratio est insufficiens. Esto enim quod valeat pro vesica, ventriculo, & intestinis: pro iecore tamen valet nihil; non enim renum caliditas, ac iecur potum licet ebiberit, auferre iecori potum valebit, quin ipso ad sui vsum, & sanguinis confectionem, & distributionem vtatur: sicuti neque iecoris sitis statim quicquid in ventriculo est absorbet: quod tamen meliori iure ob vicinitatem, & robur maius, & ius conficiendi ex eo sanguinem toti vtilem corpori, verius facere posset. Quapropter facilius causa iecoris transmissioni, quã renum attractioni tribuenda venit; siquidem ex hoc aqua intercus, non ex illis. *Censuratio.*

4 Propterea alij acres, salsósque humores in renibus præsupponunt, vt illorum stimulo renes ad tantopere attrahendum stimulentur, vti Aëtio videtur; qui sane rectius quid dixit. Neque enim intestinorum calor, visque, est nobis sufficiens ad cibos crudos emittendos incessanter, nisi vlcus, & stimulus prauorum humorum ad subitam excretionem concitaret: neque ventriculus valdè sitiret, & esuriret, nisi aridorum, & salsorum morsu, vt ipsum amoliretur, repleri aliis alimentis cogeretur optare. Ipsa quoque medicamenta contra huiusmodi prauitates in vsu Medicorum idem confirmant. Sed mirum quo pacto acres humores in renibus id faciant, quod calculus, & arenula, & aliæ vlcerantes, & peius irritantes res minimè efficiunt. Quod si eos ponunt etiam in venis, tunc mirum quod venæ humiditatem contra acredinem, illis vtilem, in renes tam subitò mittant. *Causa alia ex Aëtio lib. 11. cap. 1.* *Dubitatio contra.*

5 Alij adducunt in causa frigus totius corporis, & renum vehemens, quod aquositatem tantam parit: & tamen iidem calorem, & biliosos humores præfecerunt. Deinde facti inconstantiores adducunt duplicem causam, videlicet calorem colliquantem renes, & corpus; ac frigus conuellens osculum vesicæ claudentem musculum. Quod etiam vertebrarum luxationi, & resolutioni, & tumorum copiæ tribuunt, non secus ac frigori. Verum iste modus diuinandi, est scientia nulla, neque recta opinio. Siquidem morbus vesicæ quicunque alius est ab eo, qui totum corpus in ipsam humoribus euacuat. Nec quia ipsa non potest retinere, aut quia attrahit, propterea corpus exhaurietur, vt cum de morbis vesicæ redibit sermo, docebimus. *Alia causa secum pugnans.* *Confutatio.*

Præterea friuolum est tribuere frigori renum attractionem, cum eius potius sit constipare, viasque occludere, ne transeat fluor vllus: frigiditas etiam corporis frigus non faciet, neque serum, nec potum celeriter in renes producet: potius autem retinebit ne transeat. Attestantur etiam morbi frigidi, in quibus potius excrementa ipsa retinentur, quam nutrimentalia excernantur.

Inquisitio. 6 Quoniam hic morbus grauissimus rarissimus est, nec experimentum feci, nec Medici illius causas prorsus conclusisse videntur: coniectura tantum asserimus non solam renum caliditatem, aut acrimoniam ab humoribus sufficere: frigiditatem vero prorsus abolendam putamus ob dictas causas. Propterea, opinantes & iecur, & venas, nedum renes calore & acrimonia vexari, ac proinde humidum appetere alimentum, cum quo etiam antipathiam sortiti sunt: vnde nec probè sanguini assato miscetur humor, nec desideratus in probatione detinetur: hinc fit, vt quale assumitur etiam transmittatur. Consideraui etiam quod aqua non longè à porta Populi Romæ dissita, *acetosa* vulgo vocata, epota multum; statim mingitur, & euacuatur, & hæc acris est, & nitrosa: propterea putandum quod aciditate irritat vasa ad sui excretionem. Ergo palam est acrimoniam vasorum omnium, & appetere lympham, & bibitam transmittere, quando nitro corporis assato afficitur. Adde fibrarum debilitatem. Propterea intentio medicamentorum esto vasorum refrigeratio, acrium, & acutorum obtusio, & alimenti humidi cum solido conglutinatio.

Intentio Medici circa diabetem.

7 Igitur à principio vena videtur aperienda saltem, vt calor exhalet, & expurgantibus vtendum, vt qui in via sunt humores acres emittantur, nisi morbus inueteratus sit: tunc enim prosternerentur vires, ac iterum renes stimularentur ad attrahendum.

8 Pharmaca sunto potius cibi, quam medicinæ: indigent enim agglutinantibus, refrigerantibúsque, & nutrientibus, qualia sunt vinum nigrum, subdulce, multa aqua, aut lacte dilutum: succus punicorum, mulsa cum lacte, vel lac cum vino largiter exhibita. Similiter decoctum myrtillorum, pyrorum, cotoneorum, sorbitiunculæ ex succo ptisanæ, similaginis, alica, & huiusmodi.

9 In cibum valent carnes porcinæ cum modico sale: oua sorbilia, far, caseus recens, lactuca, endiuia, portulaca, pyra, cotonea, pisces saxatiles, pedes & rostra pecorum, leporum, capreolorum, hœdorum, castratorum, lac absque sero, castaneæ. Vitabis omnia attenuantia, & calefacientia.

10 Proſunt balnea dulcia, vnguenta circa renes refrigerantia & adſtringentia ex oleo roſaceo, myrtino, cotoneorum, papaueris, nymphęæ cum modico aceto, &c. Addantur & cataplaſmata, & vnguenta ex eiſdem, & plantagine, & cichorea, lactuca, portulaca, pampinis vitis, vmbilico veneris, farina hordei & balauſtiis, hyoſcyamo, ſolano, ſantalis, & huiuſmodi, applicanda renibus, iecori, & pectini.

Purgatio non eſt adhibenda, niſi omnino manifeſtum ſit humores acres redundare, quos præparabis ſyrup. roſ. myrt. nymphææ, viol. borragine, &c. Purgabis autem manna, caſſia, thamar. myrobal. infuſione roſ. diacath. &c.

Laudant quidam ſudatorium corporis, excepto capite, ex prædictis rebus paratum, vel naturale dulce, quod Balneolum apud Puteolos appellatur. Hoc autem fit, vt diſcat humor à renum via aliò diuertere.

De renum inflammatione.

Artic. II.

1 Communis eſt renum affectionibus dolor ipſorum grauis, qui circa primam vertebram ſupra ſpurias coſtas ſentitur, & ſi crudelior fuerit cauſa, vſque ad epar, & pecten extenditur, & veſicam, & pudendum, & lumbos, & vtrinque, ſi vterque ren patitur, vel parte ex altera. Immo & crus alterum, vel vtrumque obſtupeſcere ſolet. Hoc autem ex prauorum humorum in renes confluxu accidit, ex quibus obſtructiones, vlcerationes, lapilli, inflammationes, oriri ſolent. *Symptoma commune omnibus renũ morbis.*

2 Propriè autem inflammationem indicant ardor, febricula, mentis alienatio, dolor grauis; qui creſcente phlegmone fit pulſatilis: vomitio bilis, mingendi difficultas, & ſtandi, & ambulandi appetentia; frigiditas extremitatũ, vrina à principio tenuis, tranſpicua abſque ſedimento, quoniam non purgantur renes; deinde rufa, craſſa, mucoſa, creſcente feruore. Accedit nauſea, morſus ſtomachi, angor animi, ructus, & inflatio ventris. Solẽt etiam ſuppurationis ſigna poſtmodum apparere, & abſceſſus, & rupturæ: quam pus in vrina manifeſtat, carnoſum, & non male olens ita, vt pus viſcoſum ex veſicæ paſſione naſci ſolet. *Symptomata 14. propria renũ inflam.* *Signa ſuppur. abſceſ. & rupt.*

3 Cauſæ inflammationis ſolent præter ſanguinem bilioſum, acrémque præcedere plagæ, attritiones, equitationes vehementes *Cauſæ ſeptem.*

& labores: quæ flectunt corpus, aut renes quatiunt, vt in sella equestri. Faciunt idem pharmaca corrosiua, & vinum generosum purum, quod & in cineres renes vertere vidimus in dissecto viro vinoso post mortem hoc ex affectu consecutam. Cibi etiam cinerem multum facientes, & ad vitream substantiam declinantes in causa esse solent, & balnea calida aluminosa.

Distinctio & notio inflam. 4 Verum enim vero duplex solet fieri inflammatio renum, altera rarissima, cuius symptomata crudelissima nunc recitauimus: altera mitior, quæ omnem repletionem subsequi solet, præsertim in iis, qui aliquando renes doluerunt, & qui 35. annum transegerunt: statim enim lumbi grauantur, quacunque sorditie in renes confluente: sicut & fœminis menstruationis tempore; magis autem in nocte, quam ambulantes: dissoluit enim humores ambulatio, & deorsúm pellit: nam & cum probe minxerint, aut aluum purgauerint, statim exonerantur dolore graui, lumborúmque obtusione.

5 Horum medicina est parum vesperi edere, minúsque bibere: à frigidis omnino abstinere crudisque cibis, & potibus. Vtendum vino albo tenui, temperatóque; cibis facilis coctionis, & tenuis substantiæ, præsertim in cœna, in prandio enim plura licent. Bibere autem ex arte calidum, prodest maximè. Expurgantia renes iuscula prosunt valdè, & lacticinia absque sale, vel modico. Fuge cæpas, allia, piper, carduos crudos: cocti enim valdè prosunt; vt & amygdalæ, pistacia, asparagi, cichorium, pepones, & huiusmodi. Acetū, sal, piper, acidáque vlcerant; sed si modicum & insensile quid eorum accipiatur in brodiis aliarum rerum, confert ad penetrandum renes, expurgandúmque. Fuge pisces, præsertim salsos, quicunque renibus doles, & cætera iam dicta. Prosunt abstersiua citra erosionem. Erodentia nocent at replentia magis.

6 Vera autem inflammationis renum medela sit victus tenuis substantiæ, & subfrigidus natura: actu verò tepidus, qualem in cæteris descripsimus inflammationibus. Quies percipiatur in mollissimo lecto, non autem plumaceo: & in aëre temperato ad frigidum declinante. Diuertes sanguinem secando brachij venam parcè: purgabis verò aperiendo venam malleoli largiusculè. Pharmacis vrinam cientibus aluúmque purgantibus, non vteris, ne inflāmatio irritata crescat, & dolor. Proderunt clysteres lenitiui, & attráctiui frequētes, ne fæces grauēt, aut concalefaciāt

renes,

renes, super quos ægernec cubet, sed lateraliter. Adhibeantur emplastra, cataplasmata, & vnguenta mollientia, & allicientia calorem foras, & parum refrigerantia: ne calor coquens causas inflammationis extinguatur, aut abeat Conueniunt ergo ex rosaceis, cotoneis, chamomil. faba, lini, & fœnugræc. seminibus; lacte hordeaceo, &c. violis, &c.

7 Si suppurationis signa aderunt, ipsam adiuuabis, & deinde ruptionem, cum prædicta signa in istius signa transeant. Tandem purgatiuis vrinæ & alui, ad abstergendum pus: & tandem consolidatiuis vtendum.

8 Quod si excitati humores itidem purgatione indigebunt, cassia, & manna, & lenitiuis id præstabis, & cæteris secundum artem; de quibus sæpe. Cætera facies, prout causæ præcedentes morbum requirunt.

De cruenta vrina, & morbis ipsam afficientibus.

ARTIC. III.

1 PLures sunt morbosæ causæ vrinam cruentantes: aliquando renum imbecillitas, quod cognoscitur vbi serum sanguineum quasi lotura carnis excernitur: renes enim attrahunt serum, vnaque sanguinem cineritium, ex quo nutriantur: si ergo nutriri non possunt, transire sinunt vnà cum sero. Aliquando verò adeò aperiuntur orificia venæ, & arteriæ magnarum, per quas percolatur serum in renes, vt simul sanguis effluat; & tunc crassior est sanguinea pars in vrina, & dolor nullus in renibus. Aliquando verò per circuitum solet expurgatio sanguinis fieri per renes, non secus atque solet per hæmorrhoïdas, quod indicat mista excretio sanguinea, & regressio, & leuamen, consequi solens: & intermissio exercitiorum. Aliquando verò fit ruptura venarum in renibus, & sic sanguis multus excernitur, atque purus, non periodicus, & simul. Aliquando tamen propter erosionem salsorum & acrium humorum, & cinerum crassiusculorum, accidit idem morbus; & tunc dolor acer, & corrosiuus, & sanguinis excretio paulatim fit, donec crescat.

Causæ & notiones.

1.

2.

3.

4.

2 Præterea vlcerati renes siue erosione præfata, siue ex suppuratione, inflammatione, siue importuna & vehementiore lapilli affricatione, sanguinem emittunt aut purulentum, & saniosum, aut carunculis conspersam vrinam: aut lapillosam. In omnibus ta- Signa.

men vlceribus præcedit grauitas in lumbis dolorifica, & vrina excernitur absque impedimento illo, quod solet vlcera vesicæ concomitari.

Cura.

3 In omnibus prædictis morbis abstinebis ab his, quæ mouent vrinam, & à coitu: cibus autem erit qualis qui in sputo sanguinis descriptus est. Potus similiter. Adde decoctum symphyti, & sanguinariæ, ex tragacanthæ infusione. Solent dari syrupi myrt. rosi. exusti cornu ceruini puluere, & bolo armeno inditis, vel cum oxysaccharo datis. Vtuntur & succino, & terra lemnia ad stringendum ruptiones, renésque confortandos.

4 Quibus extrinsecus adiiciuntur cataplasmata, vnguenta, emplastra, &c. adstringentia, qualia ex rubo, myrto, quercu, granato, &c. & farinis, vt alibi dictum est.

5 Quemadmodum periculum hecticæ imminet his, qui plurimum sanguinis emittunt hac via decursu temporis: ita etiam quibus supprimitur hæmorrhagia nephritica, periculum imminet hydropis. Quapropter curabimus, vt potius per sedem diuertatur excretio sanguinis, per ea quæ suis locis dicta sunt de his, quibus menstrua, & hæmorrhoides supprimuntur: si verò nimia fuerit profusio, cui hectica timetur, tunc & auersio procurabitur aliorsum, & adstrictio adhibebitur renibus per ea, quæ dicta sunt de sanguinem expuentibus.

6 Si autem renes exulcerati fuerint à calculo, curabuntur sicuti morbus calculi: cum verò à cæteris causis, consimiliter. Primò vetabitur equitatio, concitatio vehemens, vigilia, sitis, inedia, ira, sollicitudo, balneum calidum: piper, sal, acida, & omnia ea, quæ vim corrodendi, & stimulandi vlcera habent. Similiter & quæ adstringunt valdè, præsertim frigida: non enim permittunt vlcerum purgationem: foris tamen adhibita conferunt. Cibus erit ex carnibus hœdinis, anserinis, ptisana, amylo, semper tamen, vel magis cum lacte, aut brodio gallinaceo. Item malua, endiuia, portulaca, lactuca: omnia tamen cocta. Præterea pineæ nuces, amygdalæ, quarum lac etiam in potu prodest, sicut & caprinum, & vinum modicum lacte mistum.

7 Circa renes vtendum emplastris, vnguentis; vt supra.

8 Purgantibus non vtendum, nisi plethora, aut aliud, intimauerint. Acutos humores obtundes sero caprino, liquiritia, seminibus melonum, cucumeris, cucurbitæ, & cæteris iam dictis.

9 Mundatis vlceribus, quod pus in vrina subalbum, læue, & æquale,

æquale, non fæculentum indicabit, neque ea, quæ solebant, minguntur: tunc vtere terra lemnia, armenica, gummis & cæteris consolidatiuis; vt supra.

De renum calculo, eiusque cura.

ARTIC. IV.

1 Serum, cineres, & sanguinis particulas in renes mittit natura, vt ex illis nutriantur; & quod superfluit in vesicam excernatur. Cum ergo superfluus erit cinis, & aridior, in sal concrescit: sanguis cineri mistus, in tophum, si fæculentior fuerit. At propriè crassa, viscosaque illis mista materies lapidescit, aut intra meatus, aut in ipsa renum substantia, quemadmodum & in iecore senili lapidescente experimur. Causa autem actiua seu efficiens calor est igneus, vel naturalis, vel qui fit in balneis calidis aluminosis: vel qui accenditur ad expulsionem obstruentis crassitiei, & dum hoc tentat, assat. In omnem enim obstructionis locum calor inuehitur irritatúrque, & febrem topicam facit. *Descriptio generationis calculi.*

2 Qui ergo vult calculis non vexari, cibis vtatur tenuis, facilisque concoctu substantiæ, crassitiem nullam gignentibus, neque viscositatem. Caueat à cruditatibus: neque ante famem sumat cibum. Caueat à vinis fæculentis, mustis & nigris, & meracis, potentioribúsque. Item à vinis calce, sale, sorbis, alumine, cæterisque sordibus, quibus caupones vina falsificant adulterantve medicatis. Item à maxima renum calefactione, & laneis, & bombyceis culcitris circa renes. Aceto aliquando, & cæpis incidentibus viscositatem vtatur. Item asparagis, bruscis, lacte, sero, amygdalis, seminibus peponum, & cucurbitarum, & huiusmodi, aperientibus vrinarios meatus, & calorem mitigantibus, assuescat. *Cura præseruatiua.*

3 Agnoscitur calculus à renum dolore graui, præsertim à cibi assumptione multa: quæ tophum dum creatur etiam facit; lapillus potius, dum mouetur, & transit deorsum; & hic acutiorem facit dolorem, præsertim qui angulosus, & oblongæ figuræ, & vitreæ, salsæque substantiæ. Spina ægrè flectitur tum doloris communicatione, tum quia renes à flexione patiuntur magis: crura torpent, præsertim quod respondet patienti reni ob venarum communicationem. Aluus solet supprimi, dolore vicino vim expulsiuam frangente. Vrina à principio tenuis, quia colatur ob angustiorem transitum; deinde crassior,

crassior, ob vlceris saniem, aut excretionem nouarum fœditatum, & tandem arenulosa subsequitur. Solet etiam vomitus pituitosus fieri, quasi conante natura causam mali reddere, aut ventriculo renum affectus per peritonæum sentiente. Sequuntur tamen malo crescente, æruginosi vomitus, & febris, corrupto præ vigiliis, & vexationibus sanguine. Alba arenula ex pituita, & cinere fit: rufa ex sanguinis mistura, & renum vlcere: crocea ex vtriusque admistione.

4 Nisi succurratur à principio nimia caliditate aucta, & viscositatibus additis, adeo crescunt lapides, vt moueri à renibus nequeant, vel in vesicam delati obstruant meatus vrinarios, sæpeque violentam afferant mortem. Aliquando vigiliæ, & dolores continui vires deiiciunt, nutritionem impediunt, febres aduocant, & mortem. Facile quidem sanantur, qui ex accidenti caliditate renum, & ciborum sordibus calculosi fiunt renes: sola enim lumborum nudatione, & ciborum correctione suam redeunt in naturam. Similiter & quibus renum meatus angusti sunt; hacque sola de causa sordes feri retinentur, & lapidescunt. Acutis enim rebus, & penetrantibus intus; & lenientibus, & laxantibus intus, & extra, facilè sanantur. Quibus pueris superuenit renum calculus, cum adoleuerint validius, & lethaliter afficiuntur: non enim iis inest robustus calor, qui calculum gignit, sed copiosus; in vesica tamen pati calculum ex sui conditione habent: eo quod cruditates residentes in fundo matulæ, indurescentes concrescere solent; senes autem crudelius vexantur præ expulsiuæ imbecillitate, & caloris in robore augmento; vnde & ipsorum jecora lapidescunt.

Ex ætate.

Cura.

5 Curantes calculosum præcipiant exercitium mediocre, vt lapilli moueantur deorsum; caueant à nimio, & calorem robustiorem faciente, & exsiccante: non autem copiosum, & emolliente. Cruditates, satietates, cibos crassæ substantiæ, vinaque generosa, vetent: omniaque, vt supra, concedant. Acria salsaque vitent, & acida; quibus tamen interdum vtendum ad calculi ruptionem vnà cum lenientibus, qualis est cæpa cum lacte amygdalino, & aceti gutta cum brodio asparagorũ. Vappã generosam tenuẽ, vel vinum album aquosum dabis, vetus, purum à fæcibus & medicaminibus cauponum, nec adstrictiuum.

6 Secabis venam brachij, ad diuertendum sanguinem, ne per dolorem in renes accersatur: & in malleolo, vbi adiit plethora, aut

aut cacochymia, vomitu vtere, vt sursum pituita calculi materia excernatur, nec per aluum fæces deductæ renes premant. Quod si quid ista prohibuerit, non cessabis à clysteribus non validis, quales ex althæa, malua, parietaria, mercuriali, seminibus petroselini, fœnic. lini, cassia, melle rosſ. &c. hiera, oleis aneth. chamom. &c. nec diutius retinendi, ne renes vexent. Purgant etiam Medici peccantes humores, secundum artem, medicamine laxatiuo, non ineptè, vbi res postulat.

7 Atquidem maximè iuuant cataplasmata, fomenta, emplastra, & vnguenta, non quidem calida sicca, & assantia; sed laxæ substantiæ, quæ emolliant aperiántque meatus renum, mitigentque dolores; cuiusmodi fiunt ex lacte, althæa, malua, gramine, fœnugræc. butyro, adipe gallinaceo, anserino, medullis ossium, oleo amygdalarum, scorpionum & cham. Item origano, lupino, passulis, ficubus, furfuribus, aliisque id genus circa renes, pecten, vesicam, cum corporis motione, & agitatiunculis, donec lapis è renibus deturbetur; adde cucurbitulas ex lumbis ad inguina.

8 Deinde quæ vrinam cient prosunt, non antè. Huiusmodi sunt asparagus, bruscus, petroselinum, apium, cortex radicis capparis, semen dauci, fœnic. asarum, radix bryoniæ. Item ad renes deducunt hæc, & peucedanum, & radicula, vt in lib. 5.

9 Rumpunt autem lapidem saxifragia, adianthum, bdellium, betonica, ruscus, acetum scylliticum, cæpa cocta, crudaque, nisi vlceraret: radices graminis, plantago, cyperi ramices, vermes terreni cocti, lapilli spongiarum, & capitis piscis in puluerem acti, ob sympathiam; potius autem ob perforationem. Item lapis iudaicus, siccæ cicadæ, lithospermon, glycyrrhiza; semen melonum: lapis nephriticus, nuclei cerasorum, persicorum, iuniperorum: eryngium, gentiana, laurus, pimpinella, caprificus, parietaria, muscus lapideus, hyssopus, genista, scolopēdriū, petra balba, calcifraga, fungus lapideus exsiccatus in puluerem in destillata vrina potus: cortex interior ventris struthionis in puluerem actus: fimus columbæ, & turturis: lapilli in ventre columbi, & gallinacei, & cornicis, acti in puluerem, epotique. Item passer troglodytidis mirè probatur comestus quacunque ratione, ad tollendos perpetuo calculos: pellis leporis cocta in olla, & furno, incinerata, potáque in cochleari, &c.

Rumpentia calculum.

Cura lapidis in vesicam lapsi.

10 At cum lapis in vesicā descenderit, agitatione, & mollificatione exitui ipsum aptabis: qui si magnus extiterit, obturetque exitum vrinæ, stylo chirurgico ipsum intro ages, vt mingat æger, deinde saxifragis prędictis minue. Si in virgam delapsus exire nequierit, nec reuerti, & olea non proderunt & laxantia vnguenta, calidæque decoctiones: secabitur supernè pueris, ne moriatur æger, educaturque calculus; postmodum medicamina, & victus præseruantes adhibeantur.

Historia.

11 Equidem cum ex prauis cibis, & calore ab interula lanea, & vinis cauponatis arenulas ipse passus essem in renibus per tres annos, quibus educendis cæpa cocta, apio, raphano, & huiusmodi vtebar: tandem victus tenuitate, & vini tenuis adaquatione, & renum mundatione, integrè liberatus sum, vt nunquam calculum, posteaque per octo annos in me senserim.

12 Aqua stillata cæparum, & florum fabarum prodesse valdè probatur, frequenter vncia accepta ad educendum arenulas: sed nihil prodest fœdus, nisi bellum prædicta viuendi ratione prorsus sedaueris.

De vesicæ morbis.

Capvt XIX.

Quid prodest vrina vesicæ.

1 Excolatam renibus vrinam vesica excernendam excipit, nec puto absque sui emolumento, si attrahit; symbolum enim habet cum vrina, sicuti fel cum bile, ob quam in sui figura, & temperie seruetur; & aliquid forte in sui nutritionem, vel instaurationem, & robur acquiritur. Neruosæ enim res calidis, salsisque roborantur, cuiusmodi est vrina.

Octo morbi vesicæ.

2 Propterea patitur functionis gratia, calculum, aut ardorem, aut intempestiuam excretionem, aut difficultatem, aut suppressionem vrinæ; vel in sui substantia vlcerationem, aut ruptionem, aut inflammationem; de quibus singulatim.

De calculo vesicæ, eiusque cura.

Artic. I.

Generatio calculi in vesica ex quibus.

1 Calculus in vesicæ fundo generatur ex sedimento nimis crassæ crudæque vrinæ, sicuti in matulæ solet fundo: induratúrque liquore egrediente, & calore remanente; propterea pueris

pueris proprius, qui cruditatibus ex ciborum ingurgitatione intempestiuâ afficiuntur, calore blando non sequestratis valde: transeunt per renes ob ipsorum mollitiem, sed in vesica subsident, concrescúntque.

2 Agnoscitur calculus vesicæ ex cruditatibus præcedentibus, & colore calculi albo, non rubro, qualis in renibus. Item ex eo quod ad mingendum crebrò vrgentur, stillicidióque vrinæ afficiuntur: pudendum contrectant. *Signum.*

3 Curatio eadem sit cum calculo renum. Cauebunt ergo ab impuris aquis, lacte, & vino. Vtentur cibis extenuantibus & incidentibus ex parte. Applicabuntur ea, quæ rumpendo calculo apta superiori sermone enarrata sunt. *Cura.*

De ardore vrinæ.

ARTIC. II.

QVi ardore vrinæ infestantur citra calculum, biliosis & salsis humoribus abundant, aut saniosi seminis profluuio, pudendíque erectione inuoluntaria afficiuntur. *Causa ardoris vrinæ.*

Purgabis ergo præfatos humores secundum artem. Caue ab acribus, tenuibus, & biliosis, & sale. Cibos adhibe frigidos, crassiusculos, potúmque aquæ vel lactis. Valet portulaca, lactuca, endiuia, & ranæ; pepones, quinque radices, & semina frigida, de quibus in lib 5. *Cura.*

Si autem gonorrhœa eiusmodi vexationem induxerit, aut putrefactio alia, aut calculus: horum medicamini animum adhibebis, iuxta præcepta suis explicata locis.

De vrinæ stillicidio, & stranguria, & mictione inuoluntaria.

ARTIC. III.

1 EAdem humorum salsedo, & acrimonia, siue pus & sanies ex renibus, aut vasis spermaticis effluens, efficit stranguriam, idest vrinæ stillicidium, continuámque ad mingendum irritationem. Indicabit autem biliosa vrina, siue saniosa, siue mordacitas vesicæ, & renum affectus, propriam causam: & habitus, & præcedens victus ratio: morbus renum, &c. *Causa stillicidii.* *Signa 6.*

2 Sanatur autẽ pharmacis acres humores educẽtibus, vel sanici

Cura. causam tollentibus, iuxta præcepta propriæ cuique curæ. Præterea ad mingendum æger moueatur semper, ne retenta acrimonia vas erodat, foretque; & quæ ipsam obtundunt adhibenda semina, & herbæ crassiusculæ, ac frigidæ, vt supra. Vtitur Galenus in aqua rosacea lota terebinthina duarum nucum quantitate accepta, &c. Item clysteribus lenitiuis, & pharmaco consimili ex cassia, manna, lacte, oleo dulcium amygdalarum.

Alia causa. 3 Contingit etiam ex imbecillitate, & intemperie vesicæ stillicidium eiusmodi, eo quod ipsa non satis retinere queat vrinam, prout oportet. Oritur autem intemperies aut ab internis causis, vlceribus, tumoribus, quæ proprios habent indices; vel ab externa præsertim frigiditate, raro enim calor neruosas lædit substantias: cognoscitúrque ex vrinæ albore, & præcedenti infrigidatione, piscatione, denudatione, anni tempore, victu, ætate. Imbecillitatem verò ex morbis contractam morbi indicant præcedentes. *Signa.*

Curatio. 4 Si frigida peccat intemperies, fouebis oleis calidis pecten, collum vesicæ, circa sedem; & fomentis. Prosunt cibi calidi vrinam cientes, & vesicæ proficui, vt apium, petroselinum, raphanus, daucus, fœnic. & vesica, & intestina vituli bene cocta cum aromatibus. In potu vinum album generosum. Curabísque contrariis quascunque intemperies; morbos verò præcedentes propriis curis.

Causa mictionis inuoluntaria. 5 Cum verò vrinam quis continere non potest, musculum, vesicæ collum adstringentem, huic læsum esse oportet: quod inuoluntaria mictio indicat, & interdum alui inuoluntaria excretio, & præcedentes ab externis causis affectiones. Verùm si neruus in musculum insertus affectus est tantum, vt sensum plenitudinis vesicæ non faciat, fit suppressio vrinæ. At si afficitur, vt soluatur neruus, & musculus; tunc læditur actio ita, vt vrina sponte sua elabatur tam vigilantibus, quam dormientibus.

Causas resolutionis nerui, aut musculi, diximus de resolutione & spasmo loquentes.

6 Cum præterea læditur musculus præfatus vlcere, vertebræ luxatione, aliave de caua, præsertim frigore, casu, & similibus: fit eadem inuoluntaria vrinæ emissio. Contigit etiam ob risum nimium quibusdam lotij excretio inuoluntaria, quoniam spiritus animalis neruulũ inambulans, ob risum dilatat omnes musculos extrorsum.

extrorsum respicientes, vt alibi ostensum est. In quibusdam verò hunc magis.

7 Curabimus eos qui resolutionis gratia talem patiuntur affe-ctum, quemadmodum resolutos sanabamus pridem. Qui verò ex intemperie frigida, vt paulo ante scripsimus. Item per arenas calidas, vinacea, aquas aluminosas. Sin alius morbus est in causa, per illius curationem. *Cura.*

8 Præterea gallinæ guttur combustum datum ieiuno in aqua tepida, vim habet magicam. Item testiculus leporis tostus, in vino exhibitus odorato. Præterea potio myrrhæ, & calaminthæ ante cœnam: flores leucanthemi.

Præterea qui in somno permingunt, pulmo hœdi assatus triduo in cibum absque pane datus. Item cerebrum leporis siccum vino potatum. Similiter testiculus leporis, vt supra; vesica porcina, aut caprina, aut ouina vsta, in puluerem acta, ex vino data in potum. Item aqua vesicarum vlmis innascentium, cum cimolia terra pudendis applicata.

De vrinæ difficultate, & suppressione.

Artic. IV.

1 E Contra vrina difficulter excernitur, aut prorsus supprimitur, pluribus de causis. *Causæ & signa difficultatis, & suppressionis vrinæ, & cura.*

2 Primò, ob frigidam intemperiem vesicæ, quam superior sermo declarauit, ex vrina alba, & præuiis passionibus; curatúrque vt suprà.

3 Secundò, ex pituitoso humore, crassóque, vesicæ collum obstruente. Quod vrinæ albæ crassities mista, & sedimentum declarat: háncque curabis oxymelite, hyssopo, pulegio, & cæteris fomentis, cataplasmatibus, sacculis, & pituitæ purgatione.

4 Tertiò, accidit ex inflammatione, quod mictio cum dolore, & signis inflammationis, declarat: & curatur curando inflammationem.

5 Quartò, ex vlcere vesicæ, quod mictio cum dolore, & sanie patefacit; & tunc curabitur vlcus.

6 Quintò, cum absque grauitate cum distentione vesicæ & dolor in mictu difficili, Eius difficultatis causam spiritum fæculentum iudicabis; & quæ spiritum attenuant discutiuntque applicabis.

9 Sextò, fit lapide vesicæ aut renum obstruente vesicæ collum: vnde suppressio. Signa vtriusque calculi superius iam dicta sunt: cura etiam patuit.

8 Septimò, ex grumo sanguineo obturante eundem meatum; quod immissa fistula sanguine concreto lita ostendet. Præterea pulsus paruus, obscurus, frequens: anxietas, animi defectio, & pallor solet grumos vesicæ, & eos qui fiũt in thorace, & iecore, & in intestinis comitari. Ergo periculosa suppressio hæc, dum putrescunt grumi, læduntque substantiam vasis, & spiritum. Hos curabis per ea, quæ calculum frangunt: prodest & betæ, & rubi, & artemisiæ succus, & leporis coagulum: prius autem fistulam intrò ages, vt vrinam educas; quod si non prodest, dissectione opus est, vt in lapid.

9 Octauò, caruncula, aut callus, aut alius tumor crescens in vesicæ collo, vel exterius retinebit vrinam. Quo in negotio vtere laxatiuis, emollitiuis, & fistula argentea. Item corrosiuis tumorum, carunculæ, & calli.

10 Nonò, exsiccatio vesicæ, & colli post diuturnas febres, & inflammationes, solet meatum angustiare, quod præcedentes labores notum facient: & tunc pecten, inguina, coxendices, sedem, fomentis, & vnguentis, & cataplasmatibus lenibus, laxantibus, & humectantibus, & pinguefacientibus curabis.

11 Decimò, ex imbecillitate facultatis contrahentis fibras rectas, & expellentis, accidit suppressio. Quod probe agnosces in decliui vesicæ positu comprimendo tumorem: tunc enim facile educes vrinam; nec ex occlusione meatus retentionem nasci intelliges; sed spiritu qui eius in fibris, minuto vel stupefacto, & siquidem intemperies contracta fuerit in causa præsertim frigida, ex præcedentibus scitur haud operose. Solet etiam, & stupefacto spiritu idem fieri, vt patet in his, qui in senatu, aut alearum ludo, aut alia in re occupati, non minxerint: tunc enim distenditur vesica, spiritumque alibi occupatum ex parte, in vesica verò diminutum ex feriatione functionis, & grauitate vrinæ inualidum facit ad expulsionem. Idem accidit si neruus vesicæ insertus afficiatur, vt spiritum non traducat; aut modicum afflictumque, quod in luxatione vertebræ, vnde ipse neruus oritur, accidit; & in casu, & cum fluxu replentur, aut contunduntur prædicti nerui. His in causis irritabis; & excitabis agitatione, & prurientibus rebus spiritum. Præterea calidis fomentis, & insessionibus, & oleis

fouebis

fouebis sedem, pecten, inguina, & nerui originem excitabis nitrosis rebus vrinam, & sensum, non autem potibus: ne aucta plus distendat vesicam, sensumque stupefaciat. Expelles autem manibus comprimendo in decliui positione, vt exoneratus sensus reficiatur. Manus calidas pubi apprimes secundum rationem eductionis.

12 Præter fomenta & olea calida liliacea, & ex scorpionibus, & huiusmodi, confert theriaca, & castoreum in potu, sinapismus in pectine: viscera erinacei exsiccati ad solem, & suffita ægro vndique contecto. Item contritæ, potuque assumptæ eius carnes. Similiter terreni vermes. Item infusio per colum olei ex scorpionibus, rutacei, aut nardini, & pauci castorei, &c. Vtere herbis thymo, anetho, centaurea, ruta, myrrha, artemisia, perdicio, &c.

13 Vesica animalium, & intestina valent ex Magia ad roborandum, & sensificandum vesicam patientem, vt supra.

De rupturis, & vlceribus vesicæ, & carunculis, & scabie.

Artic. V.

1 Sanguinea vrina fit ex vesicæ morbis multipliciter, aut quia vena eius aliqua rumpitur; quod cognosces cum renes in causa non esse ex pridem dictis signis intellexeris, &c. Curabis autem iis, quæ sistunt sanguinem, solidántque ruptiones: de quibus sæpè. *Causa 1. Signum. Cura.*

2 At si in grumum coïerit sanguis intra vesicam, dirus est morbus: deliquia animi, exiguos pulsus, obscuros, & crebros, & mœrores, & refrigerationem extremorum adducens, & suppressionem vrinæ. Cura fit per ea, quæ diuertunt sanguinem, & sistunt, in dysenteria, & sputo sanguineo enarrata. Grumos curabis non secus ac lapidem vesicæ. Nam & dissoluentia eadem, & repellentia, & præparantia, & sectiones.

3 Saniosus sanguis, aut pus, aut laminæ squamulæque, & fœtidus odor, & crassities furfuracea, indicant in vrinis vlcerationem vesicæ vel penis. Verum si penis laborat, non satis mista sunt prædicta signa vrinæ, sed præcedunt exitum eius: ac dolor in pene, non in pube sentitur: nec tam squamulosa est mictio, vt in vesicæ affectu. *Causa secunda. Indicia vlceris in vesica, vel pene.*

4 Vesicæ vlcus comitatur acutus dolor continuò, maximè

autem

Propria vlceris. autem mictionis tempore,& excretionis puris,& furfuris:& tunc dolor maior, cum collum vesicæ vlceratum est, panditur. Cum vero fundus vesicæ,& amplitudo, dolor est dirus in pube continuò,non autem in excretione consimiliter: & quidem fæculenta vlcera sordidaque, vrinam fæculentam, mucosam crassæ substantiæ instar farinæ faciunt. Vlcera verò serpentia,vrinam cruẽtam, & saniosam magis faciunt, & circa collum vesicæ potius grassantur:& difficultas mingendi cum pudẽdi arrectione,& petulantia concurrunt, vt in gonorrhœa. Furfuracea autem sanies vesicæ scabiem potius indicat; quam comitantur pruritus, frequens mictio,& graueolens.

Sex causæ vlcerationis. 5 Causa autem vlceris est aut inflammatio præcedens, & corrosiui,acutique facti humores; aut abscessus putridus in vesicam, aut ibi putrescens grumus;& salsescens sedimentum, aut calculus,aut gonorrhœa venerea non bene sanata.

Cur periculosa. 6 Periculosa sunt vesicæ vlcera:quoniam neruosæ,non instaurabilis, est substantiæ:& ab vrinis continuò exacerbantur. Propterea non desinentibus doloribus, ac febribus,colliquatione,& vigiliis moriuntur vlcerati omnes huiusmodi:aliquãdo tamẽ curam admittunt,quibus collum vesicæ,quia carnosius,laborat.

Curatio. 7 Victus ratio sit qualis in renũ vlcere,decubitus mollis. Deinde causis morbi obuiam ibis per pharmaca eis conuenientia, videlicet contra inflammationem, aut calculum,aut grumum,&c. Vlcera autem curabis lacte caprillo & asinino, quibus sanè abstergantur, & solidantur, leniturque dolor. Id quod etiam faciunt halicacabi semina,quanquam frigida;& amylum,amygdalæ,pineæ,cucumer,malua: saccharum violaceum,liquiritia, &c. Adde cataplasmata, & fomenta ad leniendum, & adstringendum.

8 Item lac cum melle sordida abstergent: consolidant verò granatum,galla, rubus,acacia, &c. Præterea purgabis humores acres, nedum obtundes, si tempus, & res permiserint. Vtuntur & cynæ radice,& sarza parilla,vbi ex gonorrhœa accessit malum. Infunditur & lac per penem cum saccharo violaceo liquefacto, tepidóque.

9 Fiunt sinapismi, & vlcera in pube, adeo vt scateant sanie, quatenus è vesica in pubem diuertatur morbus.

10 Præterea solet caruncula in vesicæ collo, aut penis origine intus succrescere ex vlcere, quæ vrinæ impedimento est magno.

11 In

In qua sarzę parillæ & cynæ vtuntur decocto; purgatione leni ex cassia & manna. Intrusione saponis, & hydromelitis ad carunculam erodendam, minuendámque per immissam candelam: mox glutinant bolo armeno, terra lemnia, puluere tutiæ præparatæ.

12 Vesicarum & intestinorum cum lacte præparatorum esus plurimum prodest excoriatæ vlceratæque vesicæ instaurationi secundum Magiam, vt supra. Item herbæ vesicariæ, halicacabus, colutea, sene, staphilo-dendros: vrina lyncis, &c.

De vesicæ inflammatione.

ARTIC. VI.

1 INflammatur vesica sanguinis biliosi confluxu, atque irritatione: aliquando etiam ictu, cæterísque sæpè dictis inflammationis causis. *Causæ.*

2 Cognoscitur autem ex ardore, & dolore graui circa pubem atque inguina. Sequitur vomitio bilis sinceræ, febris, delirium, mingendi impotentia, vnáque appetitus. Adstringitur aluus, rectum intestinum inflammatione arefaciente, & stercora exsiccante. Propterea pernicialis est eiusmodi morbus; eóque certius, quo prædicta symptomata sunt vehementiora. *Symptomata.*

3 Victus in curatione præcipiatur, qualis in renum inflammatione: venæ sectio in brachio, si ferre potest; mox in poplite, & malleolo, vel à principio in his fiat. Vesicæ sitis deinde insessu leniatur in decocto seminis lini, fœnugræc. anisi, dauci, vbi etiam desidens mingat si potest, vel opem ferat quis, manu pecten placidè comprimendo. Mox oleo anethino, chamomillino, lineo, inunges. Item adipe gallinæ, anseris, althææ decocto, cæterísque citra calefactionem rebus tepidis flammulæ egressum aperientibus. A frigidis enim actu abstinendum. Addunt, si dolor intolerabilis est, in oleo papauer, opium, crocum, myrrham. Item cataplasmata ex farina hordei, hyoscyamo, & succo mandragoræ. *Curatio.*

4 Clysteribus lenitiuis vtendum compressa aluo; deinde oleis circa pecten, & sedem. Abstinendum à cientibus vrinam, cum inflammationem augeant: similiter à cathetere, præsertim in maribus, nisi vehemens mingendi necessitas periculum facessat; & cum morbus inueteratus cessantibus accessionibus postulat, etiam vlcerantibus vtendum; quæ ad cutim causas inflammationis accersant, vt sæpè declarauimus.

5 Si ſuppurationis ſæpè enarrata ſigna apparuerint;eam iuuabimus etiam enarratis medicamentis. Similiter ruptionem, & abſterſionem,& conſolidationem,vt ſupra.

De morbis organorum appetitiuorum, generationi ſeruientium, & prius de morbis pudendi.

CAPVT XX.

Sex morbi in pudendo maſculino.

1 POſtquam de appetitiui organis,nutritioni ſeruientibus, dictum eſt, eorúmque morbis: nunc de morbis organorum appetitoriorum generationi deſtinatorum nos manet ſermo; id eſt veretri,teſticulorum, & vuluæ:prius autem de morbis veretri maſculini, videlicet pudendi: quos in ſubſtantia inuenimus inflammationẽ,vlcerationem, priapiſmũ,ramicem. In officio ſeminis profluuiũ,impotẽtiam ad ſeminãdũ:de quibus ſingillatim.

De pudendi vlceratione, & inflammatione.

ARTIC. I.

Vlceratio intrinſeca ex triplici cauſa. *Extrinſeca etiam ex triplici cauſa.* *Signa.*

1 VLceratio pudendi duplex:alia intrinſeca canalem lædens: cuius cauſa vel lapillus, vel ſemen corruptum, vel alius quiuis erodens humor. Alia intrinſeca, quæ vel ab ictu, aut ſtrictura veneris infamis;aut à contagio luis venereæ. Quas quidem cauſas quilibet ab ægroti reſponſis ſtatim percipiet: ſigna autem patentia ſunt ad ſenſum, & ex iam dictis. Vlcus enim in fiſtula ſentitur,& præmittit mictioni ſaniẽ,non miſcet, vti veſicæ vlcus.

Cura interioris.

2 Interioris vlceris cauſas curabis, ne continuetur malitia;infundes aquas roſaceas, & lac, & mulſam ad abſtergendum, & refrigerandum; ſed modicè tepentia: ſi quid enim frigidum applicabis, extraneo frigore purgationem impedies, & inflammationem concentrabis. Proſunt deforis lac, & oleum roſaceum,populeum, & medulla oſſis porcini, vt laxata caro admittat medicamen,& expurgationes; deinde reſiccantibus conſolidabis vlcus.

Cura exterioris.

3 Exteriora vlcera ſi ab ictu, aut ſtricto tranſitu excoriatis vaſis facta fuerint: curatur ocio pudendi ab officio, & cibo reſiccante,ac potu modico, lauacro decoctarum roſarum, & anethi, & thuris,& veteris linei panni contritis filis.

At ſi creuerint vlcuſcula ſordidáque fuerint,lauabis mulſa,lacteque caprino,addito modico vino,deinde pulueribus inſperge aloës aridæ,vel ariſtolochiæ, vel gallæ, vel boli armeni, & decocto eo, quod hæmorrhoidibus applicauimus. Valet & charta combuſta

combusta,& linea concerpta fila aliquando vel sola.

5 Cum autem à contagio malum accesserit, purgandum erit corpus infusione colocynthidis, & exsiccantibus præparationibus, vt humorum confluxus exsiccetur, & pestilens qualitas vacuetur: deinde aluminis puluere, & oleo sulphuris vlcuscula insperges, & filis applicatis cõtege mundo tenui lineo panno. Omniáque decocta exsiccantia, & pulueres, quæ in hæmorrhoidum cura meminimus, valent etiam in pudendi vlceribus.

6 Si verò etiam inflammatio ex vlceribus accesserit, tunc linteola perfusa aquis rosac. portulacę, solatri, & oui albumine, mitiganda erit; & per ea, quæ d. inflammationibus sæpè notauimus.

7 Solent etiam inflammari scrotum, & testiculi simul, aut seorsum propter ictus, aut sanguinis biliosi, aut excrementitiorũ humorum confluxum; & cum scrotum solum inflammatur, fit in eo tensio, & rubor, & ardor. At si etiam testiculi, tunc prætere accidit febris, & dolor in eis vsque ad lumbos, cum grauitate.

8 Curantur autem sicut cæteræ inflammationes, de quibus pluries; tenui scilicet victu, phlebotomia diuertente, & euacuante: & si opus fuerit etiam purgatione acrium humorum: præterea oleis, & fomentis phlegmonem sedantibus. Et si ad suppurationẽ vergat, etiam iuuanda erit: similiter & ruptio, & absterſio, & solidatio, vt supra.

De hernia.

ARTIC. II.

1 HErnia siue ramex multiplex. In alia enim rupto peritonæo deuoluitur intestinum in scrotũ. Cuius causæ esse solent conatus immodicus, siue ad leuandum pondus, siue ad trahendũ: siue ad saltandũ; siue ad canendũ, & vociferandũ. Est etiam aliquando ictus: cognoscitúrque ex tumore molli, qui in se conturget, reuersioneque intestini in suam sedem cum murmure vbi comprimitur, & subita iterum reuolutione deorsum [illegible] quatur. Verum à principio cum [illegible] ruptura, non fit ad scrotum delapsus [illegible] venicula in lateribus pudendi, si duplex [illegible], vel in latere. Adest & dolor, præsertim flante Austro, aut vbi ventosos cibos assumpserint. Vocatur hæc hernia intestinalis. Est etiam vbi fit solius omenti illapsu, quod regreditur intrusum absque murmure.

Descensus in scrotum quæ causa.

Signa

Hernia imperfect.

2 Eadem hernia omenti, vel intestini, solet in inguinibus fieri, &

circa vmbilicum, & vbique in ventre inferiore: cum videlicet peritonæum rumpitur, aut hiat, aut laxatur, & quidem mulieribus proprior. Habet easdem causas, sed potius ictus. Egressus intestini non adeo fit, vt in scrotum, sed quasi vesiculæ flatulento plenæ succo, & ex his signis agnoscitur. Nomen habet à loco, & re, quæ in ipsa tumet.

3 Alia est in scroto flatuosa modo hernia, cum videlicet ingenito repletur flatu, & humore attenuato, qualis in tympanite hydrope, eaque tactu cognoscitur.

4 Alia est aquosa, cum humores ex contusione, vel ictu, aut vasis fractis abdominis in scrotum confluunt, veluti in ascite contingit. Indicat hanc herniam tumor scroti stabilis, dolore vacans, & pellucidus, si aqueus est humor: rubicundus, aut liuidus, si fæculentus sanguis. Solet erythroides emergere in tumore laxatus aqua plenus, ouatus, testiculum abscondens, vndique circundans. Solet & per se quasi tertius testiculus apparere. Item extra erythroidem humor effundi solet, nec testiculum prorsus abscondere.

5 Tandem alia hernia est carnosa, cũ induratur testiculus post fluxionẽ ex ictu, aliáue ex causa factam; quod duritiés, & cõcolor aspectus pandit, & dolor; qui tamen cessat, vbi in scirrhũ abierit.

Cura. 6 Ramicem intestini, siue in scroto, siue in inguine, curabis primo reducendo intestinum in locũ suum, resupinato ægro, eleuatis natibus, manúque blanda dextre cõprimente tumorẽ sursum.

7 Quod si minus fieri potest, quoniam inflammatio, dolor, flatus, tormina superuenerunt, ita vt retrudi intestinum repugnet: tunc linimenta, & fomenta, & balnea, quæ flatum soluant, dolorem, & inflammationem leuent, adhibebis, sæpius dicta; videlicet ex málua, fœnugræco, aniso, cumino, anetho, &c. per infusas spongias, & cataplasm. &c.

8 Post regressum intestini ligaturam aptabis, ne relabatur; ac simul cer[illegible] emplastra adstringentia, & conglutinantia peritonæi vulnus, quæ fiunt ex [illegible] visco quercino, sarcocolla, bolo armeno, aloë: pice nauali, galla, balaust[illegible] [illegible]ebinthina, cera. Item ex glutino, quod vocant picem græcam. Præterea [illegible] coctis neruis animalium consumptis, deinde contusis neruis, & in viscositatem redactis. Item ex pelle arietina similiter macerata, & [illegible]gummis in vino consumptis: quæ cum adhibita, & colligata fuerint, æger in lecto eleuatis femoribus commorabitur.

Cibis

9 Cibis veſcetur glutinoſis nullum habentibus flatum: comedet pedes arietinos, vitulinos, & inteſtina, ventriculum, pellem benè coctas præſertim in lacte. Cauebit ab omnibus leguminibus.

10 Vtetur in potu decocto lentiſci, ſolidaginis ſaracenicæ, polygoni, eupatorij, prunellæ, plantaginis, cynogloſſæ, ſymphyti, balauſtiorum, & huiuſmodi: quibus addes ſaccharum, vt ſuauior fiat potio.

11 Non permittes ſtercora indurari, neque labore excerni: quapropter vtere clyſteribus lenientibus; neque ligatura cum cacare, aut aliter moueri oportet, ſoluatur.

12 Herniam aquoſam calefactiuis, & exſiccatiuis rebus curabis, quales baccæ lauri, ſemina lini, dauci, althææ, nigellæ, farina fabaceas, thus, roſæ exſiccatæ: & his rebus, quibus curatur aſcites. Exſiccabis etiam corpus pharmaco, vel diæta, vel humidorum ciborum abſtinentia, ne continuetur defluxus.

13 Flatulenta verò per ea, quæ flatum diſſoluunt, ſæpius dicta.

14 Carnoſum ramicem curabis pituitoſos, fæculentoſóſque humores purgando, & feroſos exſiccando. Vtuntur, & ſarza parilla, & alijs attenuantibus.

15 Verùm vbi venæ teſticulorum multi ſanguinis fæculenti confluxu turgentes, tumorem fecerint: ſanguinis diminutione, & rebus melancholiam purgantibus, vtendum.

16 In aquoſa hernia contumaci, chirurgia adhibetur perforando teſticulum filo, vt humor paulatim efferatur. In carnoſa, & aquoſa, vbi putrefactionis imminet periculum, teſticulus extrahendus eſt, & locus igne exſiccandus. Vtuntur etiam in inteſtinali, ſectione latiori, qua & teſticulum extrahunt, & vulnus peritonæi, acu, quatenus poſſibile eſt, conſuunt; curantúrque.

Poſt hæc curaui me ipſum quinquagenarium iuxta Arnaldi conſilium, vſuſque ſum limatura, & ærugine ferri, quantam trinummus Romanus capit, epota in ouo ſorbili quotidie mane quatuor horas ante prandium per triginta dies, vt ferrugineus fieret ſanguis: Appoſui ligaturam exactam cum emplaſtro ordinario, vt ſupra; cui addidi magnetem actum in puluerem; qua alimentum ferrugineum attraheret: nec vnquam vigilans, aut dormiens cingulum ferreum depoſui per tres menſes, niſi cum mutarem emplaſtrum, & adderem puluerem magneticum poſt

quoslibet octo dies ferè, donec peritonæum consolidatum mirificè fuit, ita vt sine periculo incederem vllo. Vsus sum cibo, & potu vt supra narratis; videlicet pasta, & glutinosis rebus, & lentisci decocto in vino rubro, non acido; neque acetosis vsus sum vnquam. Sed post annum negligẽte me folliculus ad ipsum inguen recidit; agnoui tandem nil salubrius ligatura stricta, continuáque: Ipsa enim Natura sanat, cum per flatus, & negligentiam aliam eius non interrumpitur labor. In adolescentibus id sæpè expertus sum, solo ligamine benè curatis.

De priapismo, eiúsque cura.

ARTIC. III.

Quidditas rei & nominis. 1 EST priapismus pudendi auctio in longum & latum stabilis præter voluntatem, aut libidinis voluptatem, à Priápo gentilium deo dicta; quem immodico pudendo depingebant. Et cum accesserit palpitatio etiam, satyriasis vocatur, siue à satyris monstris, ita pudendo salaciter affectis; vel à græco veteri vocabulo.

Causa. 2 Huius morbi causam dicunt flatum vel in neruo cauo pudendi genitum exuberanter, vel ex arteriarum orificiis manantem valde patulis. At cum quasi præter voluntatem experimur in somno pudendum inflari, distendíque vsque ad seminis emissionem, cùm præsertim supini super spermaticas jacemus venas: profectò distentionis eiusmodi causam seminis abundantiam, auctumque calorem acquisititium, opinari non raró licet: nam & qui consueta abstinent venere, hunc incidunt in morbum. Verum cum in hac passione emittatur semen, & transeat erectio aucti pudendi, propterea enim in definitione diximus, Auctio stabilis, nedum præter voluntatem: cogitare quis non temerè posset, caloris defectum in priapismo esse. Cum enim nequeat semen excernere, flatumque dissoluere, necessariò in suo semel acquisito augmento permaneat oportet: ideóque Auicen. putrefacto semini, & spermaticorum vasorum laxationi, & infirmationi post coitum nimium factæ itidem priapismi tribuit causationem.

Confirmatio. 3 Vtcumque tamen fiat, procul dubio succis crassis flatum crassum gignentibus, & qui excuti à calore solito nequeant, siue cum semine fiat inualido, siue intra cauitatem nerui humiditatem attrahentis, bibentisque, tribuendum videtur. Cum enim eis nõ subuenitur, pereunt, pudendo etiam post mortem erecto permanente:

manente:ergo non à ſpiritu animali,ſed à craſſo flatu,vel humore;vnde & ventre inflantur, & frigidum exudant: & iuuenes, & mulieres à coitu abſtinentes huic morbo ſuccumbunt: vt facile ſit bene cauſas aſſignaſſe.

4 Curam ergo aggredientes à coitu arcebimus ægrotum, ne humores ſubſequantur ad pudendi auctionem maiorem. Si autem conſtiterit ſeminis retentionem in cauſa fuiſſe, licebit coitum præcipere, vt ſeminis copia corrupta, flatúmque emittens, educatur. Quo peracto à coitu & ſpectaculis, & locutionibus libidinis recordationem excitantibus abſtineat æger. Item à pharmacis, præſertim acribus: & cibis & potibus ſemen generantibus, aut vrinam cientibus. *Curatio.*

5 Præterea ſi plethora adſit, & ſanguis multus, & ſemen: nedum inedia à principio, & extenuantibus, & ſterilibus rebus in cibo, & potu vti conuenit: ſed etiam venæ ſectione internæ, & dextro cubito. Purgabimus verò per vomitum, vt humores ſurſum reuellantur. Quod ſi fieri nequit, lenitiuis per aluum vtemur, vt caſſia, & manna, & clyſteribus pariter blandis ex maluæ, & betæ decocto.

6 Mox cerata, & emplaſtra, & cataplaſmata adhibere coli, & lumbis ad ſpermaticas venas, & intercapedini, quæ eſt inter anum, & colẽ: ex oleo roſaceo, chamomil. ſucco ſolatri, ſemperuiui, portulacæ, argenti ſpumæ; ceruſſa, cera, aceto. Item ſemen nymphææ, viticis, & rutæ: hanc tamen non à principio, ſed vt exſiccet reliquias humorum confluentes. Præbeantur etiam ea quæ ſemen minuunt, & ſterilitatem conciliant, in ſequentibus narranda articulis.

7 Tandem in ſatyriaſi, quæ medicamentis non tollitur, addi ſolent hirudines, & cucurbitulæ cum ſcarificatione: & vbi lethale periculum imminet, nec medicina iuuat, ſecandum eſt pudendum, veluti eunuchis Turcarum infælicibus fit per crudelitatem, ægrotis per pietatem: ſic enim fit, vt totus morbus auferatur, nec aliæ corporis partes contaminentur ad interitum.

8 Si autem ſolus flatus in cauſa eſt, ea quæ contra flatum ventriculi, & inteſtinorum ſæpè ſcripſimus, medicamenta valebunt, & cibi & potus.

De gonorrhœa, seu seminis profluuio.

Art. IV.

Quid gonorrhœa ex Medic. 1 GOnorrhœam omnes Medici seminis profluuium spontaneum, inuoluntarium, continuum esse aiunt citra voluptatem: quod à duabus causis oriri putant, aut ab imbecillitate retentiuæ facultatis, & tunc absque pudendi erectione fit; & hoc signum eius: Aut ab intemperie conuulsiua, & tunc pudendi erectio comitatur. In vtrisque autem gracilescit corpus, præsertim circa lumbos, qui debilitantur tam in viris quàm in fœminis: in quibus minus est curabilis; & in tabem incidunt. *Causa.*

Correctio. 2 Nos autem arbitramur imbecillitatem solum non esse profluuij causam morbosi: est enim vbi sponte effluit semen simul cum vrina, propterea quod multum est, nec capacia sunt vasa, quanquam fortia, vt experimur omnes qui castitatem profitemur. In somnis, etiam sola imaginatione & vasorum repletione, & calefactione egreditur; nec tamen inter morbos id annumeratur. Præterea quantauis adsit imbecillitas, nisi semen exuberet, non fit profluuium: immò neque si exuberet, nisi adsit corruptela seminis, aut intemperies aliqua; vnde vulgo existimantur qui calefacti refrigerantur statim, transeuntes de extremo ad extremum, seminis profluuium pati solere. Indicat etiam illa conuulsio intemperiem flatuosam, & humidam, causam esse erectionis. Et quando fit absque erectione, peccatum est in solo semine: quando cum erectione, in vtroque: ita vt principium quoddam priapismi cum profluuio componant hunc morbum.

Historia eiusque ratio 3 Bis hanc passionem in iuuenta experti sumus; semel post febres tertianas cum conualesceremus: propterea quod retentum semen febrili calore ex parte assatum, & ex parte solutum est, ac deinde colliquatum simul vaporibus non amplius exhalantibus ob debilitatas vires, sed se miscentibus cum massa seminis ad eius liquationem. Manifestum est autem, quando semen fluidum est, guttatim exiens, & subuiride, seu subflauum: quod sola imbecillitas non facit, sed immutata seminis temperies & substantia, ita vt vesiculas complexas, quibus semen retinetur, mordacitate rumpat, atque proinde effluat. Secundò verò post equitationem, & cursum per niuosam regionem in hyeme, vbi agitatio semen concussit, frigus calorem à sui symmetria dejecit, seménque labefactauit. Est etiam vbi quis ex coitu impudico *Quatuor causæ gonor.*

cum

cum muliere venereo affecta morbo in gonorrhœam incidit, quando vapor fœtidus per fistulam attractus in seminaria vasa semen contaminat, ita vt vesiculas rumpat, & corruptum profluat. Plato etiam *in Timæo*, & Galenus *in 2. lib. de semine*, contestantur quod diu retentum corrumpitur etiam in mulieribus, vsque ad diras passiones earum, & dæmonoplexias: quod Hippoc. *in lib. de morbis virginum* prædixerat: Dæmon autem malis vtitur humoribus ad hominum vexationem, quemadmodum sæpè declarauimus.

4 Igitur cum sem̃inis copia coarctata peccat, eò quod alienam acquirit temperiem, non ab re procurare eius primò effluxum per coitum cum calida nigra muliere: quæ tamen ne & ipsa lædatur, statim semen egerat, vterumque intus vino lauet; deinde coitu, eiusque cogitatu, & spectaculis, & narrationibus, & lectionibus libidinem mouentibus, prorsus abstineat æger; vtaturque cibis, & potibus semen minuentibus, id est aqua pura, vel in qua ferrũ ignitum extinctũ sit pluries. Item prosunt folia agni casti, & flores, & semen coctum frixumque; portulacæ, lactucæ semen, & nymphææ: calamintha, rosa, & ruta, & viola alba, omnesque plantæ steriles natura: quas etiam lumbis alligabis, & decoctis pro insessu vteris; & in emplastris. Solet & lamina plumbea renibus applicari: sed minus periculosa sunt iam dicta simplicia. Victus sit frugalis, extenuans, non flatuosus, nec prolificus. *Cura gener. ex seminis superfluitate.*

5 Sin verò corruptio acciderit ex intemperie aliqua in semine, & conuulsio in virga, vtendum est his, quæ priapismo conueniunt, ac simul aliis, quæ corruptelæ obuiant, semen minuunt, refrigerantque, & incrassant: propterea balneis frigidis, potu frigidæ, ac cibis tenuis, frigidæque substantiæ, vtendum; quales cucurbitæ, citrulli, portulaca, caro modica anserina, in hoc valent: vteris etiam in medicamento, & in cibo præfatis rebus, & acetosella, & sanguinaria, plantagine, vmbilico veneris, borragine, viola, rosis, granatis, semine cannabis: calamintha, coralliis rubeis, santalis. Et in fine vbi expurgato semine indigebis resiccatione; valent mentha, ruta, bolus armenus, myrtus. Sunt etiam qui manna, aut cassia purgant corpus: at quidem asparagis, & petroselino vtentes. Nos semen fœtidum extulimus, deinde frigidis, & adstringentibus vtentes sanitatem conciliauimus. *Ex intemperie.*

8 Conuenit aër siccus, frigidus, lectus duriusculus substratis præfatis rebu; balneum medicatum: frigus actu semel confert,

 vbi

vbi subtepidis rebus expurgaueris semen excrementitium: cæterum adstringendo nimis obest, præsertim si inflammatio adsit. Iuuant olea rosaceum, populneum, omphacinum, myrtinum, & huiusmodi, ad lumbos, & radices pudendi.

De impotentia ad Venerem.

ARTIC. V.

Triplex causa impotentia venerea. 1 SVnt mariti, qui debitum vxori reddere non possunt, aut quia semine carent, aut quia frigida genitalium intemperie laborant, aut quia superstitione ligantur.

Signa. 2 Quorum indicia ex ipsorum habebis confessione: primi enim non emittũt semẽ quasi spadones. Secundi nõ erigunt pudendũ, licet semine abundent. Tertij quidẽ erigere, & emittere cõsueuerunt; ex quo autem suspicione ligaturæ laborant, ignaui fiunt.

Cura carentium semin. 3 Primos curabis applicatione animi ad Venerem per spectacula, sermones, lectiones, tactiones; sic enim spiritus ad seminis confectionem vocatur. Item per cibos, potusque, qui semen generant, augéntque; quales sunt vinum generosum, & lac fœcundarum ferarum, qualis est omnis multipara, & pluries in anno. Itẽ multæ substantiæ carnes, faciléque coctibiles, & libidinosorum animalium fœcundorum, quales columbæ, hirundines, perdices, passeres, gallinacei, porcelli, pisces vino cocti. Conchylia autẽ magis, & polypi, & quidem oua omnium valent, sed maxime passerũ, & perdicum, & gallinaceorum testiculi. Præterea flatuosi cibi, qui spiritum, & semen generant, vt fabæ, & amygdalæ, pineæ, pistacia, rapa, cicer, pastinaca, porrum, anisum, fœniculum, & res lacteæ, albęque, & testes animalium fœcundorum, vt capri, struthio-cameli; cuminum, ocymum, lapathum, satureia. Semper tamen herbas carnibus prædictis copulabis, aromatibusque.

Cura impotentia ex frigiditate. 4 Secundos vero eisdem applicationibus; insuper & pudenda contrectanda erunt, oleisque calidis, humectantibus tamen vngenda, si modici seminis sunt. Si multi, & inepti, adde exsiccantia simul, vt liliaceum oleum, & è castoreo: in quibus piper, moschus, nigella, caryophyl. sint macerata, & huiusmodi. Præsertim verò scobes ceruini veretri, quo nil magis ad libidinem excitat. Fiunt etiam morselli ex eisdem rebus, idest nuce pinea, amygdalis dulcibus, testiculis vulpis, & equi, felle aprino, ramento ceruini pudendi, satyrio, scinco, eruca, semine lini, fœniculi, bulbo orchis, seu testicularis herbæ, nasturtio, sinapi, pastinaca, caryophyl. ambra,

bra, moscho, pipere, & similibus, confectis in aqua rosacea, & lacte. Eædem res valent in cibo, & potu, & electuariis, & confectionibus partim ex Physica, partim ex Magia.

5 Præterea leporis coagulum, leonis adeps, succus tragacanthæ cum tribus piperum generibus, conficiunt linimentum pudendis apprimè libidinosum, adhibendum in testiculis, lumbis, veretro, & radicibus eius inter anum, & testes. Item stellio crematus, in pulverem redactus, illinitus dextri pedis pollici in actu venereo, vt exercere queas; & cum volueris cessare digitum abluito, valet in ouo pinearum potum oleum. Vinum generosum desit nunquam; haud tamen in tanta copia, vt genitalem spiritum obruas. Commendantur cardui cum pipere, & oreoselinum, & omnia semina alba, acutáque, & quintæ essentiæ ipsorum.

6 Sic ex bulbosis plantis, & quæ testiculorum, & genitaliũ habent effigiem tam in mari, quam in terra; valida fiunt pharmaca, vt bulbosæ plantæ, testiculares, asphodelus, cyclaminus, Veneris vmbilicus, leontopelator, catanances, pastinaca, mandragora, & limones Neocastrenses, in quibus & vuluam, & veretrum natura effingit: & marina quædam animalia pudendi vtriusque instar efformata.

7 Tertio squidam non dæmonis arte ligari per superstitionem putant, sed naturalibus medicamentis: etenim veretrum canis, & lupi, phocæ, testudinis, & cæterorum animalium, quæ ligantur in coitu, suntque tardæ solutionis, & seminationis, ad ligandum valent; ergo & quæ concitati sunt coitus, facillimique, valent ad soluendum, si comedantur: quales sunt passeres, picus martius, pica vulgaris, id quod experti approbant. *Cura impotẽtia ex superstitione.*

8 Nos experti quosdam solis verbis superstitiosis ligari, & verbis solui à maleficiis, nequaquam credimus natura hæc fieri semper, nisi applicatione naturalium prædictorum à diabolo ita fieri dicamus. Neque enim frigefacere ipse potest, nisi frigus adhibendo: & quoniam maleficium maleficio tollere sancta religione vetamur, recurrendum est ad sanctos exorcistas in huiusmodi affectibus. Licet tamen vti naturalibus antidotis contra venerea naturalia à diabolo adhibita: ergo, & pica, & passere, & cæteris iam dictis, vt in theologicis docebamus, vbi & quomodo diabolus ista possit declarabamus.

Errant Rhasis, Plinius, & alij Theologiæ expertes. Hac in re valet plurimum persuasio, & imaginatio, quod quis est

ligatus,aut solutus.Sic enim operatur,aut non operatur,vt afficitur:videmus enim timore deiici, & gaudio erigi pudendum ; ergo,&c.

9 Magia docet pilos ani masculi hyenæ, combustos, tritosque, si pathici ano inunguntur, à suo vitio istum liberare.

De fœminei pudendi morbis.

CAPVT XXI.

Morbi muliebris pudendi 14.

QVoniam vterus muliebris est inuersum virile pudendum, vt in phys.probatur,& vtrumque generationi instrumentum inseruit:necesse est cum dixerimus de pudendi virilis morbis,de muliebris quoque pudendi malis differamus.Sunt quidem huius passiones coëundi impotentia,sterilitas,menstruorum suppressio,& nimius effluxus,& fluor continuus, & suffocatio vteri, & procidentia vteri,& inflammatio, & vlceratio, & inflatio, & mola:& partus difficultas : & scirrhus, & cancer ; de quibus singulatim dicere tempus est.

De muliebri ad coitum impotentia.

ARTIC. I.

Natiua impotentia signum, & medela.

1 IMpotentia muliebris ad coitum in vtero priuatio est, aut natiua aut accidẽtalis.Natiua,quando vteri os per se ita obstructum est,vt veretrum ad interiora non admittat ; quod ex tactu, impeditoque actu palam fit. Eius medela est fomentum : & balneum ex fumis,& decoctionibus herbarum mollientium,& relaxantium,vt maluæ,althææ,nigellæ,fœnugræc.lino, bdellio & huiusmodi.Item ex vnctionibus adipis porcini,anserini, gallinacei, & resinarum,& butyri & oleorum violæ & oliuæ.

2 His repetitis crebro, & per spongiam applicatis, & in pessis, tunc intra os vteri partem spongiæ iniiciens aridæ, filo ligatæ, vt ibi emollita amplificetur, & os vuluæ simul amplificet : quod si acciderit,aliam maiusculam, & deinde aliam, donec amplitudo optata succedat. Deinde alumen, aliudve corrosiuum vnà cum melle intromittere licet ad dilatandum magis, si contumax est adhuc ostiolum.

3 Aliquando etiam sectio adhibetur per chirurgiam gladiolo aureo, cum aliter dilatatio non succedat : & tunc quæ vulnus

nus ſanant alliganda ſunt,& deinde lenitiua.

4 Accidentalis autem obturatio accidit, cum ex vulnere cicatrix, & callus oboriuntur oſtiolo, & tunc eiſdem omnino vtere remediis,quibus in natiua. *Curā accidentalis.*

5 Aliquando verò coitum pati nequit mulier ob vteri vlcerationem,aut inflammationem,aut procidentiam, de quibus morbis ſingillatim erit ſermo in hoc cap.

6 Si autem inflammatio ex præfatis medicamentis ſuboriatur: tunc oleis roſaceis,violæ,terebinth.& aliis,quæ flammam ſedant, & exitum ei parant adhibebis. Itaque & lac miſcebis aſininum.

7 Victus autem mollis erit,& aperitiuus;ſimiliter & potus. Caueat à ſalſis, & adſtringentibus.

8 Notandum, quod ſi vterus interius eſt amplus, oſtium verò ſtrictum;attrahit ſemen, & concipit mulier;ſed in partu moritur, nequeunte fœtu egredi. Siquidem & virgines imprægnantur, ſed non pariunt virgines, nec ſunt poſt partum,abſque miraculo.

De ſterilitate.

Artic. II.

1 Sterilitas propriè impotentia eſt non ad coitum,ſed ad conceptionem, ſuſcipiunt enim ſemen, ſed non fœcudantur ad prolis fructificationem. *Quid ſterilitas.*

2 Sterilitatem ergo facit aut intemperies vteri,vel ſeminis;aut ſordities,aut deformitas,aut coitus intempeſtiuus. *Cauſa ſterilitatis.*

3 Intemperies frigida in mulieribus, aut maſculis, ſi eſt naturalis;cognoſcitur ex frigido habitu, carentia pilorum, præſertim circa pudenda,& ſecreta corporis, & nulla vel modica coitus appetentia, ſtupiditate ſenſus in pudendis, lumbis, & cruribus, & ipſorum contractione abſque prominentia, & ex tactu vel mordaci nil calefaciente, ſed molli, inuoluptuoſóque. Item ex menſtruorum ſuppreſſione, vel difficili effluxu. Si autem frigiditas accidentalis ſit, ex præcedenti victu, & accidentibus palam eſt; vt ex frigido aere, balneo frigido, paſſionéque frigida diuturna, & grandi,illata nuditatibus. Aderunt etiam præfata ſigna, quæ in naturali frigiditate circa ſenſum partium, & veneris appetitum. *Signa ſteril.*

4 Curabis hanc intemperiem cibis calidis in ſubſtantia,& odoratis, *Cura frigida.*

ratis, & carnibus perdicum, phasianorum, passerum, columbarum, hinnulorum, gallinaceorum, vulpium, sinapi, nasturtio, eruca, origano, apio, fœniculo, asparago, smyrnio, allio, & similibus. Condiantur aromatibus, pipere, cynamomo, caryophyl. & huiusmodi. Vtantur balneis calidis medicatis, & aluminosis, nitrosis. Vngantur toto corpore post frictiones, præcipuè in pudendis, oleo cyperino, liliaceo, amaracino. Fiant etiam suffitus ex odoratis, thure, storace, galbano, amomo. Item cataplasmata, & pessi ex myrrha, galbano, castoreo, cypero, mastice cum salacium animalium axungia, melle, satyrio. Potus esto vinum album generosum odoratum, & in non crassis sit nigrum cum aqua aurantiorum, & in eo pars moschi, aut caryophyl. & myrrha. Hæc enim omnia cum vnctionibus, & balneis rite administratis, & sæpè temperamentum immutant. At verò si non modò intemperies frigida, sed etiam crassi, frigidique humores adfuerint, medicamento purgante eos, præsertim pituitosos, secundum artem.

Cognitio calidæ. 5 Calida intemperies in vtroque sexu ex pilorum præcipuè copia, præsertim in partibus pudendis, dignoscitur, & ex pronitate ad libidinem multa. Item ex menstrui exigua excretione, & cum dolore, nigra, assataque: & concomitantia siccitatis, quod in multis sterilibus experiri licet.

Cura. 6 Curabimus hanc humido, frigidóque victu, & aëre, & somno multo, & quiete, vino tenui, albo, & aquoso, dulcibus balneis, & circa lumbos, & pubem refrigerantibus rebus adhibitis, vt solano, Veneris vmbilico, lactuca, portulaca, rosaceo, & huiusmodi, quæ etiam pectini, & sedibus adhiberi poterunt, addita cerussa, endiuia, mercuriali, & oleo rosaceo, & violaceo.

Agnitio ster. ex siccit. 7 Intemperies sicca denegat alimentum geniture: cognoscitur corporis gracilitate, menstrui crassitie, vteri ariditate, idest humorum priuatione, pilorum duritie.

Cura. 8 Emendatur humectantibus cibis, potibus, somno, ocio, cataplasmatibus, & oleis subfrigidis, magis autem succis: olea enim & quintæ essentiæ exsiccant semper ex parte: prosunt magis non salitæ pinguedines, ossiumque medullæ.

9 Humiditas vteri nimia obruit semen suffocatque, vt palustris terra frumentum. Agnoscitur ex habitu pituitoso corporis, naturali, vel accidentali, & copia excrementorum fluidorum per foramina naturæ. Item excretiones liquidæ, multæ in coitu, & menstrui copia.

10 Cu

10 Curatur victu ficciori,& inedia,assatis carnibus, meraciori vino, parcius tamen sumpto. Est etiam vomendum & supernarum partium frictionibus vacandum ob diuersionem. Suffitus in vterum proficiunt ex aloë, myrrha, thure, vinaceis combustis. Prosunt etiam vtero rosæ siccæ, galla, myrtus, polygonum, balaustia, & cætera exsiccantia; cum corpus rite prius purgatum fuerit. *Cura.*

11 Cum autem sordities in causa fuerit,ea expurganda primo erit. Cum ergo fluunt menstrua, coëundum non est: sordities enim viciati sanguinis genituram occidit: desinentibus autem menstruis vterus est mundus, & orificia venarum aperta, vt semen in eis radicem agere, & sanguinem sugere ad sui nutritionem, & corporis formationem, queat. Cæteris temporibus non ita est aptus vterus: etenim aut occlusæ viæ negant nutrimentum, nisi sit tantus amor, & voluptas, vt spiritus eò confluens irrumpat. Incipientibus vero non iudico tempestiuum: subsequens enim vitiatus sanguis genituram necat; aut si retinetur, matri mala infert multa, quæ suo in loco enumerauimus. Si sordes erunt, ex abscessu critico, siue symptomatico, aliorum morborum, vt quia cacochymia naturæ vi eo exoneratur; tunc sordes lauacris abstersiuis educente, & cacochymia pharmaco purgante, tollenda. Item suppressi menses diu negant conceptionem. Idcirco, quæ menses cient, iis dabimus. *Cura ster. ex sorditie.*

12 Præterea crassi flatus in vtero conceptionem impediunt, vel fabricam euertunt. Hos tumor pectinis cum pungente dolore,& strepitus vuluæ,vel exiens flatus,indicant. Curabimus inedia,mox victu sicciori, & calidiori non flatuoso, & exercitiis, & rebus flatum discutientibus,tam in cibo, quam vuluæ applicatis, vt cumino,origano,pulegio,pipere,fœniculo. *Ex flatu signa.* *Cura.*

13 Præterea si pharmacum causa fuerit sterilitatis, eius vires explorabimus;& contrariis secundum artem medebimur. *Ex pharmacia.*

14 Deformitas vteri, si paruus nimis, & tunc amplificatur vt supra docuimus; vel angustia oris, & hoc impedit concubitum, nedum conceptionem; de quo supra: vel amplitudo oris vteri, cuius gratia,nec retineri genitura,nec ab externis iniuriis defendi potest:medebimur cibis siccis,fomẽtis adstrictiuis,ex lentisco, vinaceis,galla,rubo, myrto,corúmque pulueribus, & decoctione in austero vino. *Ex deformitate.*

15 Vel

15 Vel vteri meatus obliquus, quod digitus explorabit, & emendabit: post vbi mollientibus fomentis adstrictiuis ex lentisco, & balneis, & pessis, & pinguedinibus, vsus fueris. Coitus etiam à tergo dirigit semen introrsus aptiori ratione, vt mos est animalium.

Ex modico semine. 16 Si autem seminis modicitas in causa fuerit, per ea quæ multum semen faciunt, fœcunda animalia, & plantas occurremus: de quibus sæpè.

17 Si vero seminis frigiditas, per calida: si ardor, per frigida: si siccitas, per fluida; si humiditas, per incrassantes res, & calorificas medicandum.

Ex occulto vitio. 18 Cum tamen vitium est in semine occultum, per cibos boni succi, & facilis coctură, & semen augentes, certabimus, & peccantes humores vacuabimus, & cacochymiam corrigemus.

19 Semen fœcundant plantæ, & lapides, & animalia Veneri dicata, vt in lib. 5. & quæ pridem considerabamus ex fœcunditate, & copia seminis, & partus; præcipuè testiculi apri, leporum, cuniculorum, gallinaceorum, vulpium, & coagulum, & matrix ipsa leporum, & gallinarum, & columbarum.

20 Item conceptionem impedit coitus intempestiuus, idest qui fit, cum sordescit vterus: nec desinentibus menstruis, vt paulò ante dicebamus. Item qui fit infirmitatis tempore. Item absque amore vtriusque. Item qui ante duodecimum annum in fœminis, & in maribus in nostro climate; & qui fit post quinquaginta annos in muliere cum desiuerint menses, & decrepito in homine. At sub tropicis etiam in sexto anno concipiunt; quod etiam apud nos contigit, teste Thoma Caietano 2. 2. Accidit etiam centenariæ concipere in oppido Camerota, sed de his.

21 Solertissime Hippocratici, an conceptura sit fœmina deinde prognosticantur: dant enim butyrum, & mulieris, masculum alentis, lac bibendum, & si eructauerit, concipiet: sin minus, non concipiet. Anisum tenuissimè tritum in aquam bibendum dant, & dormire iubent: & si pruritus circa vmbilicum ipsam inuaserit, concipiet: sin minus, nequaquam. Item allij caput derasum integrum apponunt vtero: & si postridie per os oleat ipsa mulier allium, concipiet: sin minus, minimè.

22 Præterea an prægnans sit ea via indagant. Si enim mel, & anisum subtiliter tritum, & simul aqua dilutum, vtrumque bibens, dormiénsque, circa vmbilicum tormina passa fuerit: tunc concepisse

piſſe volunt. Sin minus, nequaquam. Idem fit ſi dormitura aquam mulſam ebibet: tormina enim ſequentia indicabunt: non ſequentia verò, quod non concepit. Horum rationes conſideranti obuiæ ſunt.

De menſium ſuppreſſione.

ARTIC. III.

1 MEnſtruus ſanguis, quemadmodum in Phyſ. dictum eſt, eſt fæx impura fuliginoſa, tetra excrementúmque, quod natura ſingulis menſibus, tanquam nutritioni ineptum noxiumque, per vterum excernit, eo quod in ſubſtantiam aliti, neque in pilos ab imbecilli fœmineo calore conuerti poſſit, ſicut in maribus ſolet. *Quid ſanguis menſtruus.*

2 Incipit autem fluere poſt duodecimum annum plerumque, quando alimentum redundans incipit à roborato calore natiuo ſequeſtrari. Prius enim totum alimentum æqualiter funditur in fluorem. Similiter & in maribus fit ſequeſtratio in pilos, & excrementa alia nouiter aduenientia. Non ergo menſtruus ſanguis eſt ſemen, in quo cauſæ latent, & progreſſus, finéſque nati: ſed vitioſa res pilis analoga, atræque bili. *Quomodo.*

3 Iuuat autem conceptionem, eo quod purgatus ſanguis fit aptior ſeminis virilis nutritioni, & orificia aperta radicem fœtus ſuſcipiunt: vnde non fit conceptio proba, niſi deſinentibus menſtruis, vt docebamus. *Vſus.*

4 Quapropter triplex eſt menſtruorum carentia: altera naturalis: altera artificialis: tertia morbifica. Naturalis eſt à principio vitæ vſque ad duodecimum annum in noſtro climate, quando nec ſequeſtratio, nec indigentia adſunt. Item cum deſiuerint concipere à quinquageſimo anno plerumque vſque ad finem, eo quod debilitatus calor parum cibi abſumit, excrementáque excernere parum valet: vnde anus morbis afficiuntur, quibus prægnantes, rheumate, mariſcis, oculorum peſtilentia, citta, melancholia, triſtitia. *Diſtinctio. De naturali.*

5 Artificialis ſuppreſſio eſt mulierum laborioſè viuentium, ruſticis exercitiis deditarum, ſaltationibus, venationibus: præſertim autem ſi calidæ ſint, graciléſque natura: calor enim nimius per exercitium omnia excrementa ad cutim trahit per tranſpirationem, & in pilos conuertit: ita quod modicum ſan- *De artif.*

guinis excrementum, vel nullum in vterum confluit. Has autem dignosces ex temperamento, & exercitio.

Præterea fœminæ nihil se exercentes natura frigidæ, tristes, ignauæ, desides, carent menstruis; eo quod non ventilatur calor, & modicus est, ita, vt non possit sequestrare, educeréque menstrua. Has autem cognosces ex intemperie frigida, ex otio, & pallore faciei, cum non fucantur, & obscuritate oculorum, & infectione, cæterisque morbis vetularum.

De morbis. 6 Morbifica retentio menstruorum pluribus accidit de causis. Aut enim densitas, durities, & pinguedo vteri, ora venarum angusta, ne sanguis effluere possit, efficiunt, quod pinguedo, falsa corpulentia, aliique morbi iam dicti, indicabunt.

Præterea cum fuerint longo morbo inflammationis detentæ, & graciles redditæ, exsiccatur sanguis, vt nullum excrementum reddere queat, quod præcedens passio demonstrat.

Præterea si sanguis aliam viam inuenerit se expurgandi; nam in aliquibus per hæmorrhoidas id accidit; aliis vero ex naribus singulis mensibus effluit, quod irritatio aliqua effecisse potest, & consuetudo. Contingit enim ob nimiam effusionem vena secta in brachio sanguinem ad superiora trahere, magis autem ruptis naribus.

Præterea sudores, vomitus, alui deiectiones multæ, pustulæ erumpentes, & omne excrementorum genus magnum, & assiduũ diuertit ab vtero sanguinem in præfatarum excretionum loca.

Præterea sanguis ipse peccare solet, cum fuerit crassus, & glutinosus: vt per meatus excerni non valeat: præsertim si natura fuerint imperforatæ, aut cicatricibus vlcerum excæcatæ, aut aliis de causis, quæ & coitum impediunt. Ergo alimẽta multa, & crassa aliquando peccant, sanguinem incrassando, & meatus obstruendo: sæpè etiam modicus cibus, ex quo modicus sanguis, minuit, vbi non tollit, menstruationem, non secus ac plethoram.

Symptomata suppressionis morbosa. 7 Quibus supprimuntur menstrua morbificè, accidunt grauitas corporis, nausea, fastidium cibi, excursiones in corpore horrificæ, dolores in lũbis, collo, femoribus, capite, oculorũ radicibus, quemadmodum & prægnantibus euenit, quando menstruus detinetur sanguis, ne fœtum occidat: purus verò in huius alimentum cedit. Præterea non prægnantibus febres continuæ accidunt, & vrina rubra, & nigricans simul, & difficultas eiusdem.

8 Me-

8 Medicamenta contra naturalem ſuppreſſionem nulla ſunt: quod enim naturale eſt, morbificum non eſt, niſi in vetulis; quatenus & ſenium quidem morbus eſt. Ergo conuenit in his victus albus, dulcis, purus, modicus, calidus, generans ſanguinem probum, modici excrementi: præſertim autem non atrabilioſum. Item exercitia, balneáque calida: hilaritas animi, & Muſica. *Cura natur. ſuppreſſ. menſtr.*

9 Prægnantes medio modo ſe habent inter hanc paſſionem naturalem, & morbificam; noluit enim natura menſtruum excerni, vt ſupra dictum eſt; ſed elaborat illud in alimentum, & quidem fœmina abſque exercitio, & bonis non vtens cibis, præſertim ſi vino improbo vtatur: nihil morborum non admittit; de quibus ſæpè. Prægnantis victum, & exercitia *in Oeconomicis*, & *in Ciuitate Solis*, declarata ſumito.

10 Artificialis carentiæ cura, ſi ab ipſo exercitio, & calore acciderit, nulla exigitur. Sic enim viuentes ſunt ſeniores: verùm conceptioni ineptiores: non enim ſemen radices agere non apertis orificiis venarum vteri per fluxum menſtruum, queunt. Poſſunt ergo, vt fœmina concipiat, reuocari menſes per exercitij vacuitatem, cibos humidos, pingues, ſanguineos, lacteos, vinum rubrum ſubdulce, & balnea dulcia, ſuffumigia ex decocto maluæ, althææ, ſabinæ, & rerum ſimul humectantium, & aperientium orificia. *Cura artif.*

11 Vbi autem deſidia, & frigiditas cauſa fuerint, & ſomnolentia; tunc ſimul morbifica implicatur cauſa: & ea quæ otioſæ, ac frigidæ obuiant temperiei adminiſtranda ſunt, hoc eſt cibi calidi, & tenuis ſubſtantiæ: quos frigidæ temperiei ſuperior ſermo intimauit. Item exercitia paulatim aucta valdè. Item vinum album odoratum, vetus, purum, balnea calida, & inunctiones totius corporis, præſertim pectinis, & ſedis, & lumborum ex calidis oleis. Item fomenta ex decocto pulegij, origani, ſabinæ, thymi, dictamni, abrotani, calamenti, iridis, caſſiæ, acori, aſari, rutæ, & huiuſmodi poſſunt in iuſculo etiam columbarum prædictæ herbæ coqui in cibum. Adde aromata, & omnia calida, quibus tamen iecur, aut aliud viſcus, & morbus non contradixerint.

12 Morbificam ſuppreſſionem tollunt in ſuo ordine contraria quæq;. Nã quę ex obſtructione fiũt, ea medicamẽta poſtulãt, quæ in articulo de ſterilitate, & impotentia coëundi dicta sũt, præter- *Cura morbif.*

 quam

quam in-pinguibus; quibus propinabis ea, quæ maciem conciliant, & gracilitatem, suis dicta locis.
13 Cum inflammatio, & exsiccatio in causa fuerint, tunc per inflammationem tollentia procedemus; eáque sublata cibos bene instaurantes, humectantes, & impinguantes adhibebimus, ocia, dulcia balnea extremi teporis, ita tamen ne in frigidum vergant. Si quis autem alius morbus maciei fuerit in causa; illum primò curabimus. Igitur & sudores nimios, & vomitus, & alui deiectiones per ea, quæ suis in locis declarata sunt, curabimus, & subueniemus, vt mox mulieres succi plenæ ac carnosæ fiant.
14 Cum sanguis aliorsum diuertit periodicè; tunc reuocandus est ad vterum, quorsum secundum naturam debetur. Ita enim rectius: ergo ea quæ menses cient per suffitus intra vterum: hirudines, & cucurbitulas adhibere congruum erit, quæ autem menses cient posterius enarrabimus.
15 Vbi plethora peccat, vena poplitis secanda est, cæteris consentientibus, propè tempus menstruationis: & sanguis attenuandus, & cucurbitulæ affigendæ: peccantésque humores euacuandi, & ea quæ menses cient subministranda.
16 Si crassus, glutinosusque sanguis morbum hunc efficit, tunc victus extenuans adhibendus est ex ptisana, aceto præparata, & herbis tenuis substantiæ, & odoribus: & syrupi, & pharmaca, quæ pituitam purgant, qualia ex hyssopo, petroselino, asparago, iride, apio, fœniculo, rusco, aniso, dauco, vrtica, origano, artemisia. Deinde potio ex hiera, diaphœnicon. agar. & cæteris in lib. 5. dictis pharmacis. Adde exercitia, balnea ex chamæmelo, artemisia, mentastro. Similiter vnctiones, ex oleo irridis, rutæ, origani, calam.
Prouocantia mensium.
17 Menses prouocant puluis corticis aurantiorum: calamintha, pulegium, sabina, costus, cynamomum, amomum, aristolochia, iris, nepeta, & magis dictamnum, & thymus, asphodelus, mercurialis, carpesia, spicanardi, flos, & odorati iunci. Item opoponax, sagapenum, daucus, saluia, absinthium, myrrha, castoreum, fœnicul. cuminum, oreoselinum, artemisia, apium, semen melonis, cucumeris; adianthum, crocus, ruta, maiorana: styrax, galbanum, bdellium, nigella, rubia, cicer rufum, ruscus, hederæ corymbi rubri: cyclaminus, phyllirea, radix pastinacæ, pœoniæ grana rubra, hypericum. Iuniperi baccæ, semen ari coccineum:

cineum;lauri baccæ:fel taurinum;medulla ceruina; ſerpillum, & omnia calida odorata tenuis ſubſtantiæ.His vtere ad ſuffitum,& balneationem,& cibum,& peſſum,& vnctiones, prout artis ratio te docebit,addendo olea,& medullas,& pulueres, &c. Valent & balnea mineralia, præſertim ſaluianæ Puteolorum.
18 Obſtructiones vteri,alibi curabimus in Capitulo hoc.

De menſium redundantia.

Art. IV.

1 Menſes è contra redundant,cum plus iuſto fluunt,aut quantitate,aut & tempore. Siquidem non vltra duas heminas ſanæ mulieres,nec vltra tres dies: quæ mediocrem habent temperaturam menſtruis ſcatent. At verò ſunt quæ largiori cibo vtentes,& ſanguineæ temperaturæ ſunt,ocioſæque,purgationem menſtruam ferunt vſque ad 7. & 10. & 12. dies; præſertim vbi orificia fuerint anguſtiora. *Quotupliciter menſes exuberant.*
2 Redundant etiam poſt fœtus ortum, ſi pergunt pluſquam mulieri commodum eſt.Item & poſt abortum : aliquando etiam poſt onus ſubleuatum,& laborem ingentem.
3 Cauſa ergo exuperantiæ eſt,aut vaſorum in vulua perreptantium apertio,vel ruptio magnorum; & hoc indicat ſanguinis copia,etiam probi, promanans. Aliquando minorum vaſorum, & tunc non tanta effluit copia,nec confertim. Aliquando corroſio vaſorum ab acribus,ſalſis, bilioſiſque fluoribus,cauſa eſt redundantiæ:quam indicat paulatim egrediens,& cum mordaci dolore,ſanguis, & plerumque tenuis. *Cauſa 4. Indicia.*
4 Signa autem conſequentia ſunt color fœdus,pallidus,ſubniger,virium demolitio,pedum leuis tumor:parua cibi coctio,& inappetentia , quemadmodum in cæteris ſanguinis effluxionibus immodicis;ſolet etiam ſequi hydrops,niſi curetur , quemadmodum & in ſuppreſſione menſium;vt referunt Medici ; nobis autem videtur potius hydrops eſſe ſuppreſſorum : hectica vero redundantium:quamuis neque illud aliquando negem.Cum enim vires debilitantur,neque genitos vapores,& fluores calor educere poteſt,conſequens eſt ,[b]vt à corio repreſſi in aquam vertantur inter cutem. At ſyncopæ,& animi deliquia immodicæ menſtruationis effectus eſſe ſolent in noſtro dogmate potiores, & tandem *Signa ſequentia.* *Correctio.*
 mors;

mors: vt meæ contigit matri Catharinæ Basiliæ.

Cura. 5 Curantur ergo his laborantes affectibus, si ex vasorum accidant apertione, vel ruptura: adstringentibus rebus, vel glutinantibus in cibo, & potu, insessu, & pessis: vt oryza, lacte vaccino, farina frumentacea, similagine, amylo, penteneruia: pedibus hœdorum, vitulorum, & intestinis, vino austero lacte misto, vel pasta; carnibus assatis, & montanis. Præterea balaustia, symphytum, acacia, sesamum lotum, corallium, terra lemnia, myrtus, polygonum, vinacia vsta, glandium calices, plantago, rubus, lentiscus, galla, hypocystis, &c. quæ sanguinis sputo, & dysenteriæ, prosunt; applicabimus hic & per fomenta, & balnea, & in cibo, & in potu, vt sagax solersque Medicus statim intelliget. Adde oleo rof. myrt. cotoneor. &c. Galenus plantaginis succo in vterum per canalem infuso suppressit menses. Idem facit polygoni, aut solani, aut acaciæ succus: præsertim gallæ puluere mistus. Fiunt ex eisdem pessi cum thure, &c.

6 Si autem sola sanguinis abundantia in causa fuerit, sola eiusdem minutio per venæ sectionem in brachio, curabit, & cibus sanguinis non generatiuus. At quidem diuersio fiet à principio in hac, & in superiori passione eiusdem generis: non solum per venæ sectionem, sed per ligamen extremitatum & cucurbitulā sub mammis applicatam, ex Hippocratis doctrina; & hæc à principio.

7 Vbi autem cacochymia dat causam, humorem peccantem secundum artem purgabis ex iam dictis.

8 Si verò erosio peccat: tunc erodentes humores salsos, biliosos, pharmacis sæpè iam dictis purgabis: & statim glutinantia, & adstringentia applicabis.

Cum exulceratio causam præbet, per ea quæ exulcerationi medentur, occurremus, vt in sequentibus articulis.

De fluore muliebri.

ARTIC. V.

1 DEstillatio vteri continua, & quæ paucis vicibus supprimitur, alius est morbus à mensium exuperantia: videtur enim Medicis totius corporis esse euacuatio, quasi totius vitio facta; Signum. vnde solent patientes in hydropem incidere. Prius autem mutatur color faciei, difficulter spirant, oculos habent tumidos. Accidit & cū dolore, aut vlceratione, aut inflammatione: vel sine his.

Præterea apparet sanguis diuersorum colorum, aliquando ruber

ber & tenuis quasi sanguinis sanies: aliquando albus & pituitosus; aliquando pallidus, & biliosus: sæpè subobscurus; & iterum nimis aquosus. Quæ differentiæ indicant Medicis totius corporis fluxum; quæ vt agnoscantur in illo fluore, intingit Aëtius linteum, deinde arefactum lauat, vt remanens macula peccantis humoris naturam indicet.

2 Verum vidimus nos puellam valde pulcram, cui continuo vterus destillabat, nec tamen discolor erat, nec dolorē sentiebat, nec aliquo morbo laborabat, nisi postmodum in ipsum inciderit. *Dubitatio.*

3 Assignant causam Medici, vel retentionis imbecillitatem, vel expultricis concitationem; vel amborum læsionem, vel quia totus sanguis redditus est tenuis, serosusque, ex sanguificæ facultatis frustratione, aut serosæ partis sequestratione læsa. *Causa.*

4 Nobis autem, cum dolorificus est fluxus, non videtur secerni, & ab eo qui fit ex corrosione vasorum, de qua in superiori articulo: vel eorundem vlceratione, de qua inferius. Necessum est etiam vbi & ista affuerint, venarum aperta esse, vel rupta, vel laxata orificia; sanguinem verò serosum: & tunc causa inuestiganda est, vnde ista fiunt. Nam facultatibus tribuere, est idem per idem declarare: hoc enim quærimus cur retentrix non retinet, & cur expultrix nimis concitat: & cur sanguifica prauè coquit. Item cur vteri os relaxatur ita, vt sæpè procidat, & quasi pudendum masculinum fiat. Propterea arbitramur causam fluxus aut esse in vasorum laxitudine nimia, aut in sanguinis tenuitate, aut in impuritate turgente, quæ à spiritu eò extenditur, quorsum viam inuenit. Primam præcedens articulus curauit: secundam ille, qui fluxum epaticum prodidit: non enim fieri potest serosus sanguis, nisi jecoris intemperie percalida, vt ibi dictum est. Proptereaque horū fluor similis est aquæ, in qua mactata caro lota fuerit, ideóque & hydropi apta, cuius curam suo loco docuimus. *Propria sententia.*

5 Cum verò humorum vitio, & copia vterinus accidit fluxus, si sanguineus fuerit, apprimè rubeus: primo venam secabis in brachio parcè: deinde per constrictiones extremitatum, & diuersionem procurabis, & per frictiones. Inguinibus verò, & lumbis, & sedi mollia lintea succis frigidarum herbarum, vt solani, portulacæ, plantaginis, & huiusmodi, imbuta applicabis. Adde farinam hordei, decoctum rubi, lentisci, gallæ, aluminis, acaciæ, myrti, rosarum, & cætera adstringentia, & frigida spongiis excepta. Iuuat valde leporis *Cura.*

coagulum:

coagulum cum aceto potum: ſimiliter & agreſtæ ſuccus, & ea quæ in dyſenteria, & ſanguinis ſputo adhibuimus. Laudant Magi pilorum equinorum cineres in aqua ſumptos, quod efficacius reor ſi in aqua lentiſci, vel myrti, vel rubi, &c.

7 Cum ſeroſus ſanguis factus continuo ſtillat, ex præcedentibus facile noſces jecoris intemperiem calidam; & tunc vtere craſſis cibis, bonæ tamen ſubſtantiæ in lacte coctis, & aſſatis, quibus jecur temperetur, & ſanguinem craſſiuſculum procreet: quemadmodum cum de fluxu epatico, & hydrope loquebamur, præcepta dedimus. Qui ergo ſerum purgant, non rectè faciunt, niſi prius eius cauſam ſuſtulerint.

8 Cum ergo Galenus curat Boëti vxorem ab hoc morbo per dies quindecim: primò purgando per aluum, ſecundò per vrinam, tertiò per ſudorem, & tranſpirationem, ea adhibendo, quæ præfatis conueniunt purgationibus: nequaquam jecoris intemperies calida ad hydropem prona ibi agnoſcenda erat, ſed vitium in obſtructa cute, & in via, quæ ſerum in vrinarum ducit vias. Itemque in via ad vteri apertionem, & vſum plus æquo factum. Nec ſeroſa modò ſubſtantia, ſed altera peccans inerat. Quapropter per aluum quidquid per cutem non exiens in vterum labebatur, purgauit prius, deinde per ea, quæ vrinam cient, vt diſceret humor, qui in vterum ibat, in veſicam declinare: Aperuit poros, vt tranſpirare aſſueſceret, nec in vterum reuerti in aquam actus.

9 Quas ob res nos etiam pituitoſum ſanguinem hiera, agarico, & myrobalanis purgabimus prius: bilioſos verò infuſ. roſ. rub. & citrinis myrobal. deinde quæ cient vrinas conſulemus calida, tenuiſque ſubſtantiæ, & renes reſpicientia, vt ſerum ſequeſtretur facilius à ſanguine, & frictiones, & cucurbitulas addemus. Præterea quæ diximus ſupprimere menſtruum in articulo præcedenti applicauimus; qua in re alij vtuntur ſarza parilla, & quibus ſudor cietur, & corpus exſiccatur, & demum ſanguis incraſſatur.

10 Cum ſanguis ſtillans ceſſauerit, fuge balnea, exercitia grandia, vrinam cientia, acria, ſalſa, & vterum reſpicientia, quieti, & incraſſatiuis rebus prius aſſueſcat patiens, ne iterum regeneratus, aut irritatus fluor in vterum confluat.

11 Præterea memento, dum manat fluor, tepida aqua, abſterſiuis rebus conſperſa, vterum ſæpè lauare: deinde etiam adſtrictiuis,

strictiùs, ne vlcera sanies generet. Adde lac vbi vlcus, aut erosio, vt infra.

De vteri strangulatione.

ARTIC. VI.

1 VTerum strangulari aiunt cum sursum, aut in latus retrahitur; diraque causat symptomata.

2 Cum enim accessio mali futura est, pallor faciei, tristitia, pigritia, torpor mentis, crurum imbecillitas apparent. In ipsa verò accessione somnolentia, stupiditas, aphonia, priuatio sensuum, crurum contorsio sequuntur; pulsus paruus, debilis, rarus, deficiens. Respiratio deficit in ore, pulsatio sola manet: nec tamen sensilis semper: si quidem, vt actio, non vt actus remanere solet: humiditas in vulua erit. Intestina immurmurant in fine, & laxatur vterus, & paulatim sensus redit, & motus. Solet in quibusdam epilepsia fieri, in aliis conuulsio, & palpitatio, & vertigo, & delirium, quamuis spuma ex ore non egrediatur, vt in epilepticis. *Symptomata.*

3 Atquidem non sola vteri intorsio horum symptomatum potest esse causa, propterea Medici addunt refrigerationem corporis totius, quæ ad vteri frigiditatem fit: cúmque neque ista idonea sit, alioquin à niue magis fieret: & intemperie frigida reddita; rectè addiderunt quidam flatus vitiosos & putridos ex aliqua putrida materia in vtero genita: & per arterias cordi, & per venas, & neruos capiti, & principibus membris communicata. Nos autem & spiritus ad vterum pro leuando, tollendóque dolore confluxum, vt in cæteris partibus sensus, motùs, & respiratio, aliæque cessent functiones. Plato addit errantem vterum ad superiora, & latera, quasi animal res voluptuosas, quibus caret, ad generationem quæritans. Nec satis rectè à Medicis reprehenditur; si quidem non solum errorem, sed putridam materiam adducat flatum emittentem. Etenim planum est, quod vbi fœminæ odores naribus admouent, suffocationem patiuntur, vtero sursum vsque ad ventriculum ad odorem recurrente. Sique inferius odores posueris, statim deorsum excurrere videbis: & vbi fœtores posueris, inde aufugit, siue supernè, siue infernè. *Causæ.*

4 Quapropter arbitror cum fœtidi in vtero humores, vitiatique affuerint quacunque de causa, siue ex corrupto semine diu

detento; quemadmodum viduis, & monialibus accidit; siue ex copia vitiati menstrui egredi impotente, siue ex reliquiis menstrui, quæ in abortibus, & partibus fieri solent; siue ex vlceribus ipsius vteri; tunc vterum diris modis recurrere, & contorqueri, ac simul flatus diros emittere, spiritumque ad sui auxilium, & praui humoris, & vaporis expulsionem aduocare: vnde fit aliarum functionum, & sensus, & motus abolitio, siue intermissio: dolores etiam capitis, & palpitationes cordis ob fœtidam exhalationem. Similiter etiam epilepsiam, vertigines in spiritu modico relicto, si meminerimus quæ de his morbis suis in locis scribebamus. Sic enim omnia clarescent. Conuulsiones etiam comitantur, quoniam spiritus in vterum confluit è neruoso genere; nerui autem humoribus eius loco replentur, & succis; nec qui remanet eos prohibere potis est. Et quoniam maior est necessitas amoliendi malum, quam functiones edendi: ideò istæ omittuntur, vt in quarto libro docuimus pluries, vbi de pulsu, & respiratione hystericarum sermo habitus est. Hic nota, quod frigefactio nequaquam à frigefaciente vtero per corpus expanditur in hystericis, sed spiritu locum passionis petente, calore natiuo partes priuatæ, sicuti in repentinis pauoribus fit; frigescunt, pallescunt, torpescunt.

Periculosior strangulatio ex semine, quam ex menstruo.

5 Periculosiorem faciunt hunc morbum, cum à semine putrefacto multo ortum duxerit, quàm cum à menstruo retento. Siquidem ibi, & pulsus, & respiratio abolentur, conuulsiones, & animi deliquia fiunt, vt patet in viduis, & monialibus, priuatisque solito concubitu: & hoc fit, etiamsi menstrua in eis fluxerint. Vnde scimus semen esse in causa: item quoniam & vtero contrectato semen multum effundunt patientes.

Nec semper vteri contractio, & torsio fit, sicuti vbi peccat menstruum, quo vasa vterum munientia intumescunt, ac humore exudante conuulsio accidit, & paralysis vteri, quorum humor vrget magis. Fiunt & symptomata iam dicta, non autem respirationis, & pulsus abolitio. Plus enim natura patitur priuata bono, & affecta malo, quam malo solummodo affecta: propterea que plures ex semine pereunt, & hyeme, & autumno infestantur magis, quando semen crassius, & meatus obstructiores; & virgines, & viduæ, præsertim salaciores. Vtitur & diabolus vteri vaporibus

poribus noxiis in dæmōnoplexia; vt pluries docuimus experti, & ex doctrina Sanctorum.

6 Vt ergo ista mala non contingant, procurandum est vt virgines viris iungantur, similiter & viduæ iuuenculæ, vt etiam Apost. admonet; aut si Deo viuere volunt, cibis vtantur sterilium plantarum, & animalium, & qui semen potius extinguunt, quam gignunt; de quibus in superiori capitulo diximus. Abstineant à carnibus præsertim multis, & à vino, nisi cogente stomacho aquatum modicum bibere. Olera sunt eis aptiora, quàm semina. Potus cibique parcitas plurimum valent, & disciplina Patrum ad edomandam carnem. Tolle vsum, & sermones, & cibos potúsque venereos; & victor eris. Ne autem ex mensium suppressione idem malum oriatur, quæ menses cient adhibenda erunt in cibo, & potu, & vulua; præsertim quo tempore accedere scimus. Exercitium, & res sanguinem purgantes valent. At cum accedit morbus, iubet Hippocrates naribus fœtores vrinæ, stercoris, assatæ soleæ, sagapeni, galbani, assæ fœtidæ, lucernæ extinctæ sulphurisque, adhibere. Vtero è contra odores storacis, aloës, caryophylli, thuris, zibethi, ambræ, & huiusmodi, apponere. Verum ad quid ista fiant, Medici non satis intelligunt, cum ad frigefactionem tollendam tam contraria adducant, aut ad conuulsionem.

Virginitas quibus sine morbis seruatur.

Cura cum ex mens.

Nostro autem in dogmate extemplò affulget ratio: ex quo enim spiritus corporeus, qui odoribus nutritur, & fœtoribus perditur, corpus regens, ex capite, & corde, & arteriis cogitur in vterum ad tollendas causas doloris confluere, necessariò cætera membra sensu, motu, & calore priuantur; ipséque spiritus ibi vnitus suffocatur, & minuitur: munia verò suæ refectioni necessaria, quæ sunt respiratio, & pulsatio, omittit. Itaque eodem tempore minuitur labore vteri, & non reficitur sua in sanguinem actione; vnde necessariò sequitur mors. Propterea experientia docuit veteres, fouere spiritum, & allicere. Dum enim spiritus à tetrioribus odoribus se in capite, & corde infestari sentit, reuertitur ad respirationem, & pulsum edendum, & corpus sensificandum: odores verò in vtero admonent spiritum, ibi non esse opus tanta eius attentione, sed vt reuertatur in caput, vbi maior indigentia: siquidem odores tollunt ab vtero fœtorē, & flatum dirum, supplentque vicem

 spiritus,

ſpiritus,adiuuantque ſimul implantatum, qui remanet ſpiritum, ad prauitatis expulſionem.

8 Quas ob res vbi vocibus, & aceto, & pipere in naribus non reuocatur ſpiritus,tunc fœtores applicandi:caput etiam aceto,& roſacea perfundendum eſt,vt tetri vapores vteri diſſoluantur, & ſpiritus rediens auxilium habeat contra eos. Vtero verò non ſolum præfatos odores,ſed etiam olea calida inicies,nardinum,irinum,rutaceum, & in quo cuminum, moſchus,aniſum,& huiuſmodi.Sic enim deorſum ſponte recurrit ad horum fruitionem:ac propterea aperitur, & laxatur ad prauos humores expuendum. Propterea obſtetricis manus eiuſmodi oleis intincta contrectabit leniter, & titillabit vterum, vt exorta voluptate ſemen prauum emittat; quod Galenus in vidua faciens ſtatim liberauit ipſam. Adduntur etiam peſſi in his, quæ ſuppreſſione menſium laborant, quales ſuo loco docebamus. Nec zibethi, & moſchi vnquam obliuiſcaris, quibus ſupra modum vulua delectatur. Præterea aluus clyſteribus acutis, aut ſuppoſitoriis ſubducenda: veſica cientibus mictum:nec vterus ſtercoribus, & vrina medius prematur magis.

Item præcordia faſciis premantur;abdomini, ſedi, & inguinibus ſacculi ex rebus,quas menſibus ſuppreſſis applicabamus,admoueantur, & hæreant. Inſeſſiones non fiant; quoniam mulier aptari eis nequit dum patitur: at ſpongiæ imbutæ decocto cientium menſes,non ſunt reſpuendæ.Cucurbitulæ etiam,& ſanguiſugæ non ſunt aſpernandæ.

9 Vbi verò quieuerit acceſſio,purgandæ ſunt agarico,hiera,ſagapeno,fœtidis pilulis,prout ratio poſtulat. Syrupi autem erunt de his rebus, quæ ſemen minuunt, aut menſtruum mouent: de quibus ſæpe: nec ceſſent peſſi ex moſcho, zibetho, diamb. ruta, git,cumino,&c.Similiter & olea,vt ſupra.

10 Laudant Magi teſtudinis epar tritum in peſſo.

De procidentia vteri.

ARTIC. VII.

Quid & quotuplex. 1 E Contrario vterus foras elabitur, aut totaliter euerſus, aut ex parte. Quod tripliciter fit, aut per transformationem,aut per paſſionem morbificam intrinſecam, ſiue extrinſecam.

2 Transformatur quidem cum concauum extrorſum emiſſum fit conuexum, maſculinique pudendi ſpeciem aſſumit, quemadmodum apud Plinium, & Galenum, & Teleſium, & in hiſtoria Neapolitana, legimus de fœminis in viros conuerſis.

3 In cauſa eſt pronitas ad luxuriam, titillatio, agitatio, & ligaminum exilitas. Compertum eſt enim, quo primo die, quo ad nuptias feruntur, ex auiditate maſculeſcunt: & quædam virgo in Amatrice, oppido Picenorum, virili confricatione alteram amplectens in maſculum verſa eſt. Neapoli vero abſque his actibus puella nata poſt octauum diem verſa eſt in marem ſola pronitate, & laxitudine. In his nulla adhibenda eſt medicina, ſed natura perficiendum. Vidi poſtea monialē Hiſpanam de Ouiedo verſam in marem, & factum militem. Facies tamen aliquid fæminei gerebat. Sed veretrum maſculi vidimus multi Neapoli in caſtro nouo. *Cauſa.*

4 Morbificæ vero cauſæ duplices ſunt, alia interna; vt cum plurimi humores in vterum confluentes foras impellunt. Item ſi muſculi ſuſtinentes vterum, ac membrana, reſoluuntur ex ætatis inclinatione, aut partuum frequentia; quæ omnia facilè innoteſcunt.

5 Aliæ ſunt externæ; videlicet caſus ab alto, magnus conatus, plaga vteri, oneris eleuatio, magnus animi affectus, quibus valdè commouentur: ita vt ligamentis relaxatis vterum ſecundum os extra feratur quaſi oui magni perſimile, cum ſanguinis eruptione, dolore lumborum, præcordiorum, ac pudendorum.

6 Vtriuſque cura à repoſitione vteri in ſuum locum incipiet, eleuatis cruribus, depreſſis lumbis, prout ratio poſtulat. Vtque melius fiat, ſtercora, & vrinam per clyſteres, & ea, quæ mouent mictum, euacuentur: deinde oleo tepido, vel butyro, vel maluæ, althææ, plantaginis, betæ, ſem. lini, & huiuſmodi decoctione partem promiſſam vteri fouebimus. Mox lanam complicatam intra tenue linteum figura, & craſſitie vtero reſpondentem, acaciæ, vel hypocyſtidis ſucco, vel vino madidam applicabimus, vel impellemus paulatim, donec tota moles vteri ſuum in locum reponatur. *Cura.*

7 Ne autem vterus relabatur, odores naribus, & cucurbitulæ vmbilico applicabuntur: lumbis verò adſtringentia, & frigida: vteri orificio lana, vel ſpongia aceto perfuſa, vel vino nigro, vel decocto myrti, rubi, mali granati, & ſimilium ſubdetur. Fient

etiam cataplasmata,& cerata ex adstrictiuis, & odoratis rebus,& sale,& aceto, vt Medicis videtur.

8 Verum consultius erit assæ fœtidæ,& solearum vstarum fœtores subiicere vtero; naribus verò odoramenta, vt non euerti, sed inuerti sursum discat, hoc enim promptissimum remedium experti sumus.

9 Præterea mulier ab exercitiis arceatur, & à venereis quiescat;& dormiat eleuatis poplitibus, depressisque carina,& ventre; nunquam tamen prona,sed supina,cibis exiccantibus,& agglutinantibus, boniquc odoris vtatur, & qui modicam faciant vrinam;nec ad mingendum & cacandum fiat vis:potius autem clysteribus iuuanda natura.

10 At verò si prolapsus vterus temporis diuturnitate, & iniuria computruerit,pars putrida emissa resecanda erit: nam etiam si totum resecabitur, periculum nullum aderit, vt Medici veteres probauerunt, nostráque tempestate Turcæ & veretrum,& testiculos amputant immaniter,rarò sequente morte:sanguinem enim,& confluxum humorum igne supprimunt,& adstrictiuis,& consolidatiuis rebus secundum artem.

De vteri inflatione.

Artic. VIII.

Indicia inflationis. 1 INflatio vteri agnoscitur ex crepitu aliquando ipsius vteri,nedum ex murmure,& rugitu, qui in abdomen etiam indidem communicatur,cum in sinu eius interiori flatus innascitur. Cum autem in eius spongiosa raritate etiam , nedum in fistula fit, dolores adsunt crudeliores;communicantur autem pectini,lumbis, lateribus, & vmbilico.

Causa ex Medic. 2 Causa inflationis est,aut frigefactio oris vteri,vt aiunt Medici;sed reuerà frigus per se non inflat, potius autem constipat, & indurat:sed repercutit exhalantes vapores,& humores,incrassátque ita, vt flatus crassus ex eis ingeneretur: etenim & masculi dum super frigidum sedent lapidem, crepitibus ex ano grossis exuberant.

3 Aut est ab humoribus multis in flatum versis;nam & cum post partum, & abortum sese flatus insinuare extrinsecus putantur: non est credibile,quòd tantos dolores,& inflationes faciant, nisi vt alij flatus ingenerentur sint in causa per repercussionem,vt di-

ctum

ctum eſt prius: non enim per inſpirationem vt in corde id faciāt, cum nullis follibus, & repercuſſionibus agant repetitis, & intruſis.

4 Curabimus flatum hunc vtrumque cibis, & potibus attenuantibus, & calefacientibus. Item oleis calidis vtero immiſſis, & fomentis acutis, flatum diſſoluentibus, ex cynamomo, aniſo, origano, &c. de quibus in colica paſſione, & ventriculi flatu meminimus: ſacculi etiam admouendi aromatici: & clyſteres calidi, tenuéſque. Quod ſi etiam perſeuerant flatus, minera expurganda eſt per hieram, & quæ flatum ſoluunt, & craſſitiem. Aliquando etiam per vomitum. *Cura.*

5 At ſi grumus, aut alia cauſa oſtium vteri obſerauerit, vnde retentus humor in flatum abeat; quæcunque reſerant, & grumum tollunt priùs dicta, hic adhibeantur.

Dè vteri vlceratione.

Artic. IX.

1 VLceratur vterus ſtillicidio acri, & ſanioſo: item abſceſſibus criticis, vel ſymptomaticis. Solet & partus, & coitus ardens, vitiatúmque ſemen etiam vlcus adiicere. Idem parit inflammatio. *Cauſæ 5.*

2 Indicia ſunt ſanies ſcatens, dolor punctorius vteri, capitis, & oculorum afflictio, exinde eleuatis vaporibus. Sed cum ex inflammatione dolor pulſat, & ſanies, paucior, & acrior. In ſordido vlcere copioſior, & minoris cruciatus. In depaſcente fœtidus, & niger cum vehementibus doloribus. Peius autem ſi & cancer aderit ſerpens. *Indicia.*

3 Horum cura eſt qualis contra phlegmonem, & vlcus. Nam mitigantia, frigefacientia, & aperientia requiruntur, de quibus in vlcere virgæ, & renum inflammatorum ſimul, in aliíſque de vlceribus dicta ſunt. Si autem cancer affuerit, in vltimo capitulo ſermo de eo nos manet. *Cura.*

De vteri inflammatione.

Artic. X.

1 COncurſus acris ſanguinis, & humorum multus, irritatione accedente, inflammationem in vtero parit. Item ictus, confricatio in equitatione, & retentio tranſpirationis. *Cauſæ 5.*

2 Horum ſigna ex præcedentibus cape: ſymptomata ſunt communia *Indicia.*

munia capitis, & lumborum, & pectinis, & vteri dolor, & tensio. Item digitorum, & colli conuulsio, vomitus, & nausea.

Cura. 3 Curatur, vt aliæ inflammationes. Primò venam aperiendo ad diuertendum, si partus, aut sanguinis euacuatio, & virium debilitas non præcesserunt. Frictiones, & ligamenta extremitatum fiunt. Victus tenuis, vt in cæteris præcipitur phlegmonis. Refrigerantia adduntur cataplasmata, & emplastra, non actu frigida; & quæ in aliis apposuimus. Præterea purgatio, si humores abundant peccantes, & cum suppurationis signa sæpè narrata, affuerint, iuuabimus; cum ruptionis, auxiliabimur per propria, & post abscessum, per sua abstergentia, & solidantia; de quibus sæpè, &c. Pessi valent insuper ex lacte, butyro, & lenitiuis, & repercussiuis ante suppurationem: deinde ea, quæ huic conferunt.

De mola.

ARTIC. XI.

Quid mola, quæ causa. 1 MOlam esse informem carnem in vtero mulieris genitam ex vitiatis seminibus masculi, & fœminæ: atque ex menstruo sanguine per calorem concretis, arbitrantur omnes. Nemo tamen defectus huiusmodi rationem pandit, sicut neque monstrorum. Videtur tamen sapientiæ formatricis participatio in spiritu stupefieri ob vitiatum sanguinem: itaque & fabricam architectari non valere, qualis fœtui concepto requiritur. Potestatiuum quoque læditur, eo quod pauci seminis vis à multo menstrui profluuio obruitur.

Indicia. 2 Cognoscitur mola ex hoc, quod omnia prægnantis indicia habet, scilicet vteri tumorem, & mammarum, sine tamen lacte; appetitus ruinam, mensium suppressionem, stomachi subuersionem, lumborum grauamen, colorem pallidum. Adest tamen & dolor punctorius, & motus carentia, quæ in prægnante non sunt, sed reclinatio quædã per manus prementes facta; & gracilescit corpus, & intumescit venter, quasi hydropicorum; non tamen cedit tactui, nec sonat, vt in hydropicis.

Gestationis tempus. 3 Fertur in vtero per annum, aut duos, aut tres, & paritur vt fœtus; aliquando plus perseuerat, & consenescit, aliis vsque ad mortem, sæpè in hydropem degenerat: aliquando sanguinem cum dolore emittit. Horum ratio facilis, & in promptu, ex forma vteri, & molæ, eiusque qualitate, ac quantitate.

4 In

4 In curatione præcipitur victus, qui nec semen, nec sanguinem multum, neque excrementa generet, sed qui aperiat, & frangat, vt in lapide renum, & vesicæ dictum est. Vterus amplificetur adipe, oleis, medullis, vt dictum est, cum de eius obstructione loquebamur. Deinde ea quæ cient menses, & vrinam, adhibeantur tam in cibo, quàm in pessis, cataplasmatibus, & emplastris. Laudant anethum, & rutam in vino pota. Cætera in capite de vesica, & renibus, & hic in articulo de suppresione mensium: caue ab his quæ retinent; de quibus in alio articulo. *Cura.*

Bonum esset, si quis intrudere intra arundinem aliquid corrosiuum posset, quod tamen per immissum stylum non efferatur ex arundine, donec molam tangat, ne vterus afficiatur: si tamen mortua mola spes est vt minuta, & putrefacta absque periculo excernatur. Ea etiam, quæ secundas extrahunt, hic valent, de quibus in artic. sequenti.

De partus difficultate.

Artic. XII.

1 QVoniam difficultas partus accidit aut vitio parturientis, aut fœtus, aut secundinarum. *Distinctio.*

2 Vitium parientis primum est, si obesa sit strictóque ore vteri: quod ex habitu corporis, & ex tactu agnoscitur. Huic succurritur, si vterus manu obstetricis adipe, & medullis obtrectatus mollior redditur, laxatúrque. *Causa, indicia, & medela singillatim ex parte parturientis.*

3 Si vero densitas, & strictio à frigore est, tunc calidis oleis, & potionibus vterus, & venter sunt præparandi.

4 At si timiditas mulieri obest, tunc confortabitur rationibus bonis, & vino expellente timorem, & leonis pinguedine.

5 Si primipara, & inexperta, docenda est, vt timorem spernat, flatum contineat, & musculis abdominis premat fœtum, sicut solemus stercus; & in sella ponenda genibus sublatis, & abdomine erecto, vt os vteri deorsum propendeat in hiatum.

6 Si autem debilis ob relaxationem fuerit, & spirituum resolutionem, quod ex corporis imbecillitate, voce exili, aliisque notis, scitur: tunc ægram brodiis, & odoribus benè reficientibus confortabis: & insessionibus, & aspersionibus ex vino, myrti decocto, & vstis soleis, & rubis, cæterisque laxationem adstrin-

gentibus, os autem vteri non claudentibus, vtendum.

7 Si stercora, aut vesicæ pondus, aut calculus obfuerit: his per medicamenta suis dicta locis, prius prospiciendum.

De partus tempore. 8 Si partus fuerit ante tempus, hoc est ante septimum mensem, lumbis affigemus, & abdomini, & pectini quæ partum retinent. In septimo enim aliquando, octauo, nono, decimo, & vndecimo nascuntur, & viuunt, nisi fœminæ fallantur, cum deficientibus menstruis concipiunt vno mense. Tunc tamen verè secundum naturam erit, cum alimentum in fœmina amplius sufficiens non habet, & robur suum acquisierit: ita, vt præ indigentia calcitret, rumpatque, quibus inuoluitur, membranas. Vnde lassus in octauo, si mouit se in septimo, nascens non suffert aëris iniurias, moriturque: aut quia octauus mensis est saturninus, aut ob cæteras causas in Astrolog. & Physiolog. olim scriptas.

Ex parte fœtus. 9 Difficultas ex parte fœtus est, si nimis magnus corpore, vel capite, cui proinde videatur angustum vteri os: idque ex mole tumoris, & tactu, & parentum magnitudine venabimur. Auxiliabimur autem os vteri dulcium amygdalarum oleo, butyro, & gallinæ, & facile parturientium animalium pinguedine, illinendo, laxando, & manu simul amplificando.

10 Si autem fœtus imbecillis sit, exiguusque, vt egredi non valeat: mulier abdominis pressione sese adiuuet.

De numero fœtuum. 11 Cum vero fuerint duo vel tres, vel quatuor, vel quinque in vtero, vt sæpè accidit, & quidem Margarita Flandriæ Comitissa 365. edidit, & baptizauit, quod portentosum fuit: tunc alterum post alterum obstetrix extrahat: & si simul in vteri os collabuntur, reducendi sunt manu, & natium erectione, & deinde dextrè singuli extrahendi.

Configuratio nascentis qua. 12 Et cum naturalem configurationem exeuntis non seruat fœtus, periculosus est partus valde sibi, & matri. Naturale quidem est, si in caput exeat admotis ad femora manibus: vel si pedes prius iuncti exeant, manusque adhærentes lateribus sequantur. Si autem nates, aut venter, aut alia media membra in os vteri primo inferantur, vel vna manus exeat foras, vel pes vnus: tunc non est trahendus foras, ne luxetur rumpaturque ipse, aut mater: sed dextre intrudendus manu calida adipe lita, iunctis intromissa digitis; conandumque vt naturali configuratione adepta prius, mox extrudatur.

Cura. 13 At si mortuus fuerit partus, ex motus priuatione agnitus, diffici

difficilior erit; tunc trahendus obstetricis manu pellendusque matris abdomine: & cum desperatur configurationem adipisci posse cōmodam, & mors eius, matri, ob putrefactionem, minatur mortem: tunc per chirurgiam particulatim sectus extrahendus, quod etiam viuis misere faciendum: ne ipse, ac mater simul pereant: & si tangi potest, ita prius baptizandus, multo autem magis cum partus monstrosus fuerit, biceps, triceps, quadrimanus.

14 Contingit etiam matrem mori fœtu viuente: & tunc latus cædendum, vt fœtus extrahatur, ex quo dicti sunt Cæsares.

15 Ex parte secundæ membranæ partum ambientis, difficilis est partus, si dura fuerit, ita vt à fœtu rumpi nequeat, tunc nos ipsam arte dissecabimus. Si verò tenuis, vt facile prius rumpatur, quam fœtus exitum adoriatur: tunc sanè fluens humor, qui laxare vteri os habet, collectus inter membranas in causa est, vt remaneat ariditas, & fœtus ad exitum non vnctus. Consulemus his, loca vteri oui albumine, decocto maluæ, aut fœnugræc. perfundendo, & madefaciendo. *Ex parte secundinarum.*

De secunda derelicta.

Artic. XIII.

1 Prodeunte fœtu secunda membrana, quæ radices in venis duabus, duabusque vteri arteriis agit, vnde per vmbilicum alitur, spiritumque sumit fœtus, aliquando non rupti s hæret radicibus: quæ si relinquatur putrescit, suaque exhalatione pestilenti caput, stomachumque, & cor afficit ad necem.

2 Extrahitur ergo prius, sternutationem per sternutatoria procurando: deinde verò manus calida adipe inuncta, vtero immissa paulatim extrahet, si complicata in aliqua vteri parte residet: si verò radicibus hæret, pedetentim euellatur, non per vim recta extrahendo, ne vterus simul procidat, sed ad dextram, & ad læuam, donec extirpetur, ac simul tandem efferatur absque mulieris incommodo. *Cura.*

3 Si autem vteri os conniuet, pinguibus, & fomentosis aperiatur, vt supra: & fomentis ex origano, aniso, pulegio, & rebus, quæ menses cient interea, & odoratis inspergatur, ne fœdus odor secundæ corpori noceat, exituique apta reddatur. Valet & in

mulſa epota,bdellium,ſabina,thus,ſtyrax,lapis gagates, artemiſia,&c. Item peſſi ex myrrha,& cyclamino,adipe anſerino,& oleo irino. Etenim ſi extrahi non poteſt per vim,putreſcens paulatim exibit in fruſta diſcerpta per obſtetricis manum;& prædictis rebus adiuta,ne moleſtet puerperam.

4 Ex Magia valet ad ſecundas educendas, & mortuos fœtus, ariſtolochia, cyclaminus, iuglans, nux indica, pinus, arum, dracunculus,allium,cornu cerui,equæ axungia,fel cati,canis ſecundina,hippogloſſum.

5 Partum facilē reddunt lapis aquilinus,corallium,ſtyrax,radix polygoni, cruri parturientis alligata. Item ſtercus falconis,crocus,ſaccharum candidum; cynamomum, caſſia, myrrha, caſtoreum, cicerum rubeorum decoctum, & fœnugræc. in vino, aut aqua capill.ven. Item pini cortex,& reſina,& cuminum in ſuffitu.Item fel cati,& canis; torpedo,paſtinaca marina, ſquatina,galeus,vipera,lien equæ,& vngula,anſeris ouum, caro lupi ſecundum artem applicata.

De inſtrumento nutritionis ſpeciei: eiúſque morbis, hoc eſt, de mammillis.

CAPVT XXII.

Morbi quatuor mammillarum.

1 APpetitiui multiplicationi deſeruiebat vterus: eiuſdem nutritioni deſeruiunt mammæ: quapropter de iſtarum morbis,& medela dicendum venit:non enim ſolum habent analogiam,ſed etiam vaſorum communitatem. Siquidem lactantes etiam menſtruo carent, quemadmodum prægnantes, vt lactis generationi natura ſufficiat. Sunt ergo mammillarū morbi defectus lactis,& redundantia, & grumeſcentia, & inflammatio, de quibus ſingillatim.

De lactis defectu.

ARTIC. I.

Diſtinctio cauſarum defectus lactis.

1 DVplici ex cauſa deficit lac,primò ex intemperie calida,ſiccaque,ſiue naturali,ſiue accidentali.Illam agnoſcemus ex temperamento ſicco,& macilentis mammis, duriſque pulſibus: hanc ex modico exercitio,& laborioſa vita: quam in ruſticanis, & ſaltatricibus deprendimus; quas propterea etiam menſtruis carere

carere docuimus. Harum curatio fit per ocium,& balnea dulcia, *Cura.* & cibos humidos, facilè in substantiam fœminæ conuertibiles, præcipuè sanguineam,& lacteam; quales sunt hœdorum carnes, caponum,porcorum,&c. Vinum, lac,amygdalæ, pistacia, pineæ, &c.in sequenti num.

2 Ex defectu boni sanguinis siue naturaliter, siue accidentaliter: quod ex colore pallido,malo corporis habitu agnosces. Item ex immodicis euacuationibus per medicinam, aut menstruationem,aut hæmorrhagiam mariscarum,&c.Curabitur ergo per ci- *Cura.* bos probum facientes sanguinem,humidos, blandéque calidos, idest,pullos gallinaceos, capones, vitulinam, anserinam, hœdinam, oua sorbilia, amygdalas, pineas,cythisum, ptisanam, anethum,sesamum,marathrum, puluerem lapidis galetidis, vuam, lactucam, cucurbitas, cerasa, pisces saxatiles. Coques autem in lacte carnes valde vtiliter.Vinum etiam lacte mistum propinabis, & mulsam.Curabis etiam ne menstrua defluant per supprimentia,nisi pessimus sit sanguis.

3 Cum ergo sanguis vitiosus est, purgatio addenda siue bilis, siue melancholiæ,& cæterorum excrementorum, secundum artem:& cibis vtendum humori contrariis,lacti vero amicis. Item mammæ perfricandæ,vt lac ad ipsas concurrat,& exugendæ.Sæpe enim defectus suctionis ex debilitate infantis causa est, vt aliorsum sanguis viam teneat.

De lactis redundantia.

Artic. II.

1 Adeò in quibusdam redundat lac,vt grauentur,& doleant, *Descriptio.* & nisi succurreris inflammetur,aut grumescat. Causa est *Causa.* boni sanguinis copia turgens,& menstruorum retentio.Cum quibus semper etiam boni sanguinis affluit pars.

2 Curantur venæ sectione in poplite, & menstruorum procu- *Cura.* ratione: ictu tenui & pauci sanguinis ex aceto vtendum; aqua, vel cynamomi decocto. Prosunt exsiccantia citra calefactionem nimiam, emplastra & cerata mammis apponuntur adstringentia & infrigidantia,ex myrto, mentha, ruta, plantagine, farina fabarum,lētium,rapistro,portulaca,coriandulis,ex pyrite lapide, & aceto rosato,posca,croco,cumino,fœnugræco,psyllio.

3 Restinguunt alia lac penitus psyllium cum aceto,& alumine,

 & corian

& coriandri succo, ac rosaceo. Item fœniculum, apium, oreoselinum, malua, althæa, radices, folia lauri, & chamomilla decocta & panno excepta mammillæ applicata. Addunt resinam terebinthinam sæpius vino & rosacea ablutam, cum duobus ouis, & croco in papillis bis in die in modum cerati. Item ea, quæ lac dissoluunt, vt in sequenti articulo.

De lactis induratione.

ARTIC. III.

1 LAc indurari in mammillis contingit aut propria crassitie, copiaque, aut calore ibidem præualente, quemadmodum cum feruet in cacabo, condensatur.

Causa. Correctio 2 Putant alij conuerti in caseum à calore; in grumum à frigore: sed reuera frigus nullum, nisi valdè potens, lac indurescere facit; quod quidem in mammis inueniri nequit, cum non nisi à calore gigni possit. Verum est, quod coagulo acetoso condensatur, non quidem tãquam frigido, sed calido acutè partes tenues educente; reliquas verò tum propter sui similitudinem cum illis, tum tenuium abscessu cogente: quod tamen manifestius facit potens calor, à quo solo in grumum verti putamus; nisi forte quis pro frigore acetositatem quandam accersat.

Cura. 3 Si copia lactis parum, vel nil exusti, sit in causa, tunc ea, quæ lac diminuunt, vt superiori articulo declarata, conueniunt: si tamen prius sensim lac in mammillis concretum quis exsuxerit.

4 Si verò nimio calore condensatur; quod habitus corporis, & ardor declarat, tunc cibos substantia frigidos adhibebis: mammas verò portulacæ succo, solano, & rosacea perfundes. Item alsine, & cimolia terra, & aceto, & althææ decocto, fœnugræc. & huiusmodi.

5 Si crassities sanguinis lac de se crassum viscosumque producit, tunc ea, quæ sanguinem attenuant adhibebis, & cibos tenuis, calidæque substantiæ. Præterea coagulum leporis ex aqua tritum, & epotum, & mammis appositum, lac fluidum reddit.

6 Idem facit calaminthæ folium, laser, acetum, menthæ folia, hinnuli coagulum, flos brassicæ, papauer, & quidquid solet coagulare, coagulatum lac dissoluit.

De mammillarum inflammatione.

ARTIC. IV.

1 Contingit puerperæ inflammatio mammillarum ex lactis redundantia, & coagulatione: præsertim vbi biliosus sanguis lactescit. Cæteris vero fœminis sanguinis abundantia biliosi irritati inflammantur: præsertim si ictus, aut morsus, aut nimia exsuctio interuenit: quibus non curatis & scirrhus, & cancer, & suppuratio & vlcus accidere solent.

2 Curabuntur venæ sectione, diuersione per extremitatum ligaturas, sed præcipue per mensium prouocationem, & cucurbitulas circa vterum, qui mammis correspondet.

3 Contra grumum ea, quæ lac liquefaciunt adhibebis: contra inflammationem ea, quæ refrigerant: præcipuè autem citrullum, & lac asininum; acetum exceptum panno in aqua gelida. Conuenit & decoctum chamæmeli, & oleum rosaceum cum aceti mistura mammis adhibitum. Item farina hordei, fœnugræc. sem. lini, sesami, aut medulla panis cum butyro, vel lacte per modum emplastri. Valet althææ decoctum, & maluę, & cætera aliis in inflammationibus celebrata.

4 Si signa suppurationis affuerint, per ea, quæ illi conferunt, adiuuabis: & cum ruptionis tempus affuerit, per ea quæ rumpunt: quo peracto per ea, quæ abstergunt, & solidant, vt sæpe dictum est.

De morbis exterioribus, cutem fœdantibus.

CAPVT XXIII.

Postquam de morbis corpus spiritúmque intus afficientibus, dictum est singillatim nunc de morbis qui extrinsecus in cute munitiuæ organo potestatis, sedem habent, aut manifestantur, dicere conuenit: quorum alij per vim extrinsecus illatam inueniuntur, quorum negocium Chirurgis demandandum est. Alij verò extrinseca ex causa vel innata, vel contagio fœdata, ortum habent: & de his primò ratiocinabimur. Horum alij cutem primo maculant, alij tumefaciunt; alij vlcerant; alij vtrumque: Rari enim sunt, qui postquam tumefecerint, non vlcerent etiam; similiter & qui maculant. Sed distinctio accipitur *Distinctio.*

ab

ab eo, quod primò & principaliter accidit. Vlceratio enim non semper, ac principaliter, sed ex consequenti fit: vt patet in carbunculis, & apostematibus, qui tumores sunt, ad quos sequitur vlcus, cum suppurantur. Incipiendum ergo à maculis, tanquam à simplicioribus.

De causis & occasionibus morborum externorum.

ARTIC. I.

Distinctio notabilis. 1 OMnes quidem morbi cutanei fiunt, aut ex nimia humorum ad partes exteriores effusione: quos sanè natura neque prorsus attenuare, & in vaporem actos foras educere potest; neque quales sunt crassos statim, rupta cute, propellere, qui proinde immanentes diuersos tumores, & vlcerationes, & maculas efficiunt, nouosque colores, vt patet in apostemate. Vel fiunt ex prauitate atque impuritate humorum, quæ extrorsum segregata in cute sedem locat, eamque fœdat, vel etiam forat, vt de næuis in Physiolog. dicebamus, & lentigine, & impetigine. Aut à partis alendæ deprauatione: siquidem cum nutrimentum probum ad ipsum accesserit, non accipit ex eo quod sibi proficuum, sed quod deterius, ipsa deteriorata aliquo ex accidente: simile enim simili nutritur: & in hoc locum habet vitiligo. Si accipit & proficuum, & dissimile, siquidem nutrimentum nullum soli particulæ attrahenti simile est, sed inest illi & pars ad alias partes transmittenda, & fæx in cutim extrorsum propellenda: quam sequestrationem cum non fecerit pars alenda, in morbum incidit de natura propellendi humoris. Est etiam vbi debilitas conuertendi in suam substantiam nutrimentum, efficit, vt ipsa potius in nutrimenti naturam abeat, sicuti qui inebriantur, vinosi fiunt carne, & spiritu; & qui mordentur à cane rabido, canini, dum venenum vincit temperiem nostram, & non temperies venenum in se vincendo commutat. Quapropter multum interest, an prima coctio peccet in ventriculo facta, vbi morbi viscerum fiunt primorum: an secunda in jecore, vnde intemperies, & innutribilitas membrorum accidit, & aqua intercus, &c. an tertia, quæ in membris fit dispertito alimento, siue totis, siue vni, vnde morbus communis in tota cute, aut in vno fit membro exteriori.

Vitium in triplici coctione quid possit ad cutem.

De morbis maculosis in cute.

AD maculosos cutaneos morbos spectant impetigo, cuius pruritus est, scabies, lepra, porrigo, achores, seu tinea, alopecia, ophiasis, mentagra, vitiligo, cuius est leuce, alphos, & albus, & niger; elephantiasis, suggillatio, vibex, & multa huiusmodi; de quibus singillatim loqui oportet. *12. Morbi maculosi.*

De impetigine, pruritu, scabie.

ARTIC. II.

1 IMpetigo cutis asperitas esse videtur non totius, sed quarundam partium gracilis, acuta, serpens vt plurimum in facie deturpánsque superficiem; scabra est tangenti, & pruritum addit: solet tamen pruritus citra scabrositatem vllam fieri ita, vt scalpendi assidua cupido adsit, & vlcera non sequantur: huic solet succedere scabies, quæ etiam tubercula addit, & furfures, & pus. Suscipit scabiem lepra sæuior, qua etiam corpus liquescit, & tabescit. *Descriptio impetiginis.*

2 Impetiginem facit spiritus sordidus ex pituita salsa, putri acríque, in extimas delata partes, pungensque cutim: ex qua cum exire non valeat, cuniculos facit subcutaneos, serpítque quorsum facilior via. Potest & à bile acri, & seroso humore amplius cocto, externásque delato in partes fieri: vbi refusus introrsum serpit. Non enim ita facilè in cæteris partibus fit ac in facie, ictibus aëris opposita, densataque: sicut tubera è contra & vlcera in cute graciliori solent grassari. Cum autem præter paucos siccosque humores alij ad cutim confluxerint, tunc fit psora, seu scabies per totum maiori fluorum copia; & quidem iidem humores acres eius sunt in causa, sed copia addita ampullas producit ex mistura seri & alterius pituitæ. Si autem bilis atra torrida affuerit, lepram faciet. De qua sequens articulus contexetur. *Causa.*

3 Pruritus si à cõtagio ortum ducit, cutis succum indicat læsum, & spiritum ibidem implantatum: & tunc facile sanatur solo dulci balneo educente vaporem prauum, quem contactus scabiosi hominis induxit: sit autem balneum tepens, & confricentur benè omnes partes ita, vt exhalet vapor malus. Deinde addantur lauacra ex vino optimo, & aceto, quæ vaporem illum occidant, *Curā.*

& meliorem inducant. Hoc autem facilè pro voto succedit, si subito medela applicatur, antequam ad interiora labefactanda vapor ingeratur : præsertim in jecur & viscera, sanguinis officinas.

4 Si autem sanguis praue affici cœperit, & phlebotomia erit à principio adhibenda, ne subministret cuti prauitatem; & purgandus, & bonis reficiendus cibis.

5 Et cum prauitas non desierit, ponatur in balneo contusum apium, farina fabarum & lupinorum, fœnugræci, malua: adduntur fomenta ex saluiæ, origani, pulegij, lauri, & radicum cucumeris siluestris decocto.

Item affricatio sulphuris in puluerem acti axungiæ mistum, & apij succo, & nucum cortici, sola salutem præstitit non semel.

6 Si autem non ex contagio, sed ex prauitate intemperiei diu contracta, pruritus affuerit: purgandi sunt humores ex arte prius; deinde balnea, & affricationes sulphuris sequantur.

7 Cum pruritui scabies adiungitur; si inueterata fuerit, aut ex se enata, sectione venæ opus est, & pharmaco solam purgante pituitam, & bilem, præsertim atram; deinde balnea sequantur, & inunctiones ex sulphure & succo scabiosæ, & oleo, &c.

Item calx, & oleum sæpè profuit; oleum vt pateat introitus, calx ad occidendum vaporem & humorem serpentem. Deprauatus enim spiritus crassus facere solet fœditatem scabie, vnáque humor, quem calx, & sulphur non deleret, si pituita salsa esset in causa mali, vt videtur Medicis : immò augeretur simili. Neque enim attractione educit calx, sed abstersione humoris & extenuatione succulenti vaporis extinctionéque.

8 Impetiginem simplicem iisdem curabis. Adde affricationes ex parietariæ succo acetóque cum puluere ammoniaci, vel folia vitis in aceto trita. Item alumen, sal fossile, staphis agria, lithargyrium, & multa huiusmodi, aceto, butyróque affricata. Sputo etiam ieiuni impetigines sanari vidimus. Et excoriatoriis rebus nitro, ære vsto, vitriolo, elleboro, &c. vbi inualuerint, vtuntur Medici: mox vlcera repurgant, & glutinant tandem ex arte.

Præfatorum morborum victus sit ex carne iuuenili, pullis, vitulina, lacte, cichoriis, lupulis, buglossa, ptisana, malua, beta: Aues ficedulæ, turdi, perdices, &c. Caue ab alliis, cæpis, pipere, sale, cæterisque salsam pituitam, aut acres quoscunque humores, gignentibus. Item à carne vaccina, ceruina, & auium coruini generis, &

cicere,faba,lente,brassica:& quidquid melancholicum & salsum auget humorem. Item à sorbitionibus pinguibus & humorem augentibus. Siccus enim esse debet cibus, & potus ex vino albo abstersiuo,vel ex sero:aut si humidus est,brodium sit cichorij,endiuiæ,aut cæterarum rerum, quæ sanguinem mundant, & jecur temperant:de quibus alibi.

De vitiligine, lepra Iudaïca, Arabica, Græca, Gallica.

Artic. III.

1 Lepra,in quam degenerare scabies Medicis videtur,ex atræ bilis accursu,ac mistura cum pituita salsa, squamulas, & furfures, & bullas sæuiores habens, à cæteris lepris, de quibus Græci,& Arabes,& Iudæi experti scribunt, multipliciter differt: propterea singillatim dicere de cunctis conuenit. *Descriptio.*

2 Lepra Iudæorum quasi vitiligo esse putatur:est enim vitiligo coloris cutis in albedinem mutatio citra cutis vlcerationem. Ex eo prouenit, quod extima pars alimentum mutare nequit, aut quia alimentum ipsum pituitosum glutinosúmque est, nutriendóque carnem, sui coloris eam reddit instar carnis polyporum, locustarum marinarum;quæ ex simili succo generantur,nutriunturque.Degeneratio ergo alimenti, alitæque proinde partis, aut partis,priusque alimenti:& duplex esse dicitur.Prima leuce vocata, quæ ex pituita eiusmodi habet generationem, & colorem etiam in pilis, & formam.Secunda alphos dicta, squamulis insuper constans,profunditatem carnis non lædens, sed superficiem solùm ita maculans;quam & morphæam vocant Arabes, & adhuc duplicem, nigrum ex atra bile, album ex pituita constituunt. Nos autem arbitramur ex omninò oppositis causis non gigni. Alphos ergo si pituita eos creat,atra bilis creare eosdem nequit; sed potius facultatis nutritiuæ vitium, aut alimenti esse credendum, sicuti prius dictum est;spiritu tamen ita affecto, vt ita nutrire,& temperare cutem pergat,sicuti affectus ipse est alimento,ex quo gignitur. *Quid vitiligo.*

3 Lepra autem Iudæorum,vt testatur Moyses *Leuitici* 13.& 14. multiplex erat. Alia mundissima,quam propterea mundam intelligo in sacro textu,quod contagione non multiplicabatur:ac nihil aliud erat,quam partis,aut totius in albedinem insolitam mutatio. Hoc autem ex pituitosi alimenti copia, vel potius ex *Descriptio lepræ Iudaicæ.*

& meliorem inducant. Hoc autem facilè pro voto succedit, si subito medela applicatur, antequam ad interiora labefactanda vapor ingeratur: præsertim in jecur & viscera, sanguinis officinas.

4 Si autem sanguis praue affici cœperit, & phlebotomia erit à principio adhibenda, ne subministret cuti prauitatem; & purgandus, & bonis reficiendus cibis.

5 Et cum prauitas non desierit, ponatur in balneo contusum apium, farina fabarum & lupinorum, fœnugræci, malua: adduntur fomenta ex saluiæ, origani, pulegij, lauri, & radicum cucumeris siluestris decocto.

Item affricatio sulphuris in puluerem acti axungiæ mistum, & apij succo, & nucum cortici, sola salutem præstitit non semel.

6 Si autem non ex contagio, sed ex prauitate intemperiei diu contracta, pruritus affuerit: purgandi sunt humores ex arte prius; deinde balnea, & affricationes sulphuris sequantur.

7 Cum pruritui scabies adiungitur; si inueterata fuerit, aut ex se enata, sectione venæ opus est, & pharmaco solam purgante pituitam, & bilem, præsertim atram; deinde balnea sequantur, & inunctiones ex sulphure & succo scabiosæ, & oleo, &c.

Item calx, & oleum sæpè profuit; oleum vt pateat introitus, calx ad occidendum vaporem & humorem serpentem. Deprauatus enim spiritus crassus facere solet fœditatem scabie, vnáque humor, quem calx, & sulphur non deleret, si pituita salsa esset in causa mali, vt videtur Medicis: immò augeretur simili. Neque enim attractione educit calx, sed abstersione humoris & extenuatione succulenti vaporis extinctionéque.

8 Impetiginem simplicem iisdem curabis. Adde affricationes ex parietariæ succo acetóque cum puluere ammoniaci, vel folia vitis in aceto trita. Item alumen, sal fossile, staphis agria, lithargyrium, & multa huiusmodi, aceto, butyróque affricata. Sputo etiam ieiuni impetigines sanari vidimus. Et excoriatoriis rebus nitro, ære vsto, vitriolo, elleboro, &c. vbi inualuerint, vtuntur Medici: mox vlcera repurgant, & glutinant tandem ex arte.

Præfatorum morborum victus sit ex carne iuuenili, pullis, vitulina, lacte, cichoriis, lupulis, buglossa, prisana, malua, beta: Aues ficedulæ, turdi, perdices, &c. Caue ab alliis, cæpis, pipere, sale, cæterisque salsam pituitam, aut acres quoscunque humores, gignentibus. Item à carne vaccina, ceruina, & auium coruini generis, &

cicere

cicere, faba, lente, brassica: & quidquid melancholicum & salsum auget humorem. Item à sorbitionibus pinguibus & humorem augentibus. Siccus enim esse debet cibus, & potus ex vino albo abstersiuo, vel ex sero: aut si humidus est, brodium sit cichorij, endiuiæ, aut cæterarum rerum, quæ sanguinem mundant, & jecur temperant: de quibus alibi.

De vitiligine, lepra Iudaïca, Arabica, Græca, Gallica.

ARTIC. III.

1 Lepra, in quam degenerare scabies Medicis videtur, ex atræ bilis accursu, ac mistura cum pituita salsa, squamulas, & furfures, & bullas sæuiores habens, à cæteris lepris, de quibus Græci, & Arabes, & Iudæi experti scribunt, multipliciter differt: propterea singillatim dicere de cunctis conuenit. *Descriptio.*

2 Lepra Iudæorum quasi vitiligo esse putatur: est enim vitiligo coloris cutis in albedinem mutatio citra cutis vlcerationem. Ex eo prouenit, quod extima pars alimentum mutare nequit, aut quia alimentum ipsum pituitosum glutinosúmque est, nutriendóque carnem, sui coloris eam reddit instar carnis polyporum, locustarum marinarum; quæ ex simili succo generantur, nutriunturque. Degeneratio ergo alimenti, alitæque proinde partis, aut partis, priusque alimenti: & duplex esse dicitur. Prima leuce vocata, quæ ex pituita eiusmodi habet generationem, & colorem etiam in pilis, & formam. Secunda alphos dicta, squamulis insuper constans, profunditatem carnis non lædens, sed superficiem solùm ita maculans; quam & morphæam vocant Arabes, & adhuc duplicem, nigrum ex atra bile, album ex pituita constituunt. Nos autem arbitramur ex omninò oppositis causis non gigni. Alphos ergo si pituita eos creat, atra bilis creare eosdem nequit; sed potius facultatis nutritiuæ vitium, aut alimenti esse credendum, sicuti prius dictum est, spiritu tamen ita affecto, vt ita nutrire, & temperare cutem pergat, sicuti affectus ipse est alimento, ex quo gignitur. *Quid vitiligo.*

3 Lepra autem Iudæorum, vt testatur Moyses *Leuiti. 13. & 14.* multiplex erat. Alia mundissima, quam propterea mundam intelligo in sacro textu, quod contagione non multiplicabatur: ac nihil aliud erat, quam partis, aut totius in albedinem insolitam mutatio. Hoc autem ex pituitosi alimenti copia, vel potius ex *Descriptio lepræ Iudaicæ.*

De mundissima speciei prima. alteratricis ratione fiebat, quæ ſanguinem in cutim emiſſum, in ſemen quaſi elaborabat. Inde cutis dealbata ſeminali ſanguine munda erat, nec contagioſa. Ad cruditatem enim ſanguinis referri id non videtur, ſed ad nimiam cocturam, ſi conſideres Ægypti calorem, & Iudæorum tunc laborioſiſſima exercitia. Cutis enim neruoſi generis eſt, ſeminalique ſanguine alitur, qui in eis multus fiebat retenti caloris vi mutato robore: omnis enim particula ſibi aſſimilat alimentum.

Secunda species. 4 Secunda ſpecies erat, cum cutis candidior apparebat ingrato candore: atque humilior carne reliqua, erat candoris macula ſublucens; & pili in album mutabantur; quæ & augeri ſolebat. Quam ex alicuius partis imbecillitate, aut prauitate oriri exiſtimandum, quæ non poteſt nutriri, nec proinde par carni reliquæ exterius fieri: ſicuti cum vlceratur equus & pili albi ſanato in vulnere enaſcuntur cæteris humiliores: & caro ſimiliter.

3. 5 Tertia erat, cum macula apparebat humilior carne reliqua, & capillus in flauum mutabatur, & tenuior erat ſolito. Quam puto ex flaua bile ortum duxiſſe, impediente nutritionem in particula, vbi macula reperiebatur: quæ etiam ob vaporem malum ſerpebat aliquando.

4. 6 Quartam elicimus indidem, cum viua ſublucens caro maculoſa apparebat, & color albus, & capillorum aſpectum mutans: quam vetuſtiſſimam & inolitam dicit Moyſes. Profectò enim quæ tantam faciebat mutationem, & in carne lucebat ex humorum flatulentorum concurſu, diutina eſſe debebat.

5. 7 Præterea ait, quod ſi in carne & cute vlcus natum fuerit, & in loco vlceris, aut caluitij, cicatrix alba, ſiue ſubrufa; ſi locus cicatricis humilior fuerit carne reliqua, & pili in candorem verſi, tunc plagam lepræ in vlcere iudicandum.

6. 6 Præterea etiam ſi non alba, ſed ſubobſcura fuerit cicatrix, & carne vicina humilior, ſed æqualis; tunc plaga lepræ reputabatur ſi creſcebat ſerpendo: ſi ſtabat, nequaquam. Idem in vſtionibus dicendum, quamuis ſubobſcurus color mundus in cæteris cenſebatur. Idem dicendum in omni plaga creſcente, etiamſi capillus immutatus non fuerit.

Coroll. Quapropter palam fit ex hac hiſtoria, etiam ab atra bile, ſeu ab incendioſo ſpiritu lepram oriri Iudaicam ſubobſcuri coloris, & aliam eſſe vlceroſam, aliam ſine vlcere; nec ſcabiē hāc eſſe, ſiquidē ipſe Moyſes *in cap.* 13. ait, quod ſi obſcurior fuerit lepra, & nō

creuerit,

creuerit, ſcabies eſt. Item ſi fuerit albedo in cute, & deprendatur ſubobſcurum lucere in carne alborem, non erit lepra; ſed macula coloris candidi, & homo mundus.

8 Præterea eaſdem lepræ plagas conſueuiſſe in veſtimentis laneis, & lineis, & in pellibus, & in parietibus domorum apparere: vel candidas, vel rufas humiliores partibus cæteris, & obſeruari oportere docebat Moyſes, an poſt lotionem perſeuerauerit: ſic enim lepra perſeuerans iudicabitur: ſi autem etiam creuerit, volatilis erat, & vaga; præſertim vbi ſecto loco lepræ, aut abraſo, in aliis partibus deinde conſpiciebatur. Quapropter veſtimentum comburi, & domum dirui, & lapides, & cæmentum extra ciuitatem proiici oportere præceptum erat. Qua in re mirandum, & dicendum, non humores modo fuiſſe lepræ cauſam deprauatos, ſed ipſas primalitates quaſi delirantes, ſiue exorbitantes, in lapide, & lana, & ſubiectam materiam iuxta primalitatum affectionem affici & lepra: ergo propterea maculari; ſicuti & ferrum magnete afficitur, vt principio dicebamus, & in 2. lib. declaratum eſt de primalitatibus corporis, & corpulentia deprauatis ad effectum, aut vehementiam, aut qualitercunque. *De lepra veſtium, & domorum.*

9 Ex dictis patet, qua ratione lepra Iudæorum etiam conuenit cum lepra communi, & difficilior eſt.

10 Lepra autem Arabum, de qua Rhaſis, & Auicen. ſcripſerunt, eſt crurum intumeſcentia cum varicibus, & atro quodam colore in toto corpore commutato: putantque à melancholico humore, exque pituita oriri ſalſa. At quidem hydropem eſſe ex parte conſtat, ac ſimul lepram in noſtro dogmate. Cum enim iecur in aquam præ nimia caliditate fundit alimentum, ac ſimul eius craſſitiem repugnantem fuſioni, in atram bilem, & cinerem agit: conſequens eſt, vt ex humore intumeſcant crura: ex atra fæce, & cinere, venæ: exque horum affuſione & eroſione cutis nigreſcat, & fœdetur, & prope vlceretur tandem, vt in cancro. *Quid lepra Arabum.*

11 Græcorum autem lepra, quam elephantiam vocant, eo quod corio elephantis ſimilis fit ægri cutis, atris coloribus, ſeu cineritiis, maculoſa, aſpera, craſſa, liuens, ſquamis fœda. Vocatur & ſatyriaſis, eo quod æger ad libidinem valde accenditur more ſatyrorum. Videtur ex eiſdem cauſis originem habere, & ſecundæ, & tertiæ coctionis vitio, quod præfata ſigna demonſtrant. *De lepra Græcorum.*

12 Præterea cum incipit, accidit ægrotaturo ſegnities, tarda ſpiratio, difficiliſque, alui conſtrictio, vrina ſubiugalis, fœtidus *Deſcriptio & ſympt.*

ſpiritus ex ore, & ructus. Cũ vero in cute ſeſe prodit cauſa huius mali, craſſeſcunt malæ, & rubeſcunt liuore, mentum dilatatur, capilli rareſcunt, ſuperciliorum pili decidunt, extenuantur aures, naſus fit ſimus, labra craſſa, vox rauca, venæ varicoſæ, & nigreſcentes, præſertim ſub lingua: ſenſus torpidus, corpus graue, & quaſi intolerabile, puſillanimitas ad omnia, quandoque quaſi & ſtrangulari ſibi videntur, ſanguis extractus cinerulentus, & quaſi ligamentis, & filis conſperſus.

Diſtinctio. 13 Elephantiæ etiam tres ſpecies inuenerunt Medici; vnam albam, quam ex pituita acri, ſalſaque generant. Secundam rubicundam, minus malignam, ex ſanguine. Tertiam fœdis vlceribus ſcatentem, ex bile atra aduſta, nigricantem: quæ quaſi cancer totius corporis habetur.

14 Item addunt aliam à natiuitate contrahi: aliam à nutrimento: aliam à contagio.

Ratio ſymptomatum omnium ſingillatim. 15 Nos autem harum cauſas facile in noſtro habemus dogmate. Cum enim iecur valde incaluerit, & fæces in cinerem aſſauerit; ſuccos vero in aquam ſalſam; neceſſariò fuligines & timor erunt in ſpiritu, & tenuitas à caliginibus grauata, ita vt ſenſus torpor, & puſillanimitas ſequantur. Fœtere autem oportet quod eructatur, ex fæcibus in ventriculo ſubſequentibus, tum à liene, tum à calore deprauato humores alios pro naturalibus generante. Anum autem ſtringi calore nimio, & ſalſis cibis iis, qui exercentur, & ſalſis veſcuntur; in comperto eſt. Vrinam craſſeſcere oportet, ex eo quod potius in fluorem, quàm in lubricoſitatem ſãguineam ſoliditas cibi à nimio calore, retentóque vapore abit, vt in Phyſ. docebamus; & vbi de hydrope. Dum autem craſſities cineritia in cutim elabitur, cum minime attenuari, & tranſpirare queat, neceſſariò cutem craſſam facere, & ſcabram, & ſquamoſam oportet, & liuidè ſubrubentem ex talis ſanguinis colore, & cinere miſto fæcibus. Sequitur naſi curuitas, quoniam ex tali ſanguine minime nutritur cartilago; nec enim in eiuſtemperiem agi poteſt. Similiter & aures cartilaginoſæ propter idem ſicceſcunt, & contrahuntur. Capillorum radices ſalſedine corroduntur ita, vt decidant; maxime autem ex ſuperciliis, è quibus ſudor egredi ſolet facilius. Pronitas ad libidinem ex cinere in vaſis ſpermaticis pruritum faciente, & mordicante, fit. Cæterorum ſignorum ratio ex dictis patet.

16 Quapropter haud rectè quidam Medici elephantiæ Græ-

corum tres faciunt species: alba enim pertinet ad Iudaicam · subrubra ad imperfectam elephantiasim : nigricans ad perfectam.

17 Ex eisdem causis est elephantiasis innascens à principio, vel quia mater ea laborat, aut pater, & per corruptelam seminis, & spiritus imaginantis propagatur, quam puto insanabilem; aut quia menstruata mulier concepit, & atris fæcibus natum infecit: tunc, si tamen potuit ita concipere, aut mox cum deriuari menstruum in locum fœtus perrexerit à matris natura imprudenti non detentum. Quæ autem ab alimento fit, credo eam calidos iecore inuadere, vbi alliis, porris, leguminibus salsis, flatuosis, atrabiliosis multum assueuerint, & laborauerint, sicuti filiis Israel in Ægypto accidit, sub torrido cælo sic affectis, assuetisque. At quæ contagio contrahitur, à spiritu ortum ducit infecto; qui proinde incipit succos cibi in eam temperiem ducere, qua ipse affectus est: quod in rabidi canis morsu affectis accidit, spiritu omnem temperiem in caninam paulatim deducente. Quam lepram sanabiliorem esse puto, vbi præsertim sobrietas, & bonus habitus præcesserit infectionem.

18 Postrema lepra est (quam Gallicam vocant) ex impura venere contracta, non quidem à Gallia, sed ab India potius originem habens: quæ humoris, & soliditatis temperiem corrumpit venenata qualitate, suique amplificatiua, elephantiasi valde consimili, ex contactu præsertim venereo communicabilis. Est quidem multiplex. In alia enim maculæ efflorescunt per totum corpus, quam dicunt à tenui, & virulento sanguine oriri. In alia pustulæ eminentes in pudendis, & fronte, & per vniuersum corpus erumpunt, carnosasque partes erodunt. In alia perniciosissima partes etiam solidæ putrescunt, & ossa carie miserè afficiuntur.

De lepra postrema Gallica.

19 Et quidem huiusmodi lepra sensim per temporis interuallum occupat artus, gignens ibi ex sanie tophos, ac proinde dolores sęuos, & principio cum pustulis, & circa pudenda, & frontem: & in palato, & faucibus accidit grauitas, dolorque capitis, colli, humerorum, crurum, articulorum, & lassitudo, & vlcera deinde in palato, & faucibus, & vola manus, & tandem dolores sæuiunt, & vigiliæ, & inappetentia.

20 Morauica recens lepra etiam celebratur, quæ in cute vlcera ferebat, cancros exulceratos æmulantia; & contagio amplificabatur.

& coriandri succo, ac rosaceo. Item fœniculum, apium, oreoselinum, malua, althæa, radices, folia lauri, & chamomilla decocta & panno excepta mammillæ applicata. Addunt resinam terebinthinam sæpius vino & rosacea ablutam, cum duobus ouis, & croço in papillis bis in die in modum cerati. Item ea, quæ lac dissoluunt, vt in sequenti articulo.

De lactis induratione.

ARTIC. III.

1 LAc indurari in mammillis contingit aut propria crassitie, copiaque, aut calore ibidem præualente, quemadmodum cum feruet in cacabo, condensatur.

Causa. *Correctio* 2 Putant alij conuerti in caseum à calore; in grumum à frigore: sed reuera frigus nullum, nisi valdè potens, lac indurescere facit; quod quidem in mammis inueniri nequit, cum non nisi à calore gigni possit. Verum est, quod coagulo acetoso condensatur, non quidem tãquam frigido, sed calido acutè partes tenues educente; reliquas verò tum propter sui similitudinem cum illis, tum tenuium abscessu cogente: quod tamen manifestius facit potens calor, à quo solo in grumum verti putamus; nisi forte quis pro frigore acetositatem quandam accersat.

Cura. 3 Si copia lactis parum, vel nil exusti, sit in causa, tunc ea, quæ lac diminuunt, vt superiori articulo declarata, conueniunt: si tamen prius sensim lac in mammillis concretum quis exsuxerit.

4 Si verò nimio calore condensatur; quod habitus corporis, & ardor declarat, tunc cibos substantia frigidos adhibebis: mammas verò portulacæ succo, solano, & rosacea perfundes. Item alsine, & cimolia terra, & aceto, & althææ decocto, fœnugræc. & huiusmodi.

5 Si crassities sanguinis lac de se crassum viscosumque producit, tunc ea, quæ sanguinem attenuant adhibebis, & cibos tenuis, calidæque substantiæ. Præterea coagulum leporis ex aqua tritum, & epotum, & mammis appositum, lac fluidum reddit.

6 Idem facit calaminthæ folium, laser, acetum, menthæ folia, hinnuli coagulum, flos brassicæ, papauer, & quidquid solet coagulare, coagulatum lac dissoluit.

De mammillarum inflammatione.

ARTIC. IV.

1 COntingit puerperæ inflammatio mammillarum ex lactis redundantia, & coagulatione: præsertim vbi biliosus sanguis lactescit. Cæteris vero fæminis sanguinis abundantia biliosi irritati inflammantur: præsertim si ictus, aut morsus, aut nimia exsuctio interuenit: quibus non curatis & scirrhus, & cancer, & suppuratio & vlcus accidere solent.

2 Curabuntur venæ sectione, diuersione per extremitatum ligaturas, sed præcipue per mensium prouocationem, & cucurbitulas circa vterum, qui mammis correspondet.

3 Contra grumum ea, quæ lac liquefaciunt adhibebis: contra inflammationem ea, quæ refrigerant: præcipuè autem citrullum, & lac asininum; acetum exceptum panno in aqua gelida. Conuenit & decoctum chamæmeli, & oleum rosaceum cum aceti mistura mammis adhibitum. Item farina hordei, fœnugræc. sem. lini, sesami, aut medulla panis cum butyro, vel lacte per modum emplastri. Valet althææ decoctum, & maluę, & cætera aliis in inflammationibus celebrata.

4 Si signa suppurationis affuerint, per ea, quæ illi conferunt, adiuuabis: & cum ruptionis tempus affuerit, per ea quæ rumpunt: quo peracto per ea, quæ abstergunt, & solidant, vt sæpe dictum est.

De morbis exterioribus, cutem fœdantibus.

CAPVT XXIII.

POstquam de morbis corpus spiritúmque intus afficientibus, dictum est singillatim nunc de morbis qui extrinsecus in cute munitiuæ organo potestatis, sedem habent, aut manifestantur, dicere conuenit: quorum alij per vim extrinsecus illatam inueniuntur, quorum negocium Chirurgis demandandum est. Alij verò extrinseca ex causa vel innata, vel contagio fœdata, ortum habent: & de his primò ratiocinabimur. Horum alij cutem primo maculant, alij tumefaciunt; alij vlcerant; alij vtrumque: Rari enim sunt, qui postquam tumefecerint, non vlcerent etiam; similiter & qui maculant. Sed distinctio accipitur *Distinctio.*

ab

ab eo, quod primò & principaliter accidit. Vlceratio enim non ſemper, ac principaliter, ſed ex conſequenti fit: vt patet in carbunculis, & apoſtematibus, qui tumores ſunt, ad quos ſequitur vlcus, cum ſuppurantur. Incipiendum ergo à maculis, tanquam à ſimplicioribus.

De cauſis & occaſionibus morborum externorum.

ARTIC. I.

Diſtinctio notabilis.

1 OMnes quidem morbi cutanei fiunt, aut ex nimia humorum ad partes exteriores effuſione: quos ſanè natura neque prorſus attenuare, & in vaporem actos foras educere poteſt; neque quales ſunt craſſos ſtatim, rupta cute, propellere, qui proinde immanentes diuerſos tumores, & vlcerationes, & maculas efficiunt, nouoſque colores, vt patet in apoſtemate. Vel fiunt ex prauitate atque impuritate humorum, quæ extrorſum ſegregata in cute ſedem locat, eamque fœdat, vel etiam forat, vt de næuis in Phyſiolog. dicebamus, & lentigine, & impetigine. Aut à partis alendæ deprauatione: ſiquidem cum nutrimentum probum ad ipſum acceſſerit, non accipit ex eo quod ſibi proficuum, ſed quod deterius, ipſa deteriorata aliquo ex accidente: ſimile enim ſimili nutritur: & in hoc locum habet vitiligo. Si accipit & proficuum, & diſſimile, ſiquidem nutrimentum nullum ſoli particulæ attrahenti ſimile eſt, ſed ineſt illi & pars ad alias partes tranſmittenda, & fæx in cutim extrorſum propellenda: quam ſequeſtrationem cum non fecerit pars alenda, in morbum incidit de natura propellendi humoris. Eſt etiam vbi debilitas conuertendi in ſuam ſubſtantiam nutrimentum, efficit, vt ipſa potius in nutrimenti naturam abeat, ſicuti qui inebriantur, vinoſi fiunt carne, & ſpiritu; & qui mordentur à cane rabido, canini, dum venenum vincit temperiem noſtram, & non temperies venenum in ſe vincendo commutat. Quapropter multum intereſt, an prima coctio peccet in ventriculo facta, vbi morbi viſcerum fiunt primorum: an ſecunda in jecore, vnde intemperies, & innutribilitas membrorum accidit, & aqua intercus, &c. an tertia, quæ in membris fit diſpertito alimento, ſiue totis, ſiue vni, vnde morbus communis in tota cute, aut in vno fit membro exteriori.

Vitium in triplici coctione quid poſſit ad cutem.

De

De morbis maculosis in cute.

AD maculosos cutaneos morbos spectant impetigo, cuius pruritus est, scabies, lepra, porrigo, achores, seu tinea, alopecia, ophiasis, mentagra, vitiligo, cuius est leuce, alphos, & albus, & niger; elephantiasis, suggillatio, vibex, & multa huiusmodi; de quibus singillatim loqui oportet. *12. Morbi maculosi.*

De impetigine, pruritu, scabie.

ARTIC. II.

1 IMpetigo cutis asperitas esse videtur non totius, sed quarundam partium gracilis, acuta, serpens vt plurimum in facie deturpánsque superficiem; scabra est tangenti, & pruritum addit: solet tamen pruritus citra scabrositatem vllam fieri ita, vt scalpendi assidua cupido adsit, & vlcera non sequantur: huic solet succedere scabies, quæ etiam tubercula addit, & furfures, & pus. Suscipit scabiem lepra sæuior, qua etiam corpus liquescit, & tabescit. *Descriptio impetiginis.*

2 Impetiginem facit spiritus sordidus ex pituita salsa, putri acríque, in extimas delata partes, pungensque cutim: ex qua cum exire non valeat, cuniculos facit subcutaneos, serpitque quorsum facilior via. Potest & à bile acri, & seroso humore amplius cocto, externásque delato in partes fieri: vbi refusus introrsum serpit. Non enim ita facilè in cæteris partibus fit ac in facie, ictibus aëris opposita, densataque: sicut tubera è contra & vlcera in cute graciliori solent grassari. Cum autem præter paucos siccosque humores alij ad cutim confluxerint, tunc fit psora, seu scabies per totum maiori fluorum copia; & quidem iidem humores acres eius sunt in causa, sed copia addita ampullas producit ex mistura seri & alterius pituitæ. Si autem bilis atra torrida affuerit, lepram faciet. De qua sequens articulus contexetur. *Causa.*

3 Pruritus si à cõtagio ortum ducit, cutis succum indicat læsum, & spiritum ibidem implantatum: & tunc facile sanatur solo dulci balneo educente vaporem prauum, quem contactus scabiosi hominis induxit: sit autem balneum tepens, & confricentur benè omnes partes ita, vt exhalet vapor malus. Deinde addantur lauacra ex vino optimo, & aceto, quæ vaporem illum occidant, *Cura.*

& meliorem inducant. Hoc autem facilè pro voto succedit, si subito medela applicatur, antequam ad interiora labefactanda vapor ingeratur: præsertim in jecur & viscera, sanguinis officinas.

4 Si autem sanguis praue affici cœperit, & phlebotomia erit à principio adhibenda, ne subministret cuti prauitatem; & purgandus, & bonis reficiendus cibis.

5 Et cum prauitas non desierit, ponatur in balneo contusum apium, farina fabarum & lupinorum, fœnugræci, malua: adduntur fomenta ex saluiæ, origani, pulegij, lauri, & radicum cucumeris siluestris decocto.

Item affricatio sulphuris in puluerem acti axungiæ mistum, & apij succo, & nucum cortici, sola salutem præstitit non semel.

6 Si autem non ex contagio, sed ex prauitate intemperiei diu contracta, pruritus affuerit: purgandi sunt humores ex arte prius; deinde balnea, & affricationes sulphuris sequantur.

7 Cum pruritui scabies adiungitur; si inueterata fuerit, aut ex se enata, sectione venæ opus est, & pharmaco solam purgante pituitam, & bilem, præsertim atram; deinde balnea sequantur, & inunctiones ex sulphure & succo scabiosæ, & oleo, &c.

Item calx, & oleum sæpè profuit; oleum vt pateat introitus, calx ad occidendum vaporem & humorem serpentem. Deprauatus enim spiritus crassus facere solet fœditatem scabie, vnáque humor, quem calx, & sulphur non deleret, si pituita salsa esset in causa mali, vt videtur Medicis: immo augeretur simili. Neque enim attractione educit calx, sed abstersione humoris & extenuatione succulenti vaporis extinctionéque.

8 Impetiginem simplicem iisdem curabis. Adde affricationes ex parietariæ succo acetóque cum puluere ammoniaci, vel folia vitis in aceto trita. Item alumen, sal fossile, staphis agria, lithargyrium, & multa huiusmodi, aceto, butyróque affricata. Sputo etiam ieiuni impetigines sanari vidimus. Et excoriatoriis rebus nitro, ære vsto, vitriolo, elleboro, &c. vbi inualuerint, vtuntur Medici: mox vlcera repurgant, & glutinant tandem ex arte.

Præfatorum morborum victus fit ex carne iuuenili, pullis, vitulina, lacte, cichoriis, lupulis, buglossa, ptisana, malua, beta: Aues ficedulæ, turdi, perdices, &c. Caue ab alliis, cæpis, pipere, sale, cæterisque salsam pituitam, aut acres quoscunque humores, gignentibus. Item à carne vaccina, ceruina, & auium coruini generis, &

cicere, faba, lente, brassica: & quidquid melancholicum & salsum auget humorem. Item à sorbitionibus pinguibus & humorem augentibus. Siccus enim esse debet cibus, & potus ex vino albo abstersiuo, vel ex sero: aut si humidus est, brodium sit cichorij, endiuiæ, aut cæterarum rerum, quæ sanguinem mundant, & jecur temperant: de quibus alibi.

De vitiligine, lepra Iudaïca, Arabica, Græca, Gallica.

ARTIC. III.

1 LEpra, in quam degenerare scabies Medicis videtur, ex atræ bilis accursu, ac mistura cum pituita salsa, squamulas, & furfures, & bullas sæuiores habens, à cæteris lepris, de quibus Græci, & Arabes, & Iudæi experti scribunt, multipliciter differt: propterea singillatim dicere de cunctis conuenit. *Descriptio.*

2 Lepra Iudæorum quasi vitiligo esse putatur: est enim vitiligo coloris cutis in albedinem mutatio citra cutis vlcerationem. Ex eo prouenit, quod extima pars alimentum mutare nequit, aut quia alimentum ipsum pituitosum glutinosúmque est, nutriendóque carnem, sui coloris eam reddit instar carnis polyporum, locustarum marinarum; quæ ex simili succo generantur, nutriunturque. Degeneratio ergo alimenti, alitæque proinde partis, aut partis, priusque alimenti: & duplex esse dicitur. Prima leuce vocata, quæ ex pituita eiusmodi habet generationem, & colorem etiam in pilis, & formam. Secunda alphos dicta, squamulis insuper constans, profunditatem carnis non lædens, sed superficiem solùm ita maculans; quam & morphæam vocant Arabes, & adhuc duplicem, nigrum ex atra bile, album ex pituita constituunt. Nos autem arbitramur ex omninò oppositis causis non gigni. Alphos ergo si pituita eos creat, atra bilis creare eosdem nequit; sed potius facultatis nutritiuæ vitium, aut alimenti esse credendum, sicuti prius dictum est, spiritu tamen ita affecto, vt ita nutrire, & temperare cutem pergat, sicuti affectus ipse est alimento, ex quo gignitur. *Quid vitiligo.*

3 Lepra autem Iudæorum, vt testatur Moyses *Leuiti. 13. & 14.* multiplex erat. Alia mundissima, quam propterea mundam intelligo in sacro textu, quod contagione non multiplicabatur: ac nihil aliud erat, quam partis, aut totius in albedinem insolitam mutatio. Hoc autem ex pituitosi alimenti copia, vel potius ex *Descriptio lepra Iudaica.*

 altera

De mundissima speciei prima. alteratricis ratione fiebat, quæ ſanguinem in cutim emiſſum, in ſemen quaſi elaborabat. Inde cutis dealbata ſeminali ſanguine munda erat, nec contagioſa. Ad cruditatem enim ſanguinis referri id non videtur, ſed ad nimiam coćturam, ſi conſideres Ægypti calorem, & Iudæorum tunc laborioſiſſima exercitia Cutis enim neruoſi generis eſt, ſeminalique ſanguine alitur, qui in eis multus fiebat retenti caloris vi mutato robore: omnis enim particula ſibi aſſimilat alimentum.

Secunda species. 4 Secunda ſpecies erat, cum cutis candidior apparebat ingrato candore: atque humilior carne reliqua, erat candoris macula ſublucens; & pili in album mutabantur; quæ & augeri ſolebat. Quam ex alicuius partis imbecillitate, aut prauitate oriri exiſtimandum, quæ non poteſt nutriri, nec proinde par carni reliquæ exterius fieri: ſicuti cum vlceratur equus & pili albi ſanato in vulnere enaſcuntur cæteris humiliores: & caro ſimiliter.

3. 5 Tertia erat, cum macula apparebat humilior carne reliqua, & capillus in flauum mutabatur, & tenuior erat ſolito. Quam puto ex flaua bile ortum duxiſſe, impediente nutritionem in particula, vbi macula reperiebatur: quæ etiam ob vaporem malum ſerpebat aliquando.

4. 6 Quartam elicimus indidem, cum viua ſublucens caro maculoſa apparebat, & color albus, & capillorum aſpećtum mutans: quam vetuſtiſſimam & inolitam dicit Moyſes. Profećtò enim quæ tantam faciebat mutationem, & in carne lucebat ex humorum flatulentorum concurſu, diutina eſſe debebat.

5. 7 Præterea ait, quod ſi in carne & cute vlcus natum fuerit, & in loco vlceris, aut caluitij, cicatrix alba, ſiue ſubrufa; ſi locus cicatricis humilior fuerit carne reliqua, & pili in candorem verſi, tunc plagam lepræ in vlcere iudicandum.

6. 6 Præterea etiam ſi non alba, ſed ſubobſcura fuerit cicatrix, & carne vicina humilior, ſed æqualis; tunc plaga lepræ reputabatur ſi creſcebat ſerpendo: ſi ſtabat, nequaquam. Idem in vſtionibus dicendum, quamuis ſubobſcurus color mundus in cæteris cenſebatur. Idem dicendum in omni plaga creſcente, etiamſi capillus immutatus non fuerit.

Corell. Quapropter palam fit ex hac hiſtoria, etiam ab atra bile, ſeu ab incendioſo ſpiritu lepram oriri Iudaicam ſubobſcuri coloris, & aliam eſſe vlceroſam, aliam ſine vlcere; nec ſcabiē hāc eſſe, ſiquidē ipſe Moyſes *in cap*. 13. ait, quod ſi obſcurior fuerit lepra, & nō

creuerit,

creuerit, scabies est. Item si fuerit albedo in cute, & deprendatur subobscurum lucere in carne alborem, non erit lepra; sed macula coloris candidi, & homo mundus.

8 Præterea easdem lepræ plagas consueuisse in vestimentis laneis, & lineis, & in pellibus, & in parietibus domorum apparere: vel candidas, vel rufas humiliores partibus cæteris, & obseruari oportere docebat Moyses, an post lotionem perseuerauerit: sic enim lepra perseuerans iudicabitur: si autem etiam creuerit, volatilis erat, & vaga; præsertim vbi secto loco lepræ, aut abraso, in aliis partibus deinde conspiciebatur. Quapropter vestimentum comburi, & domum dirui, & lapides, & cæmentum extra ciuitatem proiici oportere præceptum erat. Qua in re mirandum, & dicendum, non humores modo fuisse lepræ causam deprauatos, sed ipsas primalitates quasi delirantes, siue exorbitantes, in lapide, & lana, & subiectam materiam iuxta primalitatum affectionem affici & lepra: ergo propterea maculari; sicuti & ferrum magnete afficitur, vt principio dicebamus, & in 2. lib. declaratum est de primalitatibus corporis, & corpulentia deprauatis ad effectum, aut vehementiam, aut qualitercunque. *De lepra vestium, & domorum.*

9 Ex dictis patet, qua ratione lepra Iudæorum etiam conuenit cum lepra communi, & difficilior est.

10 Lepra autem Arabum, de qua Rhasis, & Auicen. scripserunt, est crurum intumescentia cum varicibus, & atro quodam colore in toto corpore commutato: putantque à melancholico humore, exque pituita oriri salsa. At quidem hydropem esse ex parte constat, ac simul lepram in nostro dogmate. Cum enim iecur in aquam præ nimia caliditate fundit alimentum, ac simul eius crassitiem repugnantem fusioni, in atram bilem, & cinerem agit: consequens est, vt ex humore intumescant crura: ex atra fæce, & cinere, venæ: exque horum affusione & erosione cutis nigrescat, & fœdetur, & prope vlceretur tandem, vt in cancro. *Quid lepra Arabum.*

11 Græcorum autem lepra, quam elephantiam vocant, eo quod corio elephantis similis fit ægri cutis, atris coloribus, seu cineritiis, maculosa, aspera, crassa, liuens, squamis fœda. Vocatur & satyriasis, eo quod æger ad libidinem valde accenditur more satyrorum. Videtur ex eisdem causis originem habere, & secundæ, & tertiæ coctionis vitio, quod præfata signa demonstrant. *De lepra Græcorum.*

12 Præterea cum incipit, accidit ægrotaturo segnities, tarda spiratio, difficilisque, alui constrictio, vrina subiugalis, fœtidus *Descriptio & symp.*

ſpiritus ex ore, & ructus. Cũ vero in cute ſeſe prodit cauſa huius mali, craſſeſcunt malæ, & rubeſcunt liuore, mentum dilatatur, capilli rareſcunt, ſuperciliorum pili decidunt, extenuantur aures, naſus fit ſimus, labra craſſa, vox rauca, venæ varicoſæ, & nigreſcentes, præſertim ſub lingua: ſenſus torpidus, corpus graue, & quaſi intolerabile, puſillanimitas ad omnia, quandoque quaſi & ſtrangulari ſibi videntur, ſanguis extractus cinerulentus, & quaſi ligamentis, & filis conſperſus.

Distinctio. 13 Elephantiæ etiam tres ſpecies inuenerunt Medici; vnam albam, quam ex pituita acri, ſalſaque generant. Secundam rubicundam, minus malignam, ex ſanguine. Tertiam fœdis vlceribus ſcatentem, ex bile atra aduſta, nigricantem: quæ quaſi cancer totius corporis habetur.

14 Item addunt aliam à natiuitate contrahi: aliam à nutrimento: aliam à contagio.

Ratio ſymptomatum omnium ſingillatim. 15 Nos autem harum cauſas facile in noſtro habemus dogmate. Cum enim iecur valde incaluerit, & fæces in cinerem aſſauerit; ſuccos vero in aquam ſalſam; neceſſariò fuligines & timor erunt in ſpiritu, & tenuitas à caliginibus grauata, ita vt ſenſus torpor, & puſillanimitas ſequantur. Fœtere autem oportet quod eructatur, ex fæcibus in ventriculo ſubſequentibus, tum à liene, tum à calore deprauato humores alios pro naturalibus generante. Anum autem ſtringi calore nimio, & ſalſis cibis iis, qui exercentur, & ſalſis veſcuntur; in comperto eſt. Vrinam craſſeſcere oportet, ex eo quod potius in fluorem, quàm in lubricoſitatem ſanguineam ſoliditas cibi à nimio calore, retentóque vapore abit, vt in Phyſ. docebamus; & vbi de hydrope. Dum autem craſſities cineritia in cutim elabitur, cum minime attenuari, & tranſpirare queat, neceſſariò cutem craſſam facere, & ſcabram, & ſquamoſam oportet, & liuidè ſubrubentem ex talis ſanguinis colore, & cinere miſto fæcibus. Sequitur naſi curuitas, quoniam ex tali ſanguine minime nutritur cartilago; nec enim in eius temperiem agi poteſt. Similiter & aures cartilaginoſæ propter idem ſicceſcunt, & contrahuntur. Capillorum radices ſalſedine corroduntur ita, vt decidant; maxime autem ex ſuperciliis, è quibus ſudor egredi ſolet facilius. Pronitas ad libidinem ex cinere in vaſis ſpermaticis pruritum faciente, & mordicante, fit. Cæterorum ſignorum ratio ex dictis patet.

16 Quapropter haud rectè quidam Medici elephantiæ Græcorum

corum tres faciunt ſpecies: alba enim pertinet ad Iudaicam · ſubrubra ad imperfectam elephantiaſim : nigricans ad perfectam.

17 Ex eiſdem cauſis eſt elephantiaſis innaſcens à principio, vel quia mater ea laborat, aut pater, & per corruptelam ſeminis, & ſpiritus imaginantis propagatur, quam puto inſanabilem; aut quia menſtruata mulier concepit, & atris fæcibus natum infecit: tunc, ſi tamen potuit ita concipere, aut mox cum deriuari menſtruum in locum fœtus perrexerit à matris natura imprudenti non detentum. Quæ autem ab alimento fit, credo eam calidos iecore inuadere, vbi alliis, porris, leguminibus ſalſis, flatuoſis, atrabilioſis multum aſſueuerint, & laborauerint, ſicuti filiis Iſrael in Ægypto accidit, ſub torrido cælo ſic affectis, aſſuetiſque. At quæ contagio contrahitur, à ſpiritu ortum ducit infecto; qui proinde incipit ſuccos cibi in eam temperiem ducere, qua ipſe affectus eſt: quod in rabidi canis morſu affectis accidit, ſpiritu omnem temperiem in caninam paulatim deducente. Quam lepram ſanabiliorem eſſe puto, vbi præſertim ſobrietas, & bonus habitus præceſſerit infectionem.

18 Poſtrema lepra eſt (quam Gallicam vocant) ex impura venere contracta, non quidem à Gallia, ſed ab India potius originem habens: quæ humoris, & ſoliditatis temperiem corrumpit venenata qualitate, ſuique amplificatiua, elephantiaſi valde conſimili, ex contactu præſertim venereo communicabilis. Eſt quidem multiplex. In alia maculæ efflorefcunt per totum corpus, quam dicunt à tenui, & virulento ſanguine oriri. In alia puſtulæ eminentes in pudendis, & fronte, & per vniuerſum corpus erumpunt, carnoſaſque partes erodunt. In alia pernicioſiſſima partes etiam ſolidæ putreſcunt, & oſſa carie miſerè afficiuntur. *De lepra postrema Gallica.*

19 Et quidem huiuſmodi lepra ſenſim per temporis interuallum occupat artus, gignens ibi ex ſanie tophos, ac proinde dolores ſęuos, & principio cum puſtulis, & circa pudenda, & frontem: & in palato, & faucibus accidit grauitas, dolorque capitis, colli, humerorum, crurum, articulorum, & laſſitudo, & vlcera deinde in palato, & faucibus, & vola manus, & tandem dolores ſæuiunt, & vigiliæ, & inappetentia.

20 Morauica recens lepra etiam celebratur, quæ in cute vlcera ferebat, cancros exulceratos æmulantia; & contagio amplificabatur.

Curatio

Curatio vitiliginis.

Quæ curabilis, quæ incurabilis.

1 LEprarum præfatarum curam instituentes, à vitiligine alba exordiemur, quam Medici acu pungentes, si sanguinem exire viderint, sanabilem putant: si lacteum quasi humorem, insanabilem. Idem experiuntur à confricatione, si rubescat, vel non rubescat. Mox curabilior censenda, quæ pauca loca corporis, quàm quæ multa obsidet.

2 Curant autem cibis, & potionibus, quæ glutinosum attenuare valent sanguinem, humorésque viscosos liquefacere: qualia sunt origanum, pulegium, hyssopus, anethum, fœnicul. oxymel, serpillum, mentha, & huiusmodi. Deinde pharmaco purgante eosdem humores viscosos vtũtur, videlicet pilulis cocciis, alephanginis, ex hiera, & agarico, turbith, myrobal. &c. si tamen prius, per syrupos ex attenuatiuis, præparauerint. Deinde ad topica remedia venitur. Siquidem foliis ficus in aceto maceratis affricant loca maculata, & calce viua, & cortice nucum viridi, & lithargyrio, & cum plus inest contumaciæ, additur sulphur viuum, vitriolum, alumen scissile, sal ammoniacum; nitrum, helleborus albus, farina lupinorum; quæ in puluerem acta cum vnguento citrino mista affricantur. In alphis verò vtuntur cibis, qui nec pituitam, nec atram bilem foueant. Vacuant corpus pharmaco contra pituitam, aut contra bilem atram valido. Addunt affricationes in locis ex calce viua, aut dracunculo, aut ari radice, aut capparis, aut lilij, semper cum aceto, & decoctione lupinorum amarorum, & cætera iam dicta pro macularum robore.

3 Nos autem putamus præfata remedia localia communia cunctis lepris, ferè nunquam prodesse contrariis ex principiis ortis, vt Medici putant, in quantum ex eis: contraria enim remedia essent adhibenda; sed ad extinguendum spiritum, vaporémque prauum, qui praue cutem enutrit, afficitque sua imagine, vti & in scabie experimur. Cibos verò eos probamus, qui sanguinem, non qui lac, aut semen creant, quales sunt mora rubra, sycomororum, & ruborum, cerasa, sanguis pullorum, porcellorum, & columbarum calefactus, non assatus: iecora pullorum gallinaceorum, & altilium, misto semper fœniculo, herba sanguinaria, & purpurea rosa, & carnes rubearum gallinarum, & auium. Cauendum a neruosa substantia, & lacticiniis, & ouorum albuminibus;

nibus;lutea autem prosunt. Interula vtentur purpurea,laneáque, qui alba laborant vitiligine. Semina fugiant plantarum,præsertim alba; melonibus rufis vti licet. Sambuci flore rubescente, salmone pisce,vino rubro generoso, myrrhato. Idem faciendum in alphis albis:in nigris verò albidis vtendum cibis & potibus, & purioribus:etenim purior est lepra alba,quam nigra, vt mox docebimus. Præterea vnctiones ex adipe anserino, præfatis puluceribus misto,prodesse existimandum est,vt cutis mollescat,& spiritus prauus extinguatur. Idcirco & balnea ex decoctionibus prædictarum herbarum frequentabimus;& purgantia pharmaca magis in nigris alphis quàm in albis, vtemur.

Curatio lepræ Iudæorum.

1 IN curanda Iudæorum lepra haud dissimiliter procedemus. Alba enim, quæ mundissima vocatur Moysi, sicut leuce curabitur;siquidem è spiritu sanguinem in semen elaborante enasci diximus, eoque totam pellem nutriente:hoc autem accidit ex vasorum densitate,in quibus conclusus spiritus sanguinem,sicuti in testiculis,albificat,&sicut in spermaticis venis,proptereaque leprosi libidinosi. *Curatio albæ primæ speciei.*

2 Igitur scopus Medici erit vasa aperire emollientibus extrinsecus:& rarefacientibus balneis,& vnctionibus,vt spiritus transpirationem faciat, dum sanguinem membris assimilare vult. Intrinsecus verò ea,quæ semen producunt, vitabit. Sanguinea adhibebit,iam dicta in cura leuces,& attenuantia in cibo, & potu. Nec vinum sit generosum,sed tenue,lucidum, & rubescens cerasorum instar. Si nitrosa localia affricaueris, non errabis, dum spiritus seminalis extinctionem sic curabis, & simul pellem medullis ossium emollieris. Quæ semen minuunt etiam necessaria sunt. Declarata autem sunt in cap. 21. & 22. Considera etiam ex ætate, & anni tempore, & exercitio, & victu, an leuce eundem habeat exortum: iisdémque in ea vtere medicinis. Cum autem lepra fuerit immunda, ex impuro spiritu deprauato genita: valliculosa,eò quod nutrimentum vsque ad extimam partem non confert;quia pars imbecilla est reddita, aut male affecta, vt non possit nutriri:vnde alba remanebat, quasi priuata sanguine; non quidem ex pituita,vt quidam putant;neque ex semine,qualiter in lepra munda, sed ex defectu conuersionis nutrimenti *Curatio immundæ.*

in ſubſtãtiam aliti;ad quod ſequitur ſpiritus imminutio,& carnis depreſſio,& candor exſanguis; deinde verò putrefactio quæ ſerpebat cuniculis factis,cum foras non poſſet erumpere : tunc medicamento locali affricato opus erat, quod excitaret vigorem loci maculati, ſpiritum malum extingueret, nec ſerpere ſineret, ac nutrimento viuidiori penetrante vſque ad extrema, facileque in ſubſtantiam loci conuertibili. Medulla leonis, nitrum, & magnes albus trahens carnem, videntur ad rem extrinſecus. Intrinſecus verò ſanguineæ calidæque res addendæ, confricationes,exudationes,cucurbitulæ extrahentes cutim,& alia huiuſmodi.

Cura maculoſa.

3 Tertia lepra Iudaica ex maculis flauis, carne reliqua depreſſioribus,eaſdem habet curationes, ſi addideris quæ flauam purgant bilem intrinſecus : extrinſecus enim affricationes, & cucurbitulæ,& exudationes, & nitroſæ res adhibendæ ſunt ad ſpiritus praui extinctionem, & vigoris excitationem, & particulæ ad nutrimentum diſpoſitionem. Et quoniam puto hanc crudeliorem fuiſſe lepram, eo quod flaueſcebat putrefacta particula, ac inde ſerpebat, fortiora pharmaca adhibenda erunt intus, & extra.

Cura vetuſtiſſima

4 Quarta ſpecies vetuſtiſſima vocata, quæ pilos in alborem mutarat,& partes maculatas;nullam fere recipit medicinam, niſi quæ totum immutet temperamentum, de qua in cura lepræ venereæ,& elephant.

Curatio vlceroſæ.

5 Quinta, & ſexta ſpecies vlceroſa, ſiue alba, ſiue rufa, ſiue ſubobſcura:ad miſturam pertinent pituitæ, & ſanguinis putrefacti, & atrabilioſi:eiuſque remedia ab vlcerum remediis petenda ſunt proſerpentium.

6 Lepram perſeuerantem Iudaicam elephantiæ ſentimus cognatam,& validis egere remediis.

7 Lepra volatilis peſſima erat & primalitatum inſania, & in proſerpente vapore, nec abradi, aut reſecari poterat; quoniam antequam cum ſequeſtrata parte tolleretur, iam per exhalationem acutam perducebatur in alias partes.Curanda ergo eſt per extinctionem vaporis,vehementibus mineralibus cuti adhibitis: & per ſudores,& ſcarificationes,& noui ſpiritus, temperamentique noui generationem : quemadmodum venerea lues; de qua mox erit ſermo.

Curatio

Curatio lepræ Arabicæ.

1 LEpram Arabicam curabimus iecoris emendatione, vnctionibus extrinsecè eius substantiam emollientibus, & refrigerantibus, & emplastris, quo pacto fiunt ex rosaceo, & populeo oleo, & farina hordei, & lacte acido. Intus verò nutriemus ex carnibus sero caprino coctis, & cichorio, & iecoribus lacte nutritorum animalium. Purgabimus etiam pharmaco, assatam educente bilem, & iecur emolliente, vt senæ, cassiæ, & oleo amygdalino, manna, & eiusmodi. Humores exsiccabis, quemadmodum in hydrope. Totum corpus vngemus, & in sudorem resoluemus quæ ipsum fœdauerant, & nouum sanguinem meliorem gignere procurabimus. Valet in hac sarza parilla, multáque in luis venereæ cura dicenda. Vitabimus omnia sicca, atrabiliosa, torrida. Varices secabimus, sanguinem cineritium educentes, largis sectionibus: tenuitatem generabimus.

Curatio lepræ Græcorum.

1 ELephantiam innatam incurabilem puto. Caro enim menstruo alita, aut infecta ab initio, suæ temperiei tenorem seruat. Intemperiem autem in alteram transferri ea ratione quis putabit, qua frumentum in lolium desciscit. Ergo hilaris, mundæ sanæque robustæ mulieris lacte infans nutriendus, & balneis odoratis assuefaciendus, si forte venenata qualitas in aquas exeat sensim odoribúsque temperies emendetur.

2 Quæ autem à victu exordium traxit, ab initio forsan curabitur victus ratione temperata, probum sanguinem procreante, & venæ sectione largiore, præsertim autumno, & vere. Item pharmaco purgante bilem atram, & cineritiam, videlicet sena, rhabarbaro, agarico, epithymo, confectione hamech, facta præparatione per syrupos ex borrag. buglos. sanicula, portulaca, veronica, &c. Deinde repete pharmacum validius ex lapide lazuli, hiera, colocynth. helleboro. Galenus enim sanguinis missione, & repetita pharmacia quotannis elephantiam inchoatam sanasse narrat.

3 Præterea oportebit intus iecur mundare, & torridam bilem dissoluere, emollireque cibis contrariis, videlicet ex lacte asinino, ptisana, beta, borragine, lapatho, alica, sorbilibus ouis, piscibus saxatilibus, lactucis, vua passa, & recenti, cerasis, carnibus hœdo-

rum,anserculorum. Dantur & per vices theriaca,mithridatium, corallus rubeus,smaragdus,margaritæ in puluerem actæ, cornu vnicornis & cerui, conserua borraginis: syrupus de pomis; plantago,sanicula,lactuca,& similia. Vitanda sunt omnia quæ bilem atram, & cinerem multum faciunt. Potus esto vinum album temperatum, vel succus granatorum.

4 Fiant in tota cute confricationes,& vnctiones ex adipe agnorum,& gallinarum,& scarificationes,& extractiones aliæ per sudorem,& balneorum aromaticorum applicationes; vt quemadmodum coctionem in iecore iuuamus per pharmaca, & rationem victus iam dictam. Ita coctionem tertiam per balnea extractis quidem prauis inueteratisque humoribus cutaneis, vt valemus. Confert balneum ex butyro. Item ex decocto borraginis, plantaginis,betæ. Item ex sero,& lacte. Valent vomitiones, sudationes,& deiectiones per clysteres magistrales, vt nulla sordes assuescat intus morari,& fomentum lepræ fieri.

5 Theriaca nedum intus sumpta, sed illita etiam exterius valet. Item nitrum,nigella,sepia,calx, sulphur contra plagas lepræ, vt supra.

6 Tandem remedium inuentum est ex viperæ carnibus,si illis vescatur æger:quas præparant detracto capite, cauda & visceribus in olla instar anguillarum, cum porro, & anetho. Siquidem immutandi temperamentum habent vim, vt in ceruis solet, sicuti in lib. 2. de reiuuenescentia loquentes,dicebamus;& Galeni historiæ id confirmant.

Curatio lepræ Gallicæ.

Intentio medendi. 1 QVoniam hęc lues in humoribus soliditati incorporatis,deprauandis grassatur, post vbi spiritum suo delirio contaminauerit, mox solidas inficit partes. Quando iam confirmata difficile eradicatur,totámque immutat intemperiem, & sanguinis officinam. Propterea scopus Medici erit humores exsiccare, & per sudorem educere, ac meliores gignere, qui corruptelam non facile admittant,ac temperiem prorsus immutare.

Victus. 2 Idcirco victus erit frugalis,& siccus,& purus, ex biscocto pane albissimo,aromatibus condito,& passis vuis,& prunis,& carnibus assatis non valde pinguibus,præsertim siluestribus,& montanis auibus,& pauonibus,& rebus minus putrescētibus. Fuge carnes bubalas,& porcinas,& olera,nisi forte sinapi admiseris:potus

sit

ſit vinum purum,auſterum,temperatum aqua cynamomi,vel decoctum ſarzæ parillæ,& cynæ.

3 Mox medicamentum purgans inſtituendum,præparatis prius humoribus per ſyrupos è fumaria, epithymo, lupulis, adiancho, oxymelite, melle roſaceo,decocto ſarzæ parillæ, radicum cynæ; vel,ſi vetus fuerit morbus, decocto guaiaci. Purgatiuum erit ex caſſia,ſena,catholico,ex pilulis aggregat.& imperialibus pro minoratiuo: & ſi non ceſſarit, & inueterato,porriges confectum ex foliis ſenæ, agar. rhabarb. infuſis in aqua ſcabioſæ deſtillata, & pimpinellæ, & betonicæ, calendulæ, vel decocto addunt confectionem hamech,& cathol. *Pharmac. purgans.*

4 Adde ſudatoria,& vrinam prouocantia per potionem decocti ſarzę parillæ,aut cynæ,aut guaiaci:qua ſumpta ante prandium vel cœnam exſudent in lecto ægrotantes tecti,& calefacti, aut in thermis,aut ſtufis. *Extrinſeca medicamina.*

5 Munies autem viſcera,& caput,& cor,theriaca & conſerua è floribus geniſtæ,ſaluiæ,betonicæ,bugloſſæ. Valent margaritæ, os ex corde ceruino, aloë: præcipue verò ſi hydrargyro inungere coactus fueris,vbi morbus ſolidas partes inuaſerit, vt ſua penetratione pharmacum intromittat, & temperiem malam emendet. *Nutriment.*

6 Solet etiam,vbi caput laborauerit,per ſternutatoria,& maſticatoria expurgari ſemel in die.Oportet etiam ſudatoria,& pharmaciam repetere, donec prorſus temperies emendetur. Conferunt ad hoc labores, itinera, & quidquid exſudare facit venenum.

7 Vidimus etiam probè curari poſt ſyrupos,& pharmaca ex colocynthide in infuſione. Addunt, ne reliquiæ in ſeminalibus ſtabulentur;coitu vtendum cum percalida Æthiopiſſa, vbi peccatum non obeſt; morbus enim vexatus ex hoc facilè migrat in hanc;cuius vulua lauetur optimo vino mox, & vrina, ne inficiatur.

8 Balnea medicata valdè proſunt,& ſulphuris odor in Puteolano agro exhalans,vt peſtilens vapor obliteretur,& humor putreſcens exſiccetur. Quicunque hac carent commoditate, imitentur ſulphurariam Puteolanam in conclaui proprio:vtrinque vaſa prunis & ſulphure plena, inter quæ deambulent, circumponendo.

9 Si hydrargyrus oſſa penetrarit,nec expelli poſſit,cucurbitulis

Ad extrahend. hydrarg.

ex auro confectis facile educitur tractione vacui,& sympathia simul naturarum.

Cadus cõtra reliquias morbi venerei.

10 Inuenere tandem potionem optimam,quæ reliquias morbi auferat passim per dejectionẽ alui,quæ fit accipiendo librã scobis seu ramentorũ ligni sancti,idest guaiaci;dimidiã sarzę parillę paulum contusæ:vncias quinque folliculorum senæ:agrimoniæ,cardui caballini manipulum vnum , cynamom. drag. vnam. caryophyll. dragm. vnam;nucem moschatam vnam. Omnia contundantur simul,& in cado reponantur vini Græci pleno,vel optimi cuiuscunque albi generosi,capiẽti viginti garaffas Neapolitanas, (quæ æquare possunt triginta circiter heminas Parisienses) ibique per viginti quatuor horas demorentur. Exinde in prandio & cœna eodem potu vtere : sic enim passim quotidie morbus euacuabitur. Cuius rei experimentum non semel vidimus.

11 Bubones,& vlcera quæ hunc morbum comitantur,puluere aluminis scissilis & hydrargyro præcipitato, auferimus. Item oleo sulphuris,aut nitri,& reliquis rebus,quæ in vlcerum cura memorabuntur.

Contra vlcera morbi venerei.

12 Frustra autem curantur vlcera,nisi intrinsecus fontes ipsorum exsiccentur. Deterior tamen lues absque vlceribus:non enim potuit natura expellere,vel ex parte malum. Cum autem inueterata lue computruerint ossa, remedia non inuenies. Vidimus enim homines ditissimos nec Paracelsistarum medicinis tenuissimis sanari potuisse.

Admonitio.

13 Puto etiam in hoc morbo helleborum habere virtutem, & antimonium & quintas essentias,ad extimas partes penetrantia, indéque extrahentia. Similiter autem & ex eisdem inunctiones, præcipue garyophylorum,& cynamomi & guaiaci,vt penetrando occidant spiritum pestilentem,temperiem emendent , pestilentiam extinguant. Applicentur autem post exsudationes.

Remedium sæpè probatum à Magistro Augustino Russo.

℞.hydrargyrii communis partem quantamvis : cui adde hydrargyrij ex argento extracti tantundem : ponanturque mixta in aqua forti,donec macerentur,& in minutias redigantur. Deinde parabis pluribus vicibus,donec exacte mũdetur,deponátque robur aquæ fortis:ex hoc propinabis ægroto acinos quasi decem & octo in conserua rosarum,vel in vino & saccharo in manè : euacuabit

euabit enim omnem malitiam morbi per ſeceſſum & tranſpirationem, multaque pars vertetur in ſcabiem; quam remediis ordinariis curabis, maximè autem oleo guaiaci mixto. Et lauabitur in aqua Tyberis, vel alia medicata. Quòd ſi prima vice, omnis morboſitas egreſſa non fuerit, repetitur pharmacum poſt octo dies, ſemel vel bis: ſed doſis minoris, id eſt, acinorum 12. Bene manducet, & de vino optimo bibat abſquē aqua.

Vt autem ex argento extrahatur hydrargyrium, oportet argentum calcinare: deinde ponere ſub fimo, aut in aquis calidis. Sic enim guttæ hydrargyri emergunt, quas collige.

Aliud remedium, quo vſus eſt Comes de Caſtro-villano, quod multi ſumentes ſanati ſunt.

℞. Sarzæ parillæ vncias quatuor. Seca in fruſtula longitudinis trium ferè digitorum, contunde parum in mortario. Pone in cucuma capace decem mēſurarum Romanarum, quas vocant fol·lietas, (quæ æquiualere poſſunt duodecim heminis Pariſienſib.) cum decem menſuris aquæ de ciſterna: maneátque ſic per viginti quatuor horas: mox pone in eodem, vel in altero vaſe ad coctur am ignis, donec remaneant quinque tantùm menſuræ. Caue ne feruore nimio emergat extra vas; propterea pones pileum, diſtillatorio ſolitum. In ore cucumæ, cum recipiēte vaſculo: ex quo quod effluit, poſſit in feruente cucuma reponi. Perfecta coctione extrahitur ab igne cucuma, imponaturque aniſorum pugillus bene mundorum. Et cum inceperit refrigeſcere decoctio, colabitur per mundum pannum in la[illegible]nam, aut aliud vas ad ſequentem vſum. Idque dum pharmaciæ tempus durat, ſingulis repetes diebus quinque infuſiones & coctiones. Quotidie enim ſumēda eſt huiuſmodi decoctio per triginta dies hoc ordine. Primo die purgabitur æger ſecundum artem. Sequenti die antequam de lecto ſurgat, bibat poculum quinque vnciarum prædictæ decoctionis calidæ, quantum ſufferre poteſt: moretur in lecto dormiendo, aut vigilando per vnam aut duas horas; caueatque ne exſudet vllo pacto. Mox ſurgens veſtitus bibat eiuſdem decoctionis non calidæ ieiunè poculum vnum; poſtea deambulet quocumque placuerit, donec incaleſcat: & tunc reuerſus domum manducet parum biſcocti, accipiatque alterum poculum eiuſdem decoctionis, & poſt duas horas prandeat biſcoctum, vuam paſſam, amygdalas

dalas & res saccharo confectas, bibàtque ex ea decoctione tantum, quod non remaneat mensurarum quinque nisi vna circiter. Cuius partem bibet duabus horis ante cœnam, & partem in cœna, quæ solo biscocto contenta erit. Et hoc obseruabit per quinque aut sex dies.

Post hos dies eodem tenore prosequatur bibere sequentes decoctiones, eisdem horis & modis: attamen plenius manducabit in prandio carnes assatas, pullorum, caponum, vitulinam, & etiam absque larido. Cauebit etiam à carne salita, oleo, acetariis, à caseo, lacte & aceto. Vesperi autem cœna erit biscocti, vuæ passæ, & amygdalarum. Et cum transierint 15. dies, assumat vncias tres rosarum alexandrinarum cum cynæ puluere. In quo die carnibus vescetur, siue assatis, siue elixatis; vinumque bibet temperatum aqua ordinaria absque decoctione prædicta.

Translacto quintodecimo die continuabit prandium & cœnam carnibus assatis & potu decoctionis: quam accipiet eodem tenore, sicut primis diebus, ita vt quotidie bibat quinque mensuras Romanas, vt supra.

Post trigesimum diem purgabitur leui mitique pharmaco, & deinde per 40. dies temperabit vinum aqua, in qua decocta fuerit sarza omnis, quæ remansit ex decoctionibus 30. dierum prædictis: seruabitur enim propter hoc ipsum ad reliquias omnes extinguendas: sicut fit per cadum superioribus remediis annumeratum.

Sarzam parillam nasci in Calabria vlteriori iam compertum est doctissimorum opera Medicorum, præcipuè Michaëlis Politi conterranei: & quidem eiusdem & efficacioris virtutis, quàm ex Indis aduectæ.

Guaiacum etiam lignum de proprio semine, aut surculo satum benè assurgit.

De capillorum defluuio, & alopecia & ophiasi, & porrigine, & pediculatione, & achoribus.

ARTIC. IV.

Defluuium capillorum, eiusque causa. 1 MAculatur etiam cutis pilorum defluxu: qui multiplicem habet causam: aliquando enim caluescunt fuliginoso humore deficiente, aliamque tenente viam, vt accidit libidinosis iuuenibus:

iuuenibus: aut ad cutem egredi non potente, vt senescentibus. Et hoc quasi naturale est, medicinisque haud cedens.

2 Aliquando post diram infirmitatem, ex qua sequitur raritas cutis, & inopia nutrimenti pilorum, cadunt, vt arboris in autumno folia post æstum relaxantem poros, & humores exsiccantem; nam qui in hyeme cadunt, humore à spiritu sese abdente, nedum introrsum acto, non amplius nutriti cadunt.

3 Huius morbi curatio sæpe nulla requiritur, sed instauratio virium post infirmitatem per cibos boni succi non salsos, neque biliosos, qui radices pilorum instaurent, non erodant, solet esse & pilorum refectio. Poterit, vt certius oriantur pili, ladanum, oleo lentisci dilutum, cuti applicari: huius enim est cutim densare, & pilorum nutrimentum accersere. Addere etiam licet oleum myrtinum, vbi densatione maiori indigemus. Item in frigidis temporibus & temperaturis nardinum simul ladano miscebis oleum liquefacto. Vtuntur etiam verbenaca in oleo omphacino. Item absinthio vnà cum ladano. Item nigellæ cinere, & capillorum Veneris, & capillatarum plantarum & animalium; vt cinis barbæ caprinæ, erinacij, echini, pilorum vrsi; cruris leporini, abrotani. *Cura.*

4 Cadunt etiam pili aut pituita salsa radices depascente quibusdam in partibus; aut atra bili. Quod pellis discernet glabra facta, vel candidior, vel subobscurior. Dicitur Medicis huiusmodi macula alopecia, eo quod vulpes ipsa affici solent; & ophiasis, eo quod serpentis ritu glabrum apparet pinartibus pilosum caput, aut mentum. *Causa iterum alopecia, ophiasis.*

5 Curantur purgatione humoris præcedente, siue salsi pituitosi, siue biliosi in pallida; siue atrabiliosi in subnigra passione per medicinas appropriatas: de quibus sæpè. Maximè autem per pilulas caput expurgantes. *Cura.*

6 Vtendum similiter masticatoriis & sternutatoriis ex sinapi, hyssopo, pipere, origano, carpesiis, pyrethro.

7 Affricanda sunt loca glabra prædictis rebus in defluuio capillorum. Adde thapsiam, nasturtium, laurinum oleum, anseris adipem, & vrsi, erucæ semen; stercus murium, & capræ, corticem raphani; thus, sulphur viuum: marrubium, parietariam, corticem cæparum; & hæc omnia vbi prius ruborem in cute per frictionem excitaueris, vt penetrans medela sanguineas fuligines exitui aptet & radicationi.

Præterea cinis erinaceorum, spinarum, & apium crematarum: muscarum, auellanarum, nucum, castanearum prodesse dicitur: & aqua destillati mellis, & cinis capitis vulpini cum adipe vulpino.

De porrigine. 8 Porrigo est furfur inter pilos insigniter succrescens, abacri humore originem habens; ita adurente cutim, vt quasi squamæ in ipsa emineant & diuellantur. Alij biliosum, & acrem humorem in causa faciunt: sed victus, & ætas, & temperies veritatem declarabũt. Curatur euacuatione præfatorum humorum, & corroboratione cutis, & abstersione decorticatæ amygdalæ amaræ in aceto, item althæa in aqua marina decocta, nitro, calchanto, cimolia terra, assata scylla, decocto lupinorum, vino, sulphure.

Curatio pediculationis.

Quid. 1 PEdiculatio, quo morbo reges plures antiquitus, & hoc tempore mortui sunt; est pediculorum in capite incessabilis generatio in cuticulæ profunditate, ex calido viscido humore exudante, spiritúmque ex proprio attenuante calore concipiente.

2 Propterea exsiccatoriis, & attenuantibus humorem & occidentibus spiritum, indigent ægri; qualia sunt decoctum lupinorum, baccarum staphidis syluestris in aceto, & oleo, alumen, sandaracha, nitrũ, oxylapathi radix, helleborus, succus hederæ, tabaci, parietariæ, raphani, & lauri oleum, & similia secundùm artem ministrata.

Curatio achorum.

Descriptio. 1 FOedant cutim cum vlceratione minutissima achores à capite instar tineæ pannum tenui erosione, & foraminibus minimis afficientis, proptereáque etiam tinea dicitur, & maculis
Causa. aliquo pacto annumeratur. Ex seroso humore salso erumpẽte, ad pruritum & scalpendum incitati vlcerantur. Mox glutinosa erumpit minutissimis guttis sanies, ita vt pituita corrupta videri possit, & nitrosa; quia omne excrementum album pituitam vocant Medici, cum tamen potius pus dici queat, quod exinde excernitur, & ex putridis, vitiatisque humoribus genitum.

Cum

Cum hoc malum leue fuerit,localibus remediis tollitur reprimentibus cõfluxum humoris, & discutientibus quod effluxerit, abstergentibusque. Valent ergò à principio baccæ myrti,folia rubi,& salicis,plantago,polygonum ad reprimendum; quæ illinantur abrasis prius capillis. Discutiunt verò lilij radix, rosmarinus in vino,& decoctum lupinorum amarorum,& radicis siluestris, cucumeris,folia rutæ, malicorium cum oleo laurino, thus in aceto, farina fœnugræci,cum nitro. Vtrumque operatur acetum,& cum sæuit morbus carthaceum valet medicamen aceto dilutum; & vnguẽta ex spuma argenti,amiantho, cadmia, spodio,terra lemnia. Durioribus & viscosioribus,sal,fæx vini vsta,sandaracha,calx viua,fel caprinum, & foliorum fraxini, & iuniperi cinis.

De tumoribus eorúmque speciebus.

CAPVT XXIII. PARS II.

SEcundum locum tumores tenent in cutaneis morbis: quorum alij dolorifici, vt struma: alij doloris expertes & molles, vt œdema. Eorum vero qui dolorem habent,alij propriè tumores generatim vocantur præ cæteris grandiores ex congestione, aut affluxu humorum,in partem aliquam eminentiam facientes; quæ aut dolore,aut calore,aut opportunitate attraxit; aut impotẽtia digerendi obstructa intumuit. Alij vocãtur tubercula,minora tumoribus, ex humore crasso, & fæculento sanguine genita plerumque. Alii vocantur pustulæ tuberculis minores, ex quibus ruptis pus emanare solet, ex tenui, & vaporosa enascens materia Tumoribus autem multiplex associatur abscessus pro quantitate, & qualitate affluentis putrefactionis. De cunctis singillatim nos nunc sermo expectat. *Distinctio.*

De œdemate, & scirrho.

ARTIC. I.

OEdema aliud ex flatu, & seroso fit humore, morbos certos subsequens, vt inflatus tumor crurum hydropicorum; quorum cura ad sui morbi curam refertur. *Distinctio.*

De tumore bocio vocato. Aliud naſcitur ex flatu, & pituita abſque morbo præcedente, inter arteriam, collique cutem eminens; cur cauſas aſſignāt aquas craſſas, gelidaſque, & aërem craſſum ſimiliter frigidiorem, ac cibos etiam conſimilis temperaturæ. Quod cū non certum ſemper ſit, non modò enim certis in locis, vbi tales aquæ & aëres, & cibi inſunt, iis tumoribus inſigniuntur: ſed etiam in noſtra regione ſicca, calidaque: propterea potius membranularum intranearum rupturæ videtur adſcribendum: ſed cum apud nos ſolis fœminis, & vix vnquam maribus hoc mali accidat, facilè quis mollitiei temperaturæ, & cibis, & aquis cauſam dabit. Medela nulla inuenta eſt apud noſtrates; neque enim ſecantur abſque periculo, neque ſtringuntur abſque ſtrangulatione. Vnctiones verò proſunt nihil, neque adſtrictiua ex temperamento, niſi & per vim adſtringantur.

De tubere in brachiali. 2 Aliud naſcitur in brachiali, & in certis iuncturis, vbi pituita craſſa, & mollis congregatur, & tendonis nutrimentum ſuperfluum. Cuius medicamen eſt ſpongia recens aceto perfuſa, arctius alligata faſciis, quæ reprimat influxum, & humores exſiccet: propterea & nitro, & lixiuio ſolet ablui ſpongia apponenda, acetóque ſubinde perfundi, & alligari. Fiunt ad idem emplaſtra, ex radice althææ, liliorum, acantho, oxylapatho, & ſimilibus exſiccatiuis. Item diachylon plurimum valet. Solet & plumbea lamina apponi comprimique deſuper.

Cauſarum ſcirrhi diſtinctio. 3 Scirrhus vero durus eſt tumor ex repletione, & concretione congeſti humoris, induratique factus. Cuius autem humoris, color indicabit. Cum inflammatio reſoluentibus nimiis curatur, ita vt ſpiritus exhalet, & craſſa pars induretur, fit etiam ſcirrhus: proptereáque parum à principio dolent, dum ſpiritus non omninò abſceſſit; deinde verò indurati non dolent, & tunc ſunt incurabiles.

Cura. 4 Curantur autem à principio non oleis, ſed medullis animalium, & butyro, & his herbis quæ molliendi vim habent, & farinis cum lacte blando calore præditis, ita vt non educat attenuatam partem, ſed miſceat attenuandis, prout cum de iecoris, & lienis ſcirrho loquebamur, docuimus. Laudantur reſinæ ad emollitionem, & herbæ olim dictæ cum modico aceti vt penetrent; acetū enim ſolū potius indurat, tenuitates reſoluendo, ſed tamē & craſſitiem aperit laxátq;, etiā adipem intromittit. Solent in aceto igniteum lapidem inicere, vt fumus ex eo in ſcirrhi locum exhalet,

ac

ac ſubito mollitiuum imponere medicamentum ex malua, fœnugræco, lacte, terebinthina, anſerina medulla, &c. magna, ac ſubita cum ſanitatis efficacia: præſertim vbi in ligamentis, & tendonibus ſcirrhus apparuerit. Vtrum pharmacum purgans præcedere debeat, prudens Medicus ex cauſis ſcirrhi agnoſcet, prout in ſuis locis meminimus.

5 Hic valent quintæ eſſentiæ vocatæ ad penetrandum etiam indolentes ſcirrhos. Sed an curentur, experiendum.

De tumoribus dolorificis.

ARTIC. II.

De phlegmone.

1 INter dolorificos tumores phlegmone præcedit, quæ rubore, dolore, & duritie eminenti inſignitur. Fit autem ſanguinis, & craſſi humoris affluxu in particulam oblæſam; vulnere, aut fractura, aut contuſione, aut alia cauſa humores accerſente. *Deſcriptio & cauſa.*

2 Curatur venæ ſectione, ſi vires, & res permittant, ex aduerſa parte, vt ſanguis diuertatur. Mox applicabimus, quæ humores & reprimunt, & partem roborant, quale eſt cataplaſma ex ſemperuiuo, & cortice punicorum in vino decoctis, & polenta. Sedat dolorem ſolanum, lens, panis in roſaceo; vbi prius madefeceris partem ſpongia vino frigido conſperſa. *Cura.*

3 Si autem ſuppurationis ſigna apparuerint, iuuanda eſt farina triticea, lini ſemine, butyro, fœnugræco, radice althææ, porcino adipe. Rupturaque proueniens ſtercore columbæ, & acutis corroſiuis, vel ſectione leui: qua facta ſanies eruenda, & pars abſtergenda vino, melicrato, decocto rubi, & rerum, quæ in tonſillis dictæ ſunt. Deinde agglutinanda malicorio, ære vſto, ceruſſa, & viſco, &c. vt ſupra. Sin verò inflammatio perdurauerit, terebinthina, & luteo oui, & roſaceo, &c. mitigabitur.

De eryſipelate.

1 ERyſipelas eſt tumor ex ſanguine, & bile flaua eminens, ardens, & rubeſcens, flauus, calidiſſimus, dolore pulſatili præditus, tactui cedens, ita vt tenuis ſanguis ſubterfugiat, aliquando carnem in profundo afficit, quum inflammatio miſcetur. *Quid.*

2 Remedium à venæ ſectione diuerſiua incipit etiam repetita, ſi opus fuerit; & cum nequit, purgatio bilis adhibenda: & quia *Cura.*

minus expectat, per clysteres fiat ex mercuriali, violis, portulaca, nymphæa, hordeo, cassia, hiera, intubo, &c. cæterisque inflammationem sedantibus: similiter & oleis.

3 Applicentur localia refrigerantia deinde ex solano, hyoscyamo, lactuca, psyllio, &c.

4 At si phlegmone simul adest, cutis ex remedio liuescet: tunc aperta cuti, vbi refrigerantia præcesserint, perfundes locum calida, & quidem marina, vt feruor exhalet, & caro solidetur, & à putredine seruetur: valet & oxymel, vel acetum solum.

5 Si autem œdema, aut scirrhus simul affuerint, misce remedia conuenientia scirrho, & œdemati.

De herpete.

Quid & causa. 1 EX tenuiori bile nascitur papula, herpes vocata Græcis, eo quod serpat: & alius simplex est solo tumore conspicuus: alius exedens etiam carnem; & cum tenuior est, multiplexque, papula miliaris vocatur, eo quod milio similes bullas habet.

Cura. 2 Curam aggredimur ex victu refrigerante, sicut in erysipelate, & per bilis euacuationem, siue pharmaco, siue phlebotomia. Localia sint refrigerantia, & humectantia in miliari. In exedente refrigerantia & exsiccantia, vt vapor, & humor cuniculos faciens sub cute, extinguatur. Igitur sicuti in illo valet polygonum, portulaca, lactuca, &c. Sic in isto folia vitis, rubi, plantaginis, & lacryma stillans è vite incisa. Vlcera vero thus, gallam, calchantum, & cætera huius ordinis, requirunt.

De carbunculis.

Quid & causa. 1 CArbunculus tumor est ex fæculento sanguine congesto in aliqua particula, tumor rubens, tensus, feruens, & pruriens, dolénsque vna erumpens pustula, aut multis. *Medela.* Si humor tenuis exedens mistusque punxerit pluribus viis; febremque localem habet ad suppurationem, & ruptionem tendens; huic carbunculo facilè occurritur per ea quæ suppurationi, & ruptioni medentur: de quibus supra.

De anthrace. 2 Est alius carbunculus deterior, altiores radices agens, & sæpè plures, cum in pus crassum, turgidum materia vertitur: acrimoniam, dolorem pulsatilem, & febrem etiam vniuersalem aliquando faciens; qui dicitur Anthrax.

3 Huic

3 Huic venæ ſectio prodeſt: victus tenuis, & localia remedia, modice reprimentia & pus diſcutientia; vt cataplaſma ex plantagine, & lente excocta, & mica panis; & vlcere facto, paſtillus Andronis, vel Polyidæ apud Galenum. Fit etiam ex alumine, galla, thure, myrrha, aloë, radice ariſtolochiæ, calamintha, calchanto, cum vino dulci. *Cura.*

Partes adnatas defende ſuccida lana, aqua roſacea, aceto, bolo armeno. Ad radices euellendas vtuntur punico acido in aceto cocto, minutatim prius inciſo; cætera ſubſequẽtur, vt in vlcerib⁹.

4 Fit etiam in peſtifera conſtitutione alius carbunculus lethalis, contagioſus ex torrefacto ſanguine, febris incendio, foraſque protruſo. Paruus quidẽ tumor à principio, qui ruptus incruſtatur, ſubniger, cũ dolore grauiſſimo, vehementi calore, diraque febri. *Glans peſtis.*

5 Curatur reprimentibus quidem nullis (ne venenum intro recedat) ſed refrigerantibus, & diſcutientibus, & attrahẽtibus; quales ſunt cucurbitulæ, hirudines, galli anus. Cruſtas butyro diſſipabis: deinde abſterſiua ſuccedant, & glutinantia, vt in vlceribus, &c. *Cura.*

De bubone.

1 BVbo propriè eſt glandularum, & laxarum partium tumor, quæ influxiones facilè recipiunt aliorum morborum: nam ſub auribus, & axillis, & inguinibus, & collo fiunt, vicinarum partium trahendo morboſas cauſas: & in peſtilentia, & ſemper, bonum eſt eos exire: malum eſt intus latere ex toto, vel maiorem materiæ morbificæ partem. *Quid.*

2 Curatur bubo mollientibus, & attrahentibus, ſicuti carbunculus peſtilens, ne venenum intrò feratur. Vtuntur cæpa cocta, lacte, theriaca, ad molliendum, & trahendum: ſed hirudo, & lanceola, & cucurbitula valdè proſunt. Poſt rupturam, & extractionem, vt ſupra more vlcerum medebimur. *Cura.*

3 Cum fiant tumores in laxioribus dictis partibus non ex morbo, neque ex peſtilentia, facile ſanantur inedia, & calidorum oleorum applicatione.

De apoſtemate.

1 APoſtema tumor eſt collectæ materiæ ſuppurationem continens. Colligitur autem tranſmittente natura, quod obeſt in partes externas, in beneficium exoneratæ partis, aut totius.

Hæc

Distinctio. Hæc autem materia cum tenuis est biliosis vnita partibus, calida dicitur: faciléque sanatur, aliquando solis calidis oleis conuersa in spiritum materia (vti & nos experti sumus) antequam suppuretur: si autē cœperit suppurari, indiget aliis auxiliis coquētibus mollientibúsque, glutinantibus, &c. Cum autem crassior fuerit materia, difficilisque coctura, ad cruditatem impuram pertinens, vocatur frigidum apostema, & quidem triplex ex materiali causa: etenim pus, aut pulti est simile, aut melli, aut adipi.

2 Dum suppurantur molliori cibo indigent, vt concurrant ad concoctionem humores; & localia erunt, quæ pus citò generant. Cum rumpuntur adiuta acribus, victus erit ordinarius: ruptis verò abstersisque siccantibus est opus cibis, & localibus, ne saniei ibidem fiat minera.

De fistula.

Descriptio. 1 ETenim vbi non extraxeris per attractiua pus omne, atque per exsiccantia consolidabis partes, ne marcorem præcedentem æmulentur: pus remanens iterum acre fit vnione, & noua coctura, serpendoque rodit, & cuniculos facit, assuefacitque alias partes putrefactioni, & quidquid in corpore putrescit, eodem accersit: sicque cuniculus callosus euadit, vocatúrque vulgo fistula. Quæ quidem vtilis est tanquam cauterium quibusdam, vt corpus ea via seipsum omnibus morbificis causis exoneret. Verùm, & caro putredinem excipiens ad putrefactionem disponitur, atque instar spongiæ fit neruosis particulis se defendentibus, carnosis verò defluentibus, & ad perniciem disponit corpus: aliquando ob nimium effluxum etiam ad hecticam.

Cura. 2 Quapropter à principio prudens Medicus incidet carnem vsque ad finem puris; deinde exsiccantibus consolidabit locum cum pus omne expresserit, & roborantibus vtetur, & incarnatiuis. Postea verò non aggredietur fistulæ curam, nisi pharmaco omnes humores euacuauerit; ne dum supprimit eos, in viscera principalia reuertantur, & peiora symptomata fiant. Si autem secandi locus non datur, & pus exprimendi totum commoditas; cura nulla instituenda, nisi victus bonus ad siccum vergens, & exercitium, quo solent exsiccari humores, & balnea nitrosa, sulphurea, aluminosa, quæ & prosunt, etiam quibus sectio adhiberi valet. Et caries lignorum, præsertim guaiaci, & vermes in carie nati, abolent fistulas.

3 Cum pus cœperit paucum fieri, & bene coctum, album, læue, & dolor cessare, & pruritus quispiam in fistula fieri, & apostemate, tunc signum certæ salutis; iuuandaque natura, vt tandem perficiat. Vbi sanies multa sequitur subrubra, & dolor non cessat, vel omnino cessat absque causa, lethum pedetentim trahet.

De tumoribus malignis.

ARTIC. III.

De cancro.

1 CVm coctio non terminatur in id, quod nutritioni est aptum, sed in aliud, generatur ex eo multiplex lepra, vt dictum est prius per totum. Nunc autem quid in partibus mali fiat, dicendum restat ex abscessu facto præter naturæ subsidium: videtur autẽ cancer, struma, gãgræna, & sphacelus in his cõtineri. *Ratio generat. cancri.*

2 Cancer quidem non vlceratus est tumor teter, durus, subcineritius, figuram cancri fluuiatilis, vnde nominatur, imitans; & venis, arteriisque vitiato sanguine plenis, sic configuratus, vt quasi eius pedes vtrinque videantur varicosè duriusculéque, & dolorem habet pungentem, & latè diffusum. At vlceratus cancer alter malignior est, teter, durus, dolorificus iugiter, erodens in profundum, sanie scatens copiosa, fœdissima, quouis veneno nocentissima: à principio curabilis; sed vbi radices egit, melius est (ait Hippocrates) si minimè curetur, curatus enim sæuior fit, mortémque citius affert: etenim pharmacia ad humores purgandos nil prodest, cum affecta pars propria peste continuo augeatur amplificatione sui, ex primalitatũ delirio, & cõtagione vehemẽti. *Quid.*

3 Eius causam Medici faciunt bilem atram, sed & cinerem simul ponere debuissent, & fuliginem, & pestiferum primalitatum affectum: qui seipsum auget, vt rabidi canis venenum in aliena temperie. De putrida bile atra, nihil est quod dubites: aspectus enim hoc declarat, & difficultas ad cedendum pharmacis, ob suam crassitiem incorporatam situi morboso. Fuligo autem viscositatis particeps, & duritiei se prodit, quæ magis adnatas sibi consimilat partes, quàm vt ipsa eis assimiletur. Etenim ater pannus nullos suscipit colores, & modicum atramentum, præsertim ex fumo factum, plurimam aquam nigrefacit, inficitque. Adde sensum, & affectum partis ipsa causa morbi delectatum, & vim serpendi obtinentem. Rosio autem est ex cineris, & fuliginis angulositate, & acri qualitate, vehementia affecta. *Causa ex Medic. Correctio.*

Cura. 4 Medicinam cancri putarem abſciſſionem ferro omnium partium, & radicum: poſt purgationem tamen fuliginoſæ bilis, ne accerſiri ſolita eodem confluat, vt prius, & odoris cancri reliquias ſuſcitet. His adde vſtionem, & ea, quæ reprimunt fluxum, vbi probè emunxeris craſſi, & putreſcentis ſanguinis reliquias. At quoniam venæ, & arteriæ plures in cancrum coëunt, vbi non eſt ſpes eas reſarciri poſt ſectionem, neque poſſunt per longum aperiri exprimique, ſed per latum, oportet abſcindi, præſertim ſi cancer inualuit, iam nulla fere reſtant remedia, niſi, vt miteſcat.

5 Ergo cibis boni ſucci, & nullam bilem atram facientibus vtendum, & pharmacis eam purgantibus aſſuefaciendum: vena tentanda larga ſectione. Item ſi hemorrhoides inerant, aperiendæ ſunt iterum: Mulieribus verò ſuppreſſi menſes ciendi. Etenim nullibi magis innaſcitur cancer, quam illarum vuluis, & mammillis ex menſtrui retentione: habet enim mammilla cum vtero analogiam, & correſponſionem, vt dictum eſt alibi. Vtendum etiam theriaca, & mithridatio, cæteriſque venenatã pellentibus qualitatem. Localia remedia erunt ex ſucco ſolani, ceruſſa lota, plumbo vſto, thure, hydrargyrio, bolo armeno, terra lemnia, cancri fluuialis cinere, roſa, meliloto, & huiuſmodi.

6 Vlceratis cancris hæc eadem valent, & vnguenta fiunt addito roſaceo, porcino adipe, vitellis oui aſſis, myrrha, iride, ariſtolochia. Item camphora diſſoluta in aqua forti, & mox ſupernatante, & hoc ad opus ſeruata plurimum prodeſt inuncta.

De ſcrofulis.

Deſcript. 1 STrumæ, vocatæ ſcrofulæ, fiunt in colli glandulis ex nõ valdè diſsimili materia atque cancer; & ſcirrhoſam obtinent duritiem, & glandularum quantitatem variam: ita tamen quod aliquando pendulę ſunt, abſceſſu eas extrinſecus in pelle gignente, & ex parte ſeparante: aliquando infixæ inhærent collo ſuperficialiter: aliæ intrinſecus magis, & circa guttur, & in poſterioribus colli partibus, & in obliquis.

Diſtinctio. 2 Aliæ ſunt mites abſque inflammatione & dolore, cum mediocri duritie: aliæ malignæ cum inflammatione, & pulſanti dolore, tumore inæquali.

Cauſa. 3 Cauſam mitibus aſsignant Medici pituitam lentam, frigidúmque humorem: malignis addunt bilem atram, quas inſtar cancri incurabiles autumant.

4 Me

4 Medicina erit conueniens glandularum abſciſſio per ferrum, *Cura.* ſicuti in cancris, & par ſubſequens medendi ratio: ſi tamen non eæ ſint glandes, quæ magnum præſtant vſum: ſiquidem, & in teſtibus, & inguine, & alis, & mammillis, ſunt glandulæ, gignendo ſemini, vel lacti, aliiſque vſibus deſtinatæ; in quibus etiam ſtrumæ fieri poſſunt: & quæ in collo puluinaris vſum habent in venarum ramificatione, ne forte rumpantur, & facile ipſarum iactura toleratur.

5 Pharmacia erit, quæ tales euacuet humores, victus qui non generet, ſed minuat. Emolliuntur autem iis, quæ ſcirrho molliendo aptantur localiter. Diſcutientia erunt calx viua ſæpius lota, ſtercus bouinum ex aceto, cancrorum cinis, ſulphur viuum, ſemen naſturtij, myrrha, galbanũ, ammoniacũ, nitrum, fel porcinũ.

6 Laudant Magi talpæ caput cum terra per talpam eruta contuſum: raiæ aculeatæ marinæ ſpinam: brodium teſtudinis, brodium in quo rubeta fuerit decocta vſque ad tertiæ partis conſumptionem: oſtrearum cinerem, & cancrorum, & ficus, & ſcrofulariam, cyclaminum, dracunculum, mandragoram, eryngium.

De gangræna, & ſphaceliſmo.

1 GAngræna tumor eſt partis nondum extincti ſenſus, ſed mortificati; niger, putridus, graueolens. *Quid.* Eius cauſa eſt defectus nutrimenti, & tranſpirationis, quæ accidunt ex eo quod pars contuſa valde fuerit, aut ligata ſtrictè, vel inflammatione nimia correpta, vel à frigore nimio: ita vt temperies immutetur, *Cauſa.* nec nutrimentum trahat, nec excernat fæces, nec fuligines. Hoc rectè Medici norunt. Sed profectò accidens huiuſmodi non tantum fieret, niſi & humores praui, & impuri confluerent, aut præineſſent; qui ad cancri quaſi generationem ſint apti: ſolent enim etiam ex ſolis malignis humoribus fieri: at ex ſola ligatura niſi ipſi adſint, nequaquam; vt patet in his qui fune, & equuleis torquentur ſtrictiſſime abſque hoc ſubſequente morbo.

2 Sphacelus, qui Latinis ſideratio, eſt totius membri extinctio, *Sphacelus quid.* ita vt ſentiat nihil, ex eiſdem cauſis ſæuioribus ortum ducens; quod & plantis euenire ſolet, quando non modo ſpiritus liber dans ſenſum, ſed etiam implantatus extinguitur, & vis nutritiua corruit.

3 Cura gangrænæ validæ ferrum eſt; quo pars putrida reſecatur: *Cura gangr.* deinde adſtringentibus localibus medicamẽtis, prius tamen ferro

ignito venas, arteriasque tanges leuiter, ne sanguis multus subsequatur, & vulnus exsiccetur.

Cura sphac. 4 At si remedia non spernit, valent ad gangrænam post purgationem peccantis causæ, lixiuium ex cinere crematorum cauliculorum ficus, vua passa sine nucleis trita cum ruta, saluia etiam contusa, & acetum.

5 Ad sphalecismum curandum valent ea, quæ illius causis aduersantur; contra frigus enim calida: contra contusionem, & ligaturas ea, quæ his medentur, vt infra. Si humores peccauerint, purgatio ipsorum præcedat: mox cicerum farinæ emplastrum, aut ex eius foliis similiter & salusa, & lixiuium ficus iam dictum. Item frictiones ex oleo, balsamo, & adipe humano, & medullis ossium, & quintis essentiis aromatum, & sideratæ oliuæ viuificatæ d inde oleum, quod accidere Virgilius narrauit; & hæc ad omnem sideratiouem. Acetum & calx ne serpat, & malignitas tollatur prodest, & sectio ad viuum tollit contaminationem, & hoc à principio. Nam difficile euadunt, & vix vnus.

Phaged. 6 Phagedæna ad cancrorum rationem, & medelam refertur, sic & cacoëthes alij tumores, quos ex supra dictis curare didicimus. Ad omnia autem carcinomata vlcerata valet camphora ex aqua forti emergens, & calx lota, vt supra.

De tuberculis generatim, & speciatim.

CAPVT XXIII. PARS III.

Distinctio. 1 POst tumores eorumque comites tubercula sequuntur, quorum alia absque dolore videntur nasci, & crescere, postea tamen magnitudine obtusum efficiunt dolorem, vt callus, & clauus: alij sunt cum dolore, vti furunculus, & panaritium: alij medio se habent modo, vt formica, & verruca, thymus, & varix venæ, & arteriæ.

Causa ex Medic. 2 Horum causas Medici faciunt frigidos, crassos pituitosos, & melancholicos humores; sed ad proprias, & peculiares causas, modosque generationis non perueniunt; sed causas quæ innumeris morbis assignantur vniuersaliter adducunt; nos autem quorum experientiam nondum habemus, parum audebimus: cognita non reticebimus.

De callo & de clauo.

Artic. I.

1 CAllus quidem cum in manibus & pedibus fiat, vbi cutis crassa, & confricata sæpè venit; manifestè ex his humoribus, qui cutem neruosam alunt, originem trahit: cum enim comprimitur, & tunditur pes, & vola manus: eò plus nutrimenti neruosi accedit, & suam ob crassitiem sensum non retinet: quia nec spiritum, qui vniuersitati spirituum communionem faciat; ergo necesse est illum crescere quasi mediæ naturæ inter vngulam, & neruum, & substantia plantis pedum, & manuum, distincta nutriendis. Sicuti enim sanguis ad carneas partes contusas confluit, & tumorem facit: sic ad neruosas glutinosa materia eius nutrimentum adcurrit, sicque assuescens callum generat: manifestè enim laborantes presso ligone, qui non solebant, callum in manu contrahunt: vnde aliorum callorum elucescit generatio. *Ratio generat. callorũ.*

2 Clauus verò ex eadem materia sub pedibus nascitur alio pacto defluente, ita vt à cæteris partibus sequestretur, & compressa à suo fine retunditur, ita vt claui caput sortiatur.

3 Horum cura est, vt mollificentur herba indica, & tepenti aqua, & butyro; deinde resecentur vsque ad radices: deinde corrosiuis rebus, quæ radicem enasci prohibeant, aut repressiuis tantæ influentis lubricitatis affricentur. Valent ad hoc succus tithymali, thus cum aceto, fel hircinum: nitrum cum vrina pueri, stercus ouinum, & hircinum cum aceto, & sulphure; calx, & huiusmodi. Vidi multos profitentes eradicare hæc tubercula, vt nunquam vltra reuertantur, & tamen reuersa sunt. *Cura.*

De verruca.

1 VErruca tuberculum est tenui filo cuti adhærens sine sensu, vel filo crassiori, quæ & porrum vocatur: fitque excrescentia spiritu ducente exterius crassitiem dum transpirat, nec elabi potente: quapropter incisa plus sanguinis emittit, quam sua radix permittere videtur.

2 Curatur ligata filo donec cadat, aut plumæ neruulo secto: affricatisque iam dictis rebus, ne renascatur. *Cura.*

De formica.

Quid. Causa. 1 FOrmica callus est quidam lata basi eminens in tuberculum; quod dum scalpitur, & atteritur, mordentis formicæ sensum habet; quoniam spiritus cum callosa materia inest, salsusque modicus humor, vel spiritus ex tali humore ductus.

Cura. 2 Hanc scalpro præcidere oportet, & prædictis affricationibus abolere. Addunt alij fæcem vini vstam, viuam calcem, æruginem cum vrina pueri, etiam antequam excidatur: alij verò succum tithymali ærugini, & auripigmento, & sandaracæ, & ammoniaco actis in puluerem addunt in cupulis glandium applicatum, vt sponte decidat: deinde curant, vt cætera vulnera.

3 Magi autem quidquid in plantis, & animalibus tubercula hæc imitantur: præsertim gallas, & quercuum frondes, vtile putant.

De furunculo, terminthó, panaricio.

1 FVrunculum vocant tuberculum cum inflammatione, & dolore. Eius ergo sanguis crassus, adustúsque censetur Medicis, sed excrescens pabulum & impurum sanguineæ, seu carneæ partis dicendum erat.

2 Terminthus verò ex assato calido sanguine eandem habet generationem, ideóque nigrescit.

3 Panaricium sub vngue ex eodem sanguine nascitur maximo cum dolore.

4 Horum cura eadem est, vt pus maturetur, extrahatur, abstergatur: solidentur partes; & si opus fuerit cucurbitula scarificata, aut sectio venæ, aut purgatio, cum multæ fuerint associentur.

5 Prodest locale remedium ex his, quæ similia patiuntur.

De pustulis.

CAPVT XXIII. PARS III.

De exanthematibus.

ARTIC. I.

Quid exanthem. 1 EXiles pustulæ, propriæque puerorum sunt, exanthemata Medicis vocata, id est, morbilli, & variolæ. Morbilli habent secum inflammationem, & dolorem, pruritum, somnum profundum:

dum:oculos tumidos,oſcitationes, ſenſum punctionis in corpore totoq,capitis,& lumborum dolorem;difficultatem ſpirandi,tumorem altum, & acuminatum: ruborem faciei, & tandem vlcerationem. *Signa.*

2 Variolæ eadẽ fere habent ſymptomata:ſed cum minori pruritu,& minori difficultate ſpirandi,& ſunt tumores lati, & non ita rubeſcentes,& difficilius emergunt,& diutius durant quàm morbilli,ſuntque periculoſiores; nec tamen ſponte vlcerantur. Poſt eruptionem dolor in gingiuis,& faucibus, & vocis raucedo ſubſequi ſolent. Moriuntur plurimi ex variolis praue curatis,quoniã difficilius emergunt:ſæpeque cauſa mali regreſſa vitalibus officit:pauci ex morbillis,quoniam facilior ipſorum egreſſio. *Quid variolæ.*

3 Ex dictis ſignis,& quoniam pueris modo accidunt,raro iuuenibus,niſi albidis quibuſdam puerilem temperiem redolentibus; rariſſimè ſenibus:coniectari licet cauſam morbillorum eſſe ſanguinis excrementitij ebullitionem,& ſpumoſi. Cum enim efferbuerit multiplicatus, & quaſi crudus, nimiuſque ob puerorum temperiem multum ſanguinis procreantem,eò quod blandus calor æquè fundit cibum totum in ſanguinem, pauca impuritatum facta ſequeſtratione;quippe quas etiam pari fluiditate donat,iuxta regulas noſtræ phyſiologiæ de calore blando, & robuſto. Conſequens eſt, vt exonerare ſe natura ſanguinis copia impura,nec valde digeſta,cupiat. Idcircò quauis ex cæli conſtitutione adiuta extrorſum propellit abundantiam: & dum per carnes ex venis exudat copioſus,& caro impuritatem patitur & auerſatur, & exprimit, neceſſario ſymptomata iam dicta apparent: & quoniam feruet calidus ſanguis,tenuitatémque multam habet,facilè foras educitur,& citò; nec proinde interimit: & quia per totum corpus erumpit,vbique dolor & calor,& pruritus:maximè autem in cartilaginoſis auribus, & naribus. Rubor & acumen ex tenuitate in ſanguine conſpicitur. *Cauſa & ratio ſymptom. ſingillat.*

4 In variolis verò altera eſt cauſa,ideſt, craſſior ſanguinis pars, & pituita,cruditaſque multa, qua ſeſe deinde exonerat natura. Itáque morbilli ſunt ſicut flores ex vaporoſo ſucco:variolæ ſubſequuntur vt glandes ex craſſiori ſucco: & propterea difficilius egrediuntur, & ſæpe introrſum regreſſi humores perimunt, præſertim in quibus cutis durior: ſpiratio tamen facilior, quoniam ex vitalibus craſſities non oritur, vti tenuitas morbillorum: nec proinde vitalia pariter afficiuntur. Creſcunt in latus, non *Ratio ſymptom. in variol.*

in

2 Epinyctides sunt nigræ pustulæ, fabæ magnitudine pares.
3 Albiores verò, quæ in ambitu rubescunt, vocantur ecthymata.
4 Horum cura leuis ex dictis patet: Adde sectionem venæ vbi multiplicantur. Nec trahas pharmaco ad centrum.

De vlceribus.

Caput XXIII. Pars IV.

1 OMnes tumores fere, & plerumque maculæ vlcera post se relinquunt: quod etiam vulnera efficere solent: est enim vlcus sordida continui separatio ex humore, & spiritu prauis facta: & prout prauitas, eiusque causa subiecta variantur, ita & vlcera: aliud enim cancrosum, aliud apostematicum, aliud erysipelaticum, & cætera ex iam dictis nota. *Quid. Distinctio.*

2 Præterea materialiter sic distinguuntur: aliud verminosum, aliud putridum, aliud saniosum, aliud virulentum, aliud purulentum: aliud sordidum, aliud siccum. *Iterum distinctio.*

3 Ex figura non magnitudine aliud rotundum, aliud oblongum, aliud rectum, aliud obliquum. Item magnum, paruum, profundum, & superficiarium, & stans, & vagum, id est, serpens, & depascens. *Iterum distinctio.*

4 Causa vlcerum sunt aut prauitas humorum, aut plenitudo nimia, aut impuritas, & plenitudo: alia totius corporis, alia vnius visceris, alia membri alterius exterioris. *Causa.*

Causa causarum sunt vel cibi prauitas, & impuritas, & superfluitas, vel defectus coctionis primæ, aut secundæ, aut tertiæ: vel illæ, & istæ omnes, vel quædam.

5 Insanabilia reputantur ex causis iam dictis: nam exedentia, vetera, rotunda, cacoethia, chironia, & glabra, præsertim in hydrope, elephantiasi, cancro, & cacochymia videntur nullis cedere remediis, cætera curantur plerumque.

6 Curatio generatim est per ea, quæ auertunt, & reprimunt humorem alterantem, id est, per vacuationes, phlebotomias, ligaturas. Item refrigerantibus, & adstringentibus reprimenda, suppuratio iuuanda sæpè dictis rebus: pus abstergendum, & sanies abstersiuis: cicatrix obducenda glutinantibus.

7 Speciatim verò quidquid de propriis fontibus vlcerum sanandis loquuti sumus, hic repetenda sunt.

De illatis potestatiuo munitiuo, læsionibus.

CAPVT XXIV.

ILlata mala per vim in munitiuo órgano potestatiuo sunt vulnus, contusio, luxatio, fractura, ruptio.

De vulnere.

ARTIC. I.

Quid & causa. 1 VVlnus est recens continui separatio cruenta, non sordescens, vti vlcus; quæ fit aut à rebus perforantibus, & cædentibus, violenter intrantibus cutim; aut animalium dente.

Distinctio. 2 Est quidem à principio cruenta, deinde saniosa, sed in fine purulenta, cum sanitas est propinqua.

3 Differunt figura, & magnitudine, & situ, quemadmodum vlcera quibus analogantur. Alia enim rotunda, alia oblonga, alia angulata, alia recta, alia obliqua, alia superficiaria, alia profunda: similiter alia in carne, alia in neruoso genere, alia in visceribus fiunt, vt in epate, corde, intestinis, vesica, liene, renibus, pulmone, cerebro.

Diuisio curabilium, & incurabilium.

4 VVlnera quædam insanabilia nuncupantur, quibus nullum prodest remedium, vt mutilatio, & nerui sectio. Quædam insanabilia, & simul lethalia, vt principalium viscerum vulnus, diaphragmatis, cerebri, epatis, asperæ arteriæ, ventriculi, œsophagi, & omnium intestinorum, fellis, spinalis medullæ, vesicæ, vteri, renum, lienis.

5 Quædam sanabilia sunt, nulla remanente læsione functionum: quædam remanente læsione. Cum enim caro sola vlceratur, aut pars commoditatem functioni, non essentiam, præstans, qualis est nasi extremitas, & auricularum, & digitus pedis: tunc remanet functio pristina, licet non adeò commoda. Cum verò pes totus, aut neruus, aut labrum præciditur, progressio, & motus, & pronunciatio læduntur; & pro læsionis qualitate tolluntur, vel vitiantur.

An quæ Medicis ponuntur incurabilia, sint.

6 MVtilationem omnem, esse omnino insanabilem, non est omnino verum. Nasus enim amputatus in locũ suum restitutus, beneque curatus reficitur: sicuti citrullorum fracta pars restituitur suæ comparti, & consolidatur: non secus ac fissum caput lacerti, & vulnus lucij piscis, & dissectus lumbricus coalescit copulatus. *Quædam visa Medicis incurabilia quæ curētur.*

7 Præterea per magiam Calabram de nouo reficitur nasus, cum inueniri non potest amputata particula, ex carne brachij vulnerata, in quam nasus sine crusta vulneris cruentus immergatur, ibique ligatus perseueret, donec in vnum coalescat quasi membrũ cũ brachij musculo interiori per 40. dies. Sed Cillo Deltufo post 14. coaluit, & dissectus est à brachio cum tanta carne ex sanguine nouo creata; quanta ad quantitatem nasi opus erat, & per nouaculam formata ad formam nasi, & exsiccantibus solidata, reddita est persimilis præcedenti. Vidimus etiam ex mancipii brachio quendam sibi partem amputatam adsciuisse; sed mortuo deinde mancipio, adiuncta particula cœpit putrescere, sicuti & cadauer mãcipii: cuius rationẽ in libro de sensu rerũ, & magia docuimus.

8 Nerui sectionem non esse consolidabilem propterea statuit Galenus, quod ex semine nutritur: quod semen tamen inueniri non potest in exudante ex venis sanguine, quantum eius refectioni necessarium est. *Cur neruus Galeno non reficitur.*

9 Hæc tamen ratio sufficiens non est, nisi addas, quod nerui ex fibris spiritu plenis constant, pluribusque filis; quibus dissectis, etiam si coalescant, foramina filorum non conuenient iterum ita, vt spiritus hinc illuc possit veluti prius transmeare: propterea que functio læditur, quæ per inambulantem fiebat spiritum, quam inambulationem Galenus non nisi in spinali medulla agnouit. Præterea cum nerui ad motum tendantur, cum secti fuerint, non possunt glutinari: à quacunque enim motione disuniuntur. Præterea carent sanguine; qui vtrinque immersus copulet, sicuti in carnem facit; quam consolidat prorsus, repletque, & regenerat. *Correctio.*

10 Istas autẽ rationes, non valere experiẽtia testatur; namq; aspera arteria ex neruoso cõstat principio: & tamẽ nostro sæculo vulnerata adhibitis dextre remediis sanitati restituta est, vt recẽtiores Medici peritissimi testãtur: siquidẽ in arteria meatus nõ potest occludi, cum sit amplus, non angustus, vt in neruorum filamentis.

Idem quoque venæ confirmant, quæ vulneratæ lanceolis, curantur. Mihi autem & venas, & arterias diſrupit, nedum carnes lacerauit cruciatus equulei in poſterioribus partibus, & tamen diligentia chirurgi Scamardelli, optimi viri, ſanitatē adeptus ſum.

Nec quæ lethalia Medicis ponuntur, ſic eſſe.

11 Quæ etiam lethalia ponuntur veteribus Medicis vulnera, non omnia lethalia ſunt, ſiquidem Galenus ipſe teſtatur vulneratum cerebrum ſæpè ſanatum eſſe; cor tamen, & diaphragma nunquam. Et ratio eſt in promptu, quia cor motui continuo deſtinatur, & ſpiritibus plenum eſt ita, vt nec coaleſcere per quietem, neque ſpiritus in fibris vias anguſtas recuperare valeat. De ventriculo dubitat. De epate fatetur fibram ſciſſam ſanatam eſſe ex aliorum dictis. Sed noſtra tempeſtate vir nobilis abſciſſa, extractáque epatis particula, ſanatus viuit.

12 De ventriculo quidem dubito & ego. At de inteſtinis tenuibus vlceratis, & per ſuturam ſanatis: extat Medicorum recens hiſtoria. Ergo ſi nimium non eſt vulnus, nec circulare, etiam in ventriculo ſutura non eſt ſpernenda.

13 De vulnere vteri iam hiſtoriæ plures narrantur in Gallia, & apud Heluetios, qualiter vtero ſecto prægnantium fœtus viuus educitur, & per ſuturam vterus ſanatur, materque ſuperuiuit, quod antiquis ignotum fuit beneficium. Nos etiam diximus, quod etiam toto vtero reciſo mulieres ſuperuiuere poſſunt, ſicuti maſculi, genitalibus.

14 Vulnera veſicæ vrinariæ, & felleæ, & lienis lethalia propterea ſunt, quòd excrementa retinere habent: & cum hoc non poſſunt, neceſſe eſt per illa corpus fœdari ad mortem.

De curatione vulnerum ex metallo, & ligno, &c.

ARTIC. II.

Primò extrahitur ferrum.

1 IN cura vulneris ex ligno, aut ferro, aut huiuſmodi duris rebus. Primò ſtatim ſi ferrum, aut lignum in vulnere relictum fuerit, eſt extrahendum: quod ſi nequit ob figuram reuerſioni repugnantem, ſecanda ſunt vulneris labra, quouſque poſſis per forcipem, aut alia inſtrumenta extirpare.

Secundo emungitur ſāguis.

2 Deinde ſanguis eſt abſtergendus, & emungendus, ſi cōtuſio ſimul adeſt: ne remanens qui concurrit ſanioſus fiat: efficies hoc vino albo generoſóque: aut aqua marina, aut vrina; & qui effluit exſiccandus ſale, myrrha, nitro, aliiſve pulueribus, aut ignito ferro.

3 Deinde coniunges vulneris labra, vt cōmodius cohærere poſſunt; ſi non eſt mutilatio: coniunges autem faſcia, ſutura, aut quocunque

quocunque vinculo, præsertim ex vlmi cortice, intra fasciam & carnem posito, aut aliis rebus, glutinandi vim habentibus. *Tertio coniunctio.*

4 Etenim post cohærentiam glutinatio est procuranda: post glutinationem cicatrix per exsiccantia magis.

5 At vbi plaga profunda est, & deficit caro, aut decisa est, oportet prius cauitatem replere, quàm vnire. Repletur autem per carnis generationem, generatur caro ex probo sanguine, vulneratæ parti accommodo: commodus autem est, qui fit ex cibo eiusdem substantiæ. Ergo si coxa est vulnerata, coxis nutries ægrum, & rebus similibus: si iecur, iecoribus: si pectus, pectoribus: si os, medullis, & castaneis, & rebus osseis. Ad glutinandum autem valent viscosa, vt pelles, pedésque vitulorum & huiusmodi. Sunto tamen exsiccantes cibi non valde, ne caro nouiter genita exsiccetur: neque humidi, ne sanies non consumatur. Foris vnguenta incarnatiua adhibentur, & quod vocant aureum. *Quarto repletio.*

6 Simul autem cauendum est, ne inflammatio in vulnere fiat per reprimentia, & refrigerantia. similiter ne dolores validi vires prosternant, per stupefacientia, & lenientia; & ne spasmus siccus accidat, humectantibus vtendum: ne humidus, euacuantibus: ne caro nimis excrescat, mediocriter sanguinem gignentibus. Et intus, & foris ista fiant. *Monitio.*

7 Vena & arteria eisdem curantur modis; & albumine oui agglutinantur, & resina, & pice, & coriario glutine, vel ex neruis facto. *Cura vulneris venæ, &c.*

8 Similiter etiam neruus, & tendo, & membrana, siccato prius vulnere per oleum sabinum, & huiusmodi. Mitigatur dolor oleo ex vitellis ouorum. *Nerui.*

9 Ad vulnera claudenda, glutinanda, solidanda, & replenda carnibus valent gentianella, hypericon, ascyron, vlmus, lupinum, sideritis, heraclæa, centaurium minus, chamædris, scordium, betonica, symphytum, plantago, ficus, pinus, & omnis arbor resinifica, vt abies, lentiscus, terebinthus, mali, & pyri folia, balsamum, myrrha, sanguis lacerti, tincæ pellis, hybiscus, aquifolium, glycyrrhiza, sarcocolla, olea siluestris, & gummi omnigena, & resinæ omnes. *Vtilia ad clausuram & glutinum & solidat. & replet.*

10 Ad fistulosa vulnera, & saniosa, valet gentiana, helleborus niger, caries lignorum, præsertim guaiaci, & vlmi, & vermes in carie nati. *Ad fistulas.*

11 Ad spicula extrahenda in vulneribus relicta, valet dictamnus,

Ad extrahendum spicula. nus, gladiolus, rubus, tribulus, aquifolium, dipsacus, aloë: pecten veneris, pygnocomon: sparganium, iris, xiris.

De contusione.

ARTIC. III.

Quid. 1 Contusio est absque perforatione vulnus, quo symmetria soluitur membri; & sanguis, & humores accersuntur ad locum eius. Curatur cum superficialis est exsiccantibus, & cera calida, & rosaceo oleo.

Cura. 2 Cum autem profunda fuerit immanisque, oportet contusum in saniem verti: & à reliqua carne separari, & deinde nouam carnem gignere: propterea vsus est Scamardellus terebinthina, & ouorum vitellis, quibus & inflammationem vitauit, & in saniem contusas vertit carnes; deinde cultro separauit à viua carne partem contusam, & demortuam; quod mirè simul natura operabatur. Postmodum vsus est exsiccantibus lixiuiis, & vnguentis. Deinde incarnatiuis. Et sic præter Medicorũ spem sanitati me restituit, detractis duabus libris carnis, refectisque mirificè, vir bonus.

De vulnere ab animalibus, præsertim venenatis.

ARTIC. IV.

1 Vlnera ab animalibus curantur statim accipiendo antidota, cum plerumque sint venenata, scilicet theriacam, mithridatium, & quidquid aduersatur mordenti animali, vt fraxinus serpenti, sanguis cati, & vulpis canino morsui.

2 Vulneri attractiua statim adhibe, vt cucurbitulas, & ligaturas, & sinapismum, ne serpat; aut amputationem membri, aut vstionem. Ignis enim venena omnia dissoluit; sed nil præstantius, quam mordentis animalis corium, aut caput: venenum enim ad suam sedem amicam ab inimica statim recedit.

Contra venenum. 3 Valent contra venenum, oleum ex seminibus cittij, aurantij, & limonis extractum; radix angelicæ, balsamum orientale, terra Melitensis. Item pulueres ex terra lemnia, bolo armeno, carlina, tormentilla, lauri baccis, aristolochia, coriandris, anisis, bistorta, gentiana, rhapontico, mastice, dictamno albo, singulorum dragma vna, croci verò dimidia; contusis, & cribro serico transactis. Valent plurimum sumpti, quantum capit area coronati aurei in vino generoso.

De

De rabidi canis morsu.

1 ADuertendum quod in cũctis venenis venenatiſque morſibus præfata remedia valent:ſed morſus canis rabidi peculiarem quærit medelam. In eam enim deueniunt affectionem, vt aquam magnopere auerſentur, vel quia quid caninum in ea illis repræſentatur: vel quia ſumma aduſtio à canis lue inflicta contradicit per antipathiam. Propterea que cum in hunc tranſierint affectum, incurabiles fiunt, eo quod iam canini facti ſunt, veneno paulatim vincente temperamentum, & in ſuam agente qualitatem, non ſecus ac tritici ſemen terram in ſui ſubſtantiam; quemadmodum in lib. de ſenſu rerum oſtendebamus. *Cur aquam auerſantur.*

2 In Calabria remedium habent noſtrates miraculoſum contra hunc morbum; videlicet aquam, quæ per tibiam brachij S. Viti tranſcolatur à clericis, & panem benedictum: & quidem Medici recentiores affirmant, quod ſi vulnus aqua aliqua tactum fuerit, incurabile prorſus euadet. Vnde miraculum S. Viti celebrius venit. *Miraculi remedium.*

3 Curatio Medica incipiat, antequam demorſus ſeipſum in ſpeculo videns non agnoſcere ſeſe valeat; alioquin non curatur amplius, ſi Auic. credimus. *Quando curandi.*

4 Ore antidota præfata capiat ex theriaca, fluuialium cancrorum cinere, pimpinella, rubo canino, beton. hyperico, centaurio minore, artemiſ. polypodio, menthà, angelica, abſinth. gentiana, in ſyrupis aut electuarijs, aut in cibo; qui ex borrag. bugloſ. plantag. portul. oxalide, & præfatis rebus; & carnibus cani contrariis. *Antidota.*

5 Poſſunt etiam poſt ſuctionem demorſis locis per cucurbitulas, & alia extractiua, applicari præfatæ res. Dioſcorid. alyſſi decoctum, quod vi attractiua faciet: etenim ſi in alio vulnere ponatur, euadet vulnus illud caninum, eodem teſte, & Gal. Ergo eſt caninæ naturæ: ergo pilus rabidi canis etiam, & magis proderit ad veneni extractionem; magis autem dens, & epar, & cor vſtum, & vermis in carne genitus, & cinis eius capitis, & ſanguis.

6 Similiter dices de veneno extrudendo, & morſu lupi, aut cati, aut galli, aut aliorum rabidorum animalium. Item ſi ſcorpius, aut vipera, aut draco, aut apis, aut ſalamandra, aut cantharides: omnes n. antidotũ habẽt in ſuo cinere, aut corio, aut corde, aut ſpina, aut

oculo:

oculo: siquidem venenum in cauda cerui seruatum si quis edat, oculo ceruino sanatur. Hoc tamen considera, ne quod attractione faciunt, tu associatione adhibeas: augebunt enim venenum, vt in 5. lib. dicebamus.

7 Contra metum aquæ, quem incurrunt à cane rabido morsi, conferre dicitur eius pellis ex talo sub cyatho posita. Sic enim aquam non formidabit. Item si pellis lupi gestetur à demorso, non incidet aquæ metum. Item herba hippocampus, quæ inducit hydrophiliam.

De morsu tarantularum.

Descriptio. 1 MOrsus tarantularum in Apulia venenosus: spiritus acuit, afficitque affectu tarantulæ: quapropter amant demorsi colorem & sonum tarantulæ cognatum, & illo excitati mouentur ad saltus choreasque; & tandiu donec exudent: ac vnà cum sudore venenum emittunt, & hoc pharmacum illorum. *Cura.* Dicunt autem tandiu hunc affectum in eis suscitari, cum alios saltantes eiusmodi viderint, quandiu tarantula viuit, quæ momordit.

2 Vtrum autem hoc, & qua ratione possibile sit, in 4. libro de sensu rerum disputauimus, & amputato naso particula adscita ex alterius carne hominis, quæ putrescit illo putrente, confirmat hanc magicam rationem.

De cura vulnerum portentosa.

1 SEd an medicatio ensis, quo quis percussus est, sit medela, & salus percusso, difficilioris est inquisitionis. Libet tamen remedium ponere, si forte per consensum, aëre, & mundi anima, vel sensu communicatum patientis salus in eo fiat. Nam etiam defuncti vitalia in aspectu interfectoris concutiuntur ad iram sopitam, sanguinemque à vulnere mittunt; & serpens occisus ab vmbra fraxini recedit, vt ibidem dictum est.

2 Fit ergo ex duabus vnciis musci, qui super caluariam mortui hominis sub dio positam, nascitur: ex duabus vnciis adipis humani, & ex media sanguinis humani: & olei lini, terebinthinæ, & boli armeni vncia vna, omnibus in mortario pistis; quæ mox in vase præ[l]ongo imponuntur: in quod ensis, pugio, aut quoduis lignum sanguine vulnerati maculatum, inferatur, vt sic maneat; tunc vulneratus dolore leuabitur, & sanabitur sua sponte, nihil

nihil agendo, nisi se vrina calida lauando; viderint experti: mihi autem experiri non licuit.

3 Alij sola potione vespertina, & matutina vini, in quo fuerint herbæ pyrolæ, & consolidæ, & aristolochiæ, & parthenij, singularum singuli manipuli impositi, subque fimo caballino digesti, vulneratos sanant. Alij ex pyrolæ, & cyclamini, & saniculæ, & alchimillæ vino, pariter idem profitentur.

Appendix.

PRæter iam dicta contra scorpionum ictus plurimæ valent res: præsertim plantæ, quæ in floribus, aut radicibus scorpionem imitantur, à quo & nomen habent apud Theophrastum, & Plinium: sic contra tarantulam, quod tarantulam imitatur spinachium: sic serpentariæ contra serpentes ex figura. Sic vermiculantes plantæ ad extractionem vermium: non vermiculantes ad occisionem intus valent. Signaturas lapidum & plantarum ergo obseruare oportet in figura, colore, &c. sic enim mirificæ fiunt curationes, item & symbola, & opposita, &c.

De fractura.

ARTIC. V.

1 FRactura est vulnus ossis, idest separatio violenta, vel per longum, vel per transuersum, vt in tibiis: vel per intrusionem, vt in caluaria. quod visus, & tactus indicant, & in occluso tumor, & asperitas, & inæqualitas, palpanti saltem obuia. *Quid fractura & quotuplex.*

2 Sequuntur autem symptomata de natura affectarum partium, vt in vulneribus.

3 Caries quoque solet ossa perforare: quod specillo Medici indagant.

4 In cura fracturæ primò ossis partes in situm suum naturalem *Curatio.* redigendæ, & hoc quantum fieri potest. Secundò, satagendum vt in situ suo naturali immotæ maneant per ligaturas, fascias, tabellas, stuppas. Tertiò, viscositas est gignenda, quæ colligatas partes coalescere faciet; quod per cibos viscosos, crassos, & osseos curandum: & per ea extrinsecus, quæ glutinant, vt gummi, resinæ mistæ in medullis ossium, contusus cortex vlmi, & lentisci, & myrti: verbascum, abrotanum, & ea quæ vulnera sanant, ossa quoque ferruminant. Postremo exsiccantia requiruntur, vt glutinatio roboretur.

5 Quisquilias,& acumina ossis fracti secare oportet, ne carnes superstent:& superexcrescētes callos adstringentibus impedire.

Si os putredine foratur, aperiendum terebra, & educendum pus: vel inuratur. Ast vbi oportet caluariam extrahere, eiusque loco siccam cucurbitulam adaptare, & carnes supergignere, Balsamum ad capitis vulnera valet plurimum.

De luxatione.

Artic. VI.

Quid & vnde luxatio.

1 Luxatio est articuli dissociatio totalis, aut ex parte; cum os alterum è propria egreditur sede in partem posteriorem, aut priorem, aut internam, aut externam; quod per vim accidit: aut mucosis humoribus ligaturas emollientibus ita, vt quovis motu fiat egressus.

Vnde noscitur.

2 Cognoscitur autem dolore, & enormitate, quæ carni per tumorem communicata, apparet eo in situ, in quem fit peruersio:& difficultate motus,& figuræ varietate.

Quomodo curatur.

3 Curatur reponendo elapsum os in sedem pristinam, & alligando, vt permaneat:deinde quæ symptomata tollunt addendo; & quæ ligaturas confortant tendonum, neruorumque, & dolorem tollunt, vt vinum, rosmarinus, laurus, rosæ, &c.

4 Nerui fortificantur vino & adstrictiuis myrto, rubo, saluia, &c. Contusi vero,& tormentis contracti brodiis neruosarum rerum,& aqua laganorum incoctorum, & adipe humano emollescunt, & spiritum recuperant, & omne neruosum neruis prodest: & osseum ossibus,&c. vt in lib. 5. declaratum est: sine quo mutila videntur quæ in hoc 6. tractamus.

Finis libri Sexti.

MEDI

MEDICINALIVM LIBER SEPTIMVS.

IN QVO DE FEBRIBVS.

De Febribus.

CAPVT I.

POSTQVAM de morbis omnium partium hominis, hoc est ſpirituum, ſoliditatis, & humorum, ſufficienter dictum eſt, nunc ad febriũ conſideratione͂ Medicorum nos reuocat ſententia: putant enim eſſe morbum per ſe à prædictis ſeparatum: ideóque peculiari egere tractatione. Quod an ita ſit, ex febrium definitione, & cauſis, & diuiſionibus, iam palam fiet.

De quidditate febris, & diuiſione, ex Medicorum ſententia.

1 DIxerunt veteres, febrem eſſe calorem natiuum conuerſum in igneum. Non videntur autem ſatis explicaſſe, an calor natiuus ſeſe ipſum multiplicando & augendo fiat igneus, ita quod non differat in ſubſtantia, ſed in quantitate, febris à natiuo calore. Cauſam quoque quare igniatur, adducunt materialem, hoc eſt humorum exuberantiam, aut vitium & impuritatem partium. Verum quis accendat in humoribus, vt in impuritatibus calorem, minime docent. *Gal. ex Hipp. bonam dat definitionem, ſed inſufficientem.*

2 Alij aiunt, febrem eſſe calorem extraneum in corde accenſum, & ab eo initium ſumere, concurrente ſanguine & ſpiritu per venas & arterias per totum corpus, & excandeſcere inflammatione, quæ functionibus naturalibus incommodat. Vel, vt alij inqui *Galen. ex ſo.* *Auic.*

inquiunt, est calor contra naturam è corde in omne corpus effusus, actiones lædens. Et hi causam materialem similiter accensionis assignant, neque satis explicant, an in causa materiali fiat accensio à calore natiuo in materia inimica putrescente; an vero ab ipsius rei putrescentis calore; & qua ratione possit fieri accensio in rebus minus accendibilibus, qualis est pituita, & à quo.

Joubert. Paracels. Reuera semper spiritus accenditur, sed à sui vi multiplicatiua, nō à causis, assignatis à Med nisi occasionaliter.

3 Quidam hoc quærentes putauerunt febrem nullam accendi posse, nisi in bilioso humore calidissimo tenuissimóque, propterea in omnem febrem adducunt bilem, quamuis substantiam febris faciant melancholiam & pituitam in multis. Paracelsistæ tandem dixerunt, febrem sulphuris esse accensionem, quoniam spiritus ex sulphure, humorem ex mercurio, soliditatem ex sale, originem ducere putauerunt. Nescio tamen an causam reddere potuerint, cur & frigus, & calor, & humor, & pituita sulphur accendunt, cum multæ causæ febrium potius extinctionem sulphuris adducere debeant.

Distinctio febrium trium ex Medicina communi quarum quæ simplex, quæ putrida, vnde & duplex. Quid continua, & quotuplex.

4 Distinguunt Medici febres in simplices, putridas, & pestilentes. Simplex alia videtur eis accendi in spiritibus, vocata diaria: aut in sanguine citra putredinem, vocata synochus: aut in solido, vocata hectica: cuius faciunt tres species.

5 Putrida febris videtur eis ex putrescente tantum humore fieri, esseque duplex, cōtinua & intermittens. Continua fit in magnis vasis, accenso humore continuò in cor obrepente. Et est triplex, alia eiusdem semper tenoris, synochus vocata putris, in qua sanguis vitiatus feruet: vnamque habet accessionem. Alia vero in qua fit remissio, sed non infebricitatio, vt tertiana continua ex bile: quotidiana continua ex pituita: quartana continua ex melancholia. Additur his causus, cum flaua bilis putrescit in venis. Huic addunt aliam febrem, quam vocant lipyriam, in humoribus crassis & putridis impedientibus calorē natiuum, ne in corpus dispergatur; idcirco æstuant in interioribus, frigent in exterioribus. Præterea febrem ex cruditate nouam tempore nostro ex humoribus meatus obstruentibus, vasa implentibus, calorem natiuum opprimentibus, & inopinata morte occidentibus.

6 Tertium genus febris continuæ vocant symptomaticam, differentem ab essentiali, quæ per se accenditur intra venas; symptomaticam vero ex humore prauo, qui in aliqua parte genitus cor lædit, vt in phrenitide bilis in capite causa est febris; similiter & iecoris, & ventriculi, & vesicæ, & aliarum partium læsio

cordi

cordi communicata, symptomaticam Medicis producit febrem.

7 Intermittens verò dicitur, quæ ad infebricitationem desinit & reuertitur, vt quotidiana, tertiana, & quartana exquisitæ. Item epiala, ex pituita acida. Quæ omnes fiunt Medicis extra vasa, proptereáque intermittentes sunt: quæ enim intra vasa, non intermittunt. *Quid intermittens, & quotuplex.*

8 Harum febrium fit mistura & confusio. Ita vt quædam compositæ vocentur, quædam confusæ. Composita fit aut ex febribus diuersi generis, vt cum hectica & putrida continua seu intermittens diuersis horis inuadunt: aut ex febribus eiusdem generis, vt duplex quotidiana, quia bis in die inuadit; duplex tertiana, quando quotidie fit inuasio, sed tertius dies respondet primo, & quartus secundo. Item triplex quartana, & quadruplex. Item quæ respondent sibi in inuicem in diuersis temporibus accessionum quarto quoque die. Præterea fit compositio ex tertiana intermittente, & continua quotidiana, quæ vocatur hemitritæos: aut ex quartana essentiali & symptomatica: aut ex tertiana continua & quotidiana intermittente: aut ex tertiana continua & tertiana intermittente. *Harum quæ composita duplex.*

Confusa vero dicitur, cum humores diuersi, quales pituita atque bilis, in eodem loco putrescunt, non in diuersis; & simul incipiunt & desinunt, vt tertiana illegitima intermittens ex bile & pituita; quotidiana illegitima ex pituita & aliis humoribus: quartana illegitima ex atra bile, cum altero humore; vel continua cum altera continua. *Quæ confusa, & quotuplex.*

9 Tertium genus Medicis vocatur febris pestilens: quæ non solum accendit calorem contra naturam in corde, sed etiam venenosa qualitate afficit, & vires prosternit; quarum alia ab aëre & aquis malignior contrahitur; alia vero ab interna putredine exorbitante minus maligna. *Quæ pestilens, vnde & quotuplex.*

10 Præterea dant Medici febres anomalas & erraticas, quæ fiunt à destillatione vel exsiccatione partium: vel humoribus impactis: aut vermibus: aut à varia humorum vel ciborum corruptione. Similiter à causis exterioribus. Manifestum est etiam quomodo in capite aliæ febres fiunt ex bile; aliæ ex pituita; aliæ ex catarrho: similiter in pulmone, in musculis, in collo, & in cæteris membris corporis, vbicumque aliquod malum est, cum mouetur febrem excitat. *Quæ anomala.*

Examen definitionis febris à Medicis datæ: & quæ sit vera eius quidditas.

ARTIC. II.

Febrem non esse morbum, sed medelam generalē naturæ, & belli cōtra morbos.

1 NObis autem neque definitio febris, neque diuisio, Medicis positæ, probari queunt. Arbitramur enim febrem non esse morbum, sed bellum contra morbum, potestatiua vi spiritus initum. Nec melius remedium natura datum esse animantibus, vt ad sanitatem perueniant: sicuti neque ciuitatibus cum impugnantur, vt ad suam tranquillam redeant conseruationem, quid melius bello inuentum est, vbi persuasiones precésque non valent.

Probatio 1. ab effectu. 2. Ex Medicorum assertis. 3. Ex certa minisindicio.

2 Manifestum est enim, quod omnes morbi superueniente febri curantur; qui autem non febricitant vbi est opus, morbo vincuntur, & pereunt. Passim etiam Medici accessiones febrium fieri docent, vt humores praui extra vasa ferantur, & per poros transpirent. Itemque tunc decerni inter naturam & morbum, cum in augmentum summum morbus deuenerit: & quidem cum febrilis paroxysmus accidit post alios maximus.

4. Ex renouatione. Occurritur obiectioni, cur morbo apparēte cessasse febris renouatur.

3 Cum autē post morbum febris etiam accidit, nequaquā propterea accedere Medici opinari debent, quod nouus morbus ad extinctionem naturæ suscitatur: aut quod ipse morbus causam mortis adducit febrem: sed quia natura pugnando morbum non totum eduxit, hoc est materiam spiritibus, & humoribus, & nutritionibus, & motionibus infestam, sed insuper aliam excitauit: vnde maiori feruore indiget, bellóque nouo. Ciuitas autem nondum expleto priori nouum aggredi coacta bellum, prope est vt pereat: nunquam tamen desperandum, donec febris pulsus vehementia febrem ciens, seu febris pars magna perdurat, quemadmodum in superioribus de pulsu dictum est sermonibus.

5 Ratio ex pulsatione, & calore auctu vt vires augeantur, & noxia attenuata expellantur.

4 Præterea cum febricitat corpus aut corporis pars, primo incalescit, deinde agitatur, & pulsant arteriæ motionibus maioribus, celerioribus, crebrioribus, vehementioribus ac calidioribus, quam prius solebant. Pulsatio autem fit ad spiritus generationem, & sanguinis communicationem arterialis cum venali, vt probe fiat nutritio, & sequestrentur impuritates & transpirent: sicuti in lib. 4. probatum est. Ergo augmentum pulsationum eiusmodi, necessitatem creuisse indicat: vt spiritus videlicet multi reficiantur,

ficiantur, qui bello succedant iis, qui extabant; & quæ in vasis continentur res noxiæ, educantur in tenuitatem actæ deuictæque: licet princeps causa finalis in febre sit vincere, & expellere.

Confirmatio rationis.

Manifestum est enim quoniam in quacunque parte incipit morbus, ibi statim augetur calor & motus ad eius maturationem & expulsionem; vt in apostematibus, & vulneribus, & luxationibus, & destillationibus, angina, capitis læsione, & aliis.

Occurrit ir-ritationi.

Qui autem procurant vt ibi febris cesset: mortem procurant totius, vel læsi membri. Arcent tamen Medici à vulneribus feruorem & inflammationem spirituum, ne simul inflammata caro, & læsæ partes crudelius lædantur.

5. Ab exemplo.

Hac eadem ratione cum cibi multi in ventriculo ingeruntur, calor multus ad eos coquendos accurrit: cum pauci, paucus: non secus ac peritus coquus ignem pro mensura coquendorum, & tempore, applicat. Hoc idem euenit in febre.

7. Ex Galeni decreto.

Ipse quoque Galenus febrem ab ipsa natura anticipari docet, cupiente pugnare & crisim facere: vt manifestè non malum, sed remedium contra mala sit febris, applicandum quando & vbi oportet.

Conclusio & confirmatio.

5 Igitur errant putantes febrem esse malam, licet eius causa sit mala: sicuti & illi hæretici, qui bellare Christianis illicitum & culpabile esse putant, & Stoïci qui omnem iram damnant.

6. Ratio ex eo quod febris est ira naturalis: ira enim est accensio & impetus contra hostilia & noxia: & idē est febris.

6 Præterea enim omnem febrem puto esse iracundiam, id est, accensionem spiritus ad vindictam, idest, ad occisionem & expulsionem hostilis causæ: & sponte accendi, licet non semper voluntariè, in spiritu principaliter, & statim communicari sanguini, si vitiatus est, vt purgetur, & humoribus lædentibus, vt calefacti, agitati attenuatíque extra ferantur: nec incipere morbifico in humore calorem eiusmodi, vt ipsi putant, tanquam à causa mala in causa mala & propter malum.

7. Ex eo quod nulla calefactio & agitatio magna est febris, nisi sit cum ira contra nociuas res.

Etenim quantumcunque incalescat corpus & humor, atque agitetur, nisi spiritus ferueat ad alicuius expulsionem rei odiosæ, nunquam illa accensio erit febrilis, vt patet in insolatione, & calefactione à labore, à furno, ab officina ferraria.

Occurrit infirmantibus hanc rationem.

Quod si quis dicat, propterea has accensiones non esse febres, quoniam non in putrido humore fiūt, neque in corde, vnde febris incipit; is neque Medicorum dogma callere videbitur: cum Medici febres multas non putridas ponant: & insolationis, & fornacis calor cordi semper, aut plerumque communicetur. Essentia ergo febris non in accensione solius caloris extranei consistit; sed in accensione & agitatione facta propter expulsionem alicuius notabilis mali.

7 Igitur

Conclusio, febrem non esse calorem extraneum, sed natiuum irã percitum.

7 Igitur melius Hippocrates febrem esse calorem natiuum, cõuersum in igneum, docuit, quàm Auicen. & alij, qui esse calorem extraneum, & præter naturam dixere. Nullus enim extraneus calor est febris, vt patet in calefactis à sole & fornace. Neque præter naturam est febricitare, si non est præter naturam bellare, quando oportet, inimicum lædentem adoriri; & vim vi repellere.

Quod non semper febris, nec necessario incipit in corde, duplex ratio.

8 Multò magis errant, cum docent non posse febrem fieri, nisi affecto corde prius ab extraneo calore. Nam & cum ab extraneo cor calefit, non febricitamus, vt dictum est: & cum membrum aliquod corporis laborat, nil læso corde, statim febris eo in membro excitatur topica, vt patet in quocunque apostemate, & carbunculo, & panaricio, & similibus.

Occurrit obiect. contra 2. rationem; cur non febriunt, cum febrire opus.

9 Haud tamen affirmem quandocunque membrum læditur, aut spiritus, aut sanguis, exoriri febrem & bellum: neque enim ciuitas illud semper aggreditur: sed cum spiritus lacessitur, & irritatur, tempúsque & vim congrediendi habet. Vidimus enim in superioribus sermonibus, aliquando imparatum occidi hominem pestilenti vapore citra febrem: cum videlicet antequam sentiat sibi esse pugnandum, spiritus opprimitur: vel locus, & tempus, aut vires ad pugnandum desunt, & tunc imperitis, quoniam non febricitat, videtur æger rectè valere. Sed profectò veluti, si non dolet vbi dolendum est, aut non appetit vbi appetendum est, teste Hippocrate, mentem abesse & prostratam esse indicat & naturam: sic multo minus si non febricitat, id est, si non feruet ad pugnam, vbi febricitare oportet, abesse vires aut mentem, dicere licet.

Ratio 8. ex eo quod febris soluit morbos multos, ex testimonio Medicorum.

10 Præterea certi sumus, quod morbos omnes à causa frigida & crassa ortos soluit febris, etiam Hippocrat. & Medicorum aliorũ testimonio, vt patet in pituitosis, & spasmis, & resolutionibus, & destillationibus & obstructionibus. Qui autem oriũtur à causa calida, vt à bile, facilius per febrem soluuntur, educentem sua agitatione & calore biles attenuatas: ergo & tenues. Vt manifestum sit, febrem esse remedium contra omnes causas: etenim & à flatu oriuntur morbi, & à destillatione, & ab obstructione. Calor autem hos dissoluit, & obstructas vias aperit Febris autem hoc efficit, quamuis per accidens àliquando obstructionem augeat, dum obstruentem causam magis indurat. Inflammationem quoque tollit inflãmans febris, dum poros aperit flammisque elabendi meatus aperit: non secus ac vstulati, tepida, non frigida, sanãtur

Febris lædit per accidens non per se.

Medicis

Medicis tamen ex ratione euenit aliquando in inflammationibus frigida adhibere, non quidem vt extinguant pugnantem ſpiritus feruorem, ſed minuant ſi quis maior quam oportet ſuſcitatur. Etenim & calor in vſtulatis auget inflammationem, quam tepor educit. Adhibere etiam humida oportet, in quæ febrilis calor inflammationis inueniens pabulum à ſubiecta parte, quam cruciat, demigret. Sic & ex fundo aheni in immiſſam migrat aquam: ſicuti non ſemel declaratum eſt. Ergo ad tollenda damna febris, & non febrem & bellum, vt infra docebimus.

11 Præterea falſa eſt vltima definitionis particula; quod videlicet febris functionibus incommodet. Hoc enim non per ſe facit, ſed per accidens; dum enim pugnat ſpiritus contra morbum, cæteras functiones ægrè obire poteſt. Sic dum ciuitas pugnat contra hoſtes; opificia, & cultus telluris, & gymnaſia, & feſtiuitates impediuntur: haud tamen vt impediantur eſt febris, ſed vt inimicus tollatur, & ſic tutus ſpiritus ad functiones pacificè reuertatur. Cauſa autem morbi incommodat iis functionibus, in quibus ipſa reperitur: vnde humor in priapiſmo functionem veneream, cardialgia functionem ventriculi, lethargus functiones cerebri, impediunt. Febris autem talibus in locis accenſa operatur, vt expediantur. *Concluſio contra definitionis particulam vltimam.*

Febris ergo ſit ſpontanea extraordinaria ſpiritus agitatio inflammatióque ad pugnam contra irritantem morbificam cauſam: quam ſic calefacit, agitat, digeritque, redditque expulſioni aptam, vel extinctioni, vel meliorationi, vt ex dictis palam eſt. *Vera febris definitio.*

Febrem diuidi in topicam, & vniuerſalem: neque vniuerſalem fieri corde affecto, ſed ſpiritu communi.

Artic. III.

1 QVapropter diuidimus febrem in topicam, & vniuerſalē, ſicut & pugnam in rixam, quæ fit inter particulares ciues & hoſtes: & bellum, quod inter ciuitatis exercitum, & hoſtilem. Videmus enim in ſolo apoſtematis loco calorem & agitationem fieri, vel in carbunculo, vel in corio ſcabioſo, vel in articulis in podagra, aliquando vero in toto corpore ſuſcitari.

2 Medici autem febrem non agnoſcunt, niſi vniuerſalē, quæ fit in toto corpore: neque accendi putant niſi prius affecto corde, *Medici negant febrem topicam, ſed*

fieri omnes in corde causa communi, & diffundi in corpus totum. pulsantium principio facultatum. Etenim & cum inguina dolent, aut cum caput, non suscitatur febris, nisi prauus humor, aut vapor ex illis in cor serpat prius.

Arguit primo ab experimentis. 3 Sed manifestè decipiuntur: etenim in læsa particula quacunq; statim calor nouus, & agitatio in ea sẽtitur. Sicut enim nutrimentũ vniuersaliter in toto corpore celebratur; sic partiale in particula omni. In nutritione autem fit segregatio impuri à puro, & transmissio non necessarij extrorsum, vel ad alias partes, pulsationibus ordinariis, & calore id facientibus. Sic prorsus experimur in febribus, quod aliquando accenduntur in particula ad excernendum vel maturandum excretioni quod noxium est illi: aliquando in toto corpore. Est enim febris quædam inconsueta nutritionis forma ex parte, in qua & coctio, & maturatio, & excretio; vti in illa concurrunt, proptereaque medicari concocta, & non mouere cruda, Hipp. monet. Coqui autem febre & sensus, & Medici ipsi passim docent. Hoc etiam in apostemate, & carbunculis, & in omni tumore infesto etiam fieri, nemo neget. *Secundo ex analogia coctionis febris ad coctionem nutritiuam.*

Et eo quod fit non læso corde. 4 Quod autem febris nil oblæso corde in toto corpore accendatur, ex iis, quæ de pulsibus diximus manifestum fuit: siquidem ex sola cogitatione, & amore variatur pulsus: & ex sola vigilia, & inedia, & obstructione cutis, fit pulsus magnus, & celerior, & calidior, & feruidior, ergo non læso corde: in quo nec cogitatio, nec obstructionis materia inest. Sola autem spiritus læsio febrem facere in cunctis videtur.

Causa febris vniuersalis quæ, si non est cor vniuersale membrum. 5 At vnde sit febris vniuersalis, dicet quis, cum nunquã toto in corpore sit causa noxia, sed vel in venis, vel extra venas, aut in particulis quibusdam; nisi aliqua princeps causa, quæ est cor, prius affecta, in omnibus arteriis, & locis excitet febrem? Respondeo, nequaquam in toto spiritu febrem accendi ex corde læso eos dicere debuisse, cum sæpè fateantur Medici corde prauè affecto, & frigefacto, arteriis vero etiam apprime calentibus febrem non fieri, nec pulsum immutari. Aliquando vero ex sola cogitatione, quæ nulla Galeno est in corde; aut alterius membri affectione, febrem fieri, pulsumque mutari statim. Ergo non à corde febris, sed à spiritu feruente, vt propellat malum; & tunc quidẽ vniuersalis fit, cum totus spiritus ad malũ pulsandum videtur necessarius, aut cum in spiritũ inhabitantem vapor malus peccat. Fit quoque ex topica vniuersalis febris, quãdo vapor ma- *Probatur quod non cor ex Medicorum dogmate.* *Secundo ex affectu animastico solo, non in corde.*

lus,

lus, nedum implantatum in particula ſpiritum lædit, ſed etiam inambulantem per arterias, & in capite. Item cum humores agitantur ex nouo accidenti, ſpiritúque lædunt, & cum tranſpiratio impeditur obſtructione pororum, ad quos aperiendos ſpiritus pulſat, nil affecto corde pulſatione febrili. Cum autẽ in vnica particula minus principali fit obſtructio, aut tumor: feruor vniuerſalis non fit, niſi ſpiritus inambulans læſionem percipiat, totumque ſe occurrere oportere percipit.

Duplici ex cauſa fit uniuerſalis à principio.

Duplici ratione ex topica fit vniuerſalis.

Febrem non eſſe morbum, ſed remedium; & fieri breuem, longam, continuam, remittentem, & intermittentẽ, ex periculi quantitate, natura & viribus feruẽtis ſpiritus: & qualiter ex parte lædentis humoris, & læſæ rei, & læſionis loco, fiunt febres omnes, & ab omnibus humoribus omnes, & regulæ de eis vniuerſales.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 EX his deducitur, nullam febrem eſſe morbum, ſed remedium contra morbos: ergo nullam eſſe febrem eſſentialem, vt Medici volunt; ſed omnem ſymptomaticam, excepta forſan quæ ex ſola ira accenditur: nec differre febres, niſi periculi ratione; quale enim, quantum, & vbi, & quando eſt periculum: talis, tantus, & ibi, & tunc eſt feruor ſpiritus pugnantis, id eſt, febris. Ergo nulla per ſe febris eſt ſimplex, aut putrida, aut peſtilens: ſed cauſa, vel morbus ſpiritum infeſtans eſt ſimplex, aut putrens, aut peſtilens. Similiter neque febris per ſe eſt in humore, aut in ſolido: ſed in ſpiritu omnis incipit, accẽdente & agitante humorem, aut ſolidi affectionem malam perimente. Et ſi cauſa lædens eſt magna, feruor magnus in eam vincendam excitatur: ſi parua, paruus. Et ſi cauſa continuò lædit, continuus etiam feruor, ideſt, febris contra eam fit: ſi bis in die lædit, bis in die feruet ſpiritus: ſi ſemel quoto quoque die, quotidianus eſt feruor. Si tertio quoque die, tertianus: ſi quarto quoque die, quartanus: ſi quinto quoque die, quintanus: ſi ſexto, ſextanus. Datur etiam ſeptanus, & octanus, & nonanus Medicorum teſtimonio. Plinius etiam centenanum addidit, & annuum. Antipater enim Poëta ſingulis annis eodem die, & hora febri corripiebatur. Sic

Omnis febris eſt ſymptomatica, vt bellum.

Typos, & qualitates, & quantitates, & locos febrium variari ex qualitate, quantitate, & loco periculi.

qui tarantula fuerint commorsi, passione annua exsuscitata laborant, & qui se verberare in sancta septimana consueuerunt, quotannis eo vertente tempore pruritum sentiunt in tergore: nec cessant fastidiri, donec iterum verberati satis sibi faciant: idē enim tempus eandem suscitat passionem in re, nedum in memoria, sicuti ver quodlibet flores, vt in Metaphys. ostendimus.

Triplex ratio typorum.

2 Ratio autem, qua læsio alia continua, alia quotidiana, alia alio tempore suscitatur, triplex est, vel ex natura lædentis causæ, vel læsæ partis, vel loci, in quo fit læsio.

Quod causa continuæ febris potest esse omnis humor, aut vapor vitiosus, probatur ex remissione omnis febris ex quocūque humore: quoniā ex quinque rationibus cōtinuari potest.

3 Lædens causa continua potest esse omnis vitiatus humor, & vapor, si copiosus est, & totam sanguinis massam afficit prauè; vel functiones impedit principales. Manifestum est enim, quod quemadmodum dantur febres quotidianæ ex pituita, tertianæ ex bile, & quartanæ, quintanæ ex melancholia, intermittentes vigorem, non autem vsque ad infebricitationem: sic ex eisdem humoribus cum aut exuberant, & vitiant totum sanguinem, & spiritum vexant, aut transpirationem impediunt, aut nutritionem; quæ continuatione tamen indiget; oportet febres continuari citra quoque remissionem.

Probatur primo in pituita.

Cur ex pituita plerūque fit quotidiana febris, & quando potest fieri continua.

4 Propterea enim singulis diebus pituita vocat ad pugnam, quoniam pars eius omnis in prima pugna feruentis spiritus non educitur, sed remanent reliquiæ plures ob sui viscositatem aut crassitiem, quæ deinde succrescunt per conuersionem partium alimenti in sui naturam. Ideóque quotidie infestant spiritum, eiusque vasa, & alimentum, ipsum videlicet sanguinem: prouocatque ergo quotidie ad bellum. At si plurima sit pituita, ita vt minui accensione febrili non possit, tunc planè continuari febrem oportet. Quod satis superque comprobat febris illa moderna, quam Medici vocant crudam, non intermittens; & plethoricorum accensiones.

Secundò ex bile flaua.

Cur tertiana ex bili flaua, & non potest fieri continua.

5 Præterea aiunt Medici, tertianam fieri ex bile flaua, quæ tenuis est, faciléque ex vasis pellitur ab accessione febrili, ita vt nullæ pænè remaneant reliquiæ: vnde fit, vt non nisi tertio quoque die possit paulatim aucta eo deuenire, vt spiritum infestet, irritetque ad pugnam. At quidem si copiosa est, & per totum sparsa sanguinem, & temperamentum vitians, proculdubio continuam accersit febrem. Non enim educi potest è vasis & organis, ita vt esse desinat. Id autem causus confirmat, & lipyria, & phrenitica febris, ex acribus biliosisq; factæ humoribus cōtinuæ.

6 Similiter atrabiliosus humor, & fæx sanguinis, licet quartanã & sextanam faciat, quoniam difficile reficitur, cum fuerit eductus, & non nisi quarto quoque die: tamen & continua datur quartana, & continua pura ex eodem humore, si in vasis magnis magnus fuerit multúsque, vt sanguinem inficiat, vtque propelli non possit: vel poros cutis sua fuligine obstruat, vt occludatur transpiratio: quod satis demonstrat diaria plurium dierum, quam synochum non putridam vocant Medici. Item & lienosorum quorundam continua febris, & cum principalia membra atræ bilis copia infarciuntur.

Tertio in atra: etenim ex atrabili plerumque cur quartana, & ex eadem sæpè etiã continua.

Cum autem totus sanguis assatur fitque atrabiliosus, tunc spiritus nutrimento deficiente & mordicatus fuligine, insanit furitque: neque actionem contra molitur: sed furit, bacchatúrque, feriæ inualidus pugnæ. Omnis præterea cacochymia, siue biliosa, siue pituitosa, continuas causat febres. Vt manifestum sit non ex natura humoris, sed impedimenti: humoris verò qua ratione, & quanta impedit vexátque.

Quartò in omni humore.

7 Nec ab re videtur asserendum, ab eodem humore posse & continuam fieri febrem, & quotidianam, & tertianam, & quartanam, & quintanam, & sextanam, &c. pro quantitate materiæ, & loci commoditate. Manifestatum enim est, quod cuiuscunque humoris cacochymia facit continuam: ergo si prima accessione minuitur vis humoris, potest reuerti quotidie amplificatus ad pugnam; & cum feruor spiritus validior ita expellet, minuétque, vt non nisi tertio pòst die inualescat humor: & cum magis minuetur, reuertetur quarto: & cum adhuc magis, sexto. Vnde Alexand. Aphrod. *in probl.* affirmat, periodos certas febrium fieri certo ordine: quoniam tantum materiæ putret, quantum à calore decoqui potest: cúmque materia coquenda certa sit, ideò potentia & tempus certa sunt.

Ex omni humore febris omnis.

Idem ex dogmate Alex. sequitur.

8 Ipsi quoque Medici quartanas & tertianas duplices ponunt, ne cogantur earundem humores causam continuarum facere; & tandem fatentur quartanam ab omni fieri humore, vt mox videbimus.

Ex Medicis.

9 Ratio quoque, quòd non eadem hora fit accessio tertianæ apud eos dictæ duplicatæ: & quod potest pharmaco vna tolli, altera remanente: nulla est; siquidem potest in secundo die alia inuadere in hora, quoniam minor est materiæ febrilis congregatio, vel maior, in tertio autem æquatur primæ. Item potest pharma-

Soluitur, non quia duplicat tertianã: & declaratur, cur cum sit quotidiana, vocatur illis duplex tertiana.

cum minuere focum & materiam, in quam spiritus pugnat, ita vt non necesse sit continuo, aut quotidie innouare bellum; sicut *in 3. lib.* docebamus. Hoc autem dico, quando non duo humores eiusdem speciei in diuersis vasis sunt expugnãdi. Atquidem etsi compositarum febrium apud Medicos aliqualis causa reddatur, qua ab eodem humore febrim omnem fieri contendunt; in confusis febribus propriis ipsi verbis conuincuntur. Aiunt enim differentes humores in eodem loco putrescentes febrem mistam facere: simul incipientem, simul desinentem vtramque.

Iterũ probat, quid omnis causa lædens omnes febres ciet.

10 Præterea causa lædens non modò humor est, sed vapor, & potus, & cibus, alięque causæ exteriores, quæ si lædunt spiritum, continuam efficiunt febrem, vt patet in ephemera triduana Galeno, & octiduana Rhasi; & in pestilenti constitutione. Et cum causa est magna & continua, & partes meliores lædit, continuatur febris. Cum parua & non continua, nec in partibus nobilioribus, intermittens est, quotidiana intermissione, aut triduana, aut, &c.

Item omnis pars læsa potest omnẽ febrem nancisci pro rata periculi.

11 Pars autem læsa dat febri continuationem & inducias. Si enim cerebrum, aut ventriculus, aut iecur, aut vesica, aut cor læduntur, & quæcunque princeps pars, sine qua vita non consistit: necessariò febris oritur continua, donec læsa pars conualescat, vt patet in lethargo, phrenitide, pleuritide, inflammatione pulmonis, renum, & aliorum: de quibus *in præcedenti lib.* loquuti sumus.

Cur aliqui morbi sunt intrinseci, aut videntur esse sine febri.

Quibus in partibus cum dolor & morbus permanens, febris quoque permanet, continua. Si per vices insurgit, similiter insurgit & febris. Videmus enim eos, qui apoplexiæ & epilepsiæ obnoxij sunt, nulla febre ex causa earum corripi, nisi cum causa inuadit. Et quidem nec cum inuadit, febricitare videntur, si interiora corporis lædit morbifica causa: ad quam expugnandam spiritus intrò se conferens, nullum febricitandi sensum foris ostendit; non quia tunc pugnandum non est, sed vel quia pugna in interioribus est, nec foris manifestari potest, vt in apoplexia & vteri strangulatione experimur: Vel quia nullus pugnandi vsus tunc est in arteriis, cum in ipsis non sit morbus, sed in neruorum poris; Vel quia spiritus impeditur à morbifica causa, ita vt vias ad bellum parandum, non habeat expeditas: obstructis enim neruorum principiis, spiritus intus anxiatur, nec quo pergat habet; & hi morbi pessimi, qui etiam commoditatem pugnandi auferunt: minus

Defectus febris duplex: signum maiũ vbi opus est pugna contra morbum duplicitur.

autem

autem mali, qui ad pugnam lacessunt, & pugnandi commoditatem non aufetunt.

12 Regula vniuersalis est, cũ læditur spiritus ab humoribus, aut vaporibus, si commoditas pugnandi non aufertur, continua est febris; eo quod læsio est principalissimæ partis. Est etiam breuis tempore, nam rarò transcendit 24. horas, aliquando ad tertium diem porrigitur; aliquando ad octauum: non quia solus spiritus est læsus, qui facilè discutit à se morbum, ob calorem & tenuitatem agitabilissimam, & fragiles in re tenuissima morbi radices: sed etiam sanguis, ex quo spiritus nutritur, aut via transpirandi est impedita: quam vt expediat, laborat. Non ergo in substantia spiritus sola est febris continua spiritalis plures transcendens dies.

Regula 1. febris cõtinua. Cur parum durat continua spiritalis.

13 Cum verò læditur sanguis, si totus læditur sordibus & cruditatibus, necessariò febris in eo continuatur, ex eo enim spiritus & soliditas nutriuntur. Ergo eius vitium est læsio magna totius continua, ergo pugna continua, & longioris temporis. Difficilius enim purgatur, quam spiritus, quia crassior. At si non totus sanguis vitiatur, sed quibusdam in partibus intra venas, febris non erit continua: quoniam vnica accessione propulsatur, aut minuitur vitians humor. Ergo vel febris cessat, vel reuertitur, cum humor cœperit augeri & infestare, sicut prius pro rata suæ quantitatis. Nam vel singulis diebus reficitur, vel tertio, vel quarto quoque die &c.

Regula 2. in sanguine læso continua febris. Quando non continuatur.

14 Cum autem partes solidæ læduntur, febris non cessat, quoniam morbus radices agit vigentes in soliditate: nec soliditas agitari potest & incalescere, ita vt causa morbifica ex ea pellatur, velut in sãguine & spiritu fit, sed adhærescit. Et propterea vel febris est topica & continua, si vnica in parte minus principali morbus inest: sicuti patet in apostemate, carbũculo: vel vniuersalis continua, si tota vexatur soliditas. At quoniã nõ potest vexari tota, nisi & sanguis & spiritus afficiantur: spiritus autem affectus pugnam obire ægrè potest: propterea fiunt febres plerunque diminutæ manifestationis & occultæ: quales in hecticis & lue venerea affectis.

Regula 3. continua in solido febris latet.

In parte non principali febris est topica, & non continua, nisi occasionaliter.

15 Similiter si princeps soliditatis pars totius seruiens vitæ & nutritioni læditur, vt iecur, ventriculus, splen, pulmo, diaphragma: tunc etiã ob totius indigentiam feruor est cõtinuus: Sin verò nõ princeps pars, febris nõ est continua: imo nec vniuersalis, nisi in

ſi in corpore toto, vel in ſanguine excitetur humoris malitia, vnde febris partis toti quoque communicetur. Vidimus enim ex ſola digiti, aut pedis læſione exteriori ortam fuiſſe febrem vniuerſalem: quoniam occaſio illa morbificas excitauit cauſas: læſuras mutans in lædentes.

Regula vniuerſalis. 16 Semper quidem quantitas morbi & humoris lædentis perpenditur à natura, & cum magna eſt, vel in toto, fit febris continua: cum parua, vel in parte, intermittens.

Item locus læſionis cur continuam patitur, & cur aliquando non continuam, ex Medicorum dogmate vario. 17 Tertiò locus læſionis conſideratur ad febrium diſcretionem. Et quidem præcipuus Medicis videtur. Si enim in vaſis magnis putreſcunt humores, ex quibus in cor continuò obrepit vapor, continua illis videtur accendi febris: ordine quodam. Primò enim accendibilius eſt ſerum bilis: Secundò bilis: Tertiò ſerum pituitæ: Quartò pituita, iis in locis. Melancholicus autem humor rariſſimè. Si verò in vaſis paruis, dicunt quidam, vel extra vaſa, dicunt alii, putreſcat humor: tunc intermittentes excitat febres, pro humoris qualitate. Nam pituita quotidianam: bilis, tertianam: melancholia, quartanam faciunt. Alij dicunt, in exterioribus corporis partibus fieri intermittentes, & longè à corde: quod certis vicibus & non ſemper propterea afficiunt. Sunt etiam qui quartanas, affecto ſplene; tertianas, affecto epate; quotidianas, affecto ventriculo, ex dictis Galeni *lib. 1. ad Glauc* contendant. Et cum dicat aliquando Galenus intermittentium focum obſidere externum corporis habitum. Reſpondent, hunc focum fieri ex deriuatis à ventriculo, epate, & ſplene. Idque ex Alex. & Auic. etiam putant haberi: qui in paruis vaſis intermittentes generant. Item ex eo quod hypochondria dolent cum hæ febres accenduntur. Et vrinæ in principio acceſſionis crudæ ſunt & tenues; in declinatione, craſſiores & rubeſcentes magis; eiſdemque temporibus fiũt vomitus. Item fomenta pharmacumque iecori, lieni, & venis meſaraicis, adhibita, has ſedant febres: vti & vomitus. Sunt etiam hæ partes imbecilles, ad quas cæteræ ſuas fæces tranſmittunt, cum repurgantur. Confirmant has eſſe ſedes, propterea quod pituita & atra bilis difficillime extra vaſa in corporis habitum propelluntur: ergo in his eſt ſedes vera intermittentium.

Item ex proprio dogmate. 18 Nos autem putamus vaſorum magnitudinem & paruitatem diuturnitati & breuitati febrium primo conducere. In vaſis enim amplis humor tenuis facilè coquitur emittiturque, breuique temporis ſpatio: propter eam breuior febris: acceſſio verò longa:

longa:non enim quiescit,donec extrudat malum.In angustis verò diuturnior & difficilior. Non enim locus pugnandi, agitandi, & attenuandi, & deducendi humoris commodus est, propterea que haud ineptè ibi ardentem febrem, hic tertianam accendit Aphrodisiensis.

19 Humor autem pituitosus crassus in amplis conceptaculis breuis æui quotidianam facere putatur: in angustis venis arteriisque cuti vicinis, febrē imbecillem longámque quotidianam. Sed in his etiam vires spiritus considerabis,& impedimenta functionum,& læsionis magnitudinem,& humoris copiam & crassitiem. Arbitror enim non ineptè Aristotelem ex vitrea pituita accendere etiam quartanam,cum copiosa est, nec facile mouetur: nec irritat tam citò quam bilis:nec enim ita lędit. Similiter spiritus imbecillitas producit febres:robur breuiat: impedimentum & molestia,auget & anticipat.

20 Intermissio & continuitas tandem non videtur ex conceptaculorum magnitudine & paruitate habere rationem; sed ex augmento & diminutione illati mali. In illo enim continuatur:in isto intermittit:facit tamen locus commoditatem & incommoditatem ad vincendum. Neque Alex.& Auic. & Gal.aliud inuenire potuerunt, si quis rectè ipsorum expendat obseruationes. In omni tandem loco fieri continuas & intermittentes palam est ex dictis. Nam & in magnis conceptaculis facile humor minuitur, ita vt febris cesset,nec recurrat:donec humor malus ex suis reliquiis iterum nutritis reficiatur.In paruis verò continuas,vbi magna est læsio, indicat cuiusque membri nimia vexatio: & febres eorum erraticæ & periodicæ. At quis ignorat in ventriculi læsione aliquando continuam,aliquando intermittentem fieri pro læsionis natura? Aliquando vero nec febrem gigni eo læso, indicat citta,& morbi non pauci. Similiter etiam ex splenis & mesaraïcarum afflictione magna vel parua occurrunt quotidiana experimenta febrium continuarum intermittentium.

Ratio intermissionis, & continuationis.

De febrilium periodorum & errorum causis, & typis, & rationibus.

ARTIC. II.

Ex dictis probè deducitur, omnes febres ex quocunque humore & occasione fieri,& periodicas,& erraticas. Cum enim

si in corpore toto, vel in sanguine excitetur humoris malitia, vnde febris partis toti quoque communicetur. Vidimus enim ex sola digiti, aut pedis læsione exteriori ortam fuisse febrem vniuersalem: quoniam occasio illa morbificas excitauit causas: læsuras mutans in lædentes.

Regula vniuersalis. 16 Semper quidem quantitas morbi & humoris lædentis perpenditur à natura, & cum magna est, vel in toto, fit febris continua: cum parua, vel in parte, intermittens.

Item locus læsionis cur continuam patitur, & cur aliquando non continuam, ex Medicorum dogmate vario. 17 Tertiò locus læsionis consideratur ad febrium discretionem. Et quidem præcipuus Medicis videtur. Si enim in vasis magnis putrescunt humores, ex quibus in cor continuò obrepit vapor, continua illis videtur accendi febris: ordine quodam. Primò enim accendibilius est serum bilis: Secundò bilis: Tertiò serum pituitæ: Quartò pituita, iis in locis. Melancholicus autem humor rarissimè. Si verò in vasis paruis, dicunt quidam, vel extra vasa, dicunt alii, putrescat humor: tunc intermittentes excitat febres, pro humoris qualitate. Nam pituita quotidianam: bilis, tertianam: melancholia, quartanam faciunt. Alij dicunt, in exterioribus corporis partibus fieri intermittentes, & longè à corde: quod certis vicibus & non semper propterea afficiunt. Sunt etiam qui quartanas, affecto splene; tertianas, affecto epate; quotidianas, affecto ventriculo, ex dictis Galeni *lib. 1. ad Glauc* contendant. Et cum dicat aliquando Galenus intermittentium focum obsidere externum corporis habitum. Respondent, hunc focum fieri ex deriuatis à ventriculo, epate, & splene. Idque ex Alex. & Auic. etiam putant haberi: qui in paruis vasis intermittentes generant. Item ex eo quod hypochondria dolent cum hæ febres accenduntur. Et vrinæ in principio accessionis crudæ sunt & tenues; in declinatione, crassiores & rubescentes magis; eisdemque temporibus fiût vomitus. Item fomenta pharmacumque iecori, lieni, & venis mesaraicis, adhibita, has sedant febres: vti & vomitus. Sunt etiam hæ partes imbecilles, ad quas cæteræ suas fæces transmittunt, cum repurgantur. Confirmant has esse sedes, propterea quod pituita & atra bilis difficillime extra vasa in corporis habitum propelluntur: ergo in his est sedes vera intermittentium.

Item ex proprio dogmate. 18 Nos autem putamus vasorum magnitudinem & paruitatem diuturnitati & breuitati febrium primo conducere. In vasis enim amplis humor tenuis facilè coquitur emittiturque, breuíque temporis spatio: propter eam breuior febris: accessio verò

longa:

longa:non enim quiescit,donec extrudat malum.In angustis verò diuturnior & difficilior. Non enim locus pugnandi, agitandi, & attenuandi, & deducendi humoris commodus est, proptereaque haud ineptè ibi ardentem febrem, hic tertianam accendit Aphrodisiensis.

19 Humor autem pituitosus crassus in amplis conceptaculis breuis æui quotidianam facere putatur: in angustis venis arteriisque cuti vicinis, febrē imbecillem longámque quotidianam. Sed in his etiam vires spiritus considerabis,& impedimenta functionum,& læsionis magnitudinem,& humoris copiam & crassitiem. Arbitror enim non ineptè Aristotelem ex vitrea pituita accendere etiam quartanam,cum copiosa est, nec facile mouetur: nec irritat tam citò quam bilis:nec enim ita lędit.Similiter spiritus imbecillitas producit febres:robur breuiat: impedimentum & molestia,auget & anticipat.

20 Intermissio & continuitas tandem non videtur ex conceptaculorum magnitudine & paruitate habere rationem; sed ex augmento & diminutione illati mali. In illo enim continuatur:in isto intermittit:facit tamen locus commoditatem & incommoditatem ad vincendum. Neque Alex.& Auic. & Gal.aliud inuenire potuerunt, si quis rectè ipsorum expendat obseruationes. In omni tandem loco fieri continuas & intermittentes palam est ex dictis. Nam & in magnis conceptaculis facile humor minuitur, ita vt febris cesset,nec recurrat:donec humor malus ex suis reliquiis iterum nutritis reficiatur.In paruis verò continuas,vbi magna est læsio, indicat cuiusque membri nimia vexatio: & febres eorum erraticæ & periodicæ.At quis ignorat in ventriculi læsione aliquando continuam,aliquando intermittentem fieri pro læsionis natura? Aliquando vero nec febrem gigni eo læso, indicat citta,& morbi non pauci.Similiter etiam ex splenis & mesaraïcarum afflictione magna vel parua occurrunt quotidiana experimenta febrium continuarum intermittentium.

Ratio intermissionis, & continuationis.

De febrilium periodorum & errorum causis, & typis, & rationibus.

ARTIC. II.

EX dictis probè deducitur, omnes febres ex quocunque humore & occasione fieri,& periodicas,& erraticas.Cum enim

cauſa non ordinaria acceſsit ad pugnam, fit accenſio in ſpiritu: eáque profligata aut quieſcente, ſtatim ceſſat pugnare feruor, id eſt, febris. Vidimus enim fiſtula laborantes quotieſcunque humores acres ad locum patientem confluebant, febre inordinata corripi: ipſi quoque dolores, & vigiliæ, & triſtitiæ, aliæque extraordinariæ paſſiones, quæ non habent circulum ordinatum, febrem excitant: & nos continuò in nobis ipſis idem experimur; vt nulli dubium ſit febrem eſſe iracundiam ſpiritus contra moleſtantem quamcunque cauſam. At quærunt phyſici, cur febres certas obſeruant periodos, ita vt aliæ quotidie, aliæ tertio, aliæ quarto quoque die inſurgant? Plato *in Timæo*, ad radicales cauſas ipſarum deducit rationem: putat enim quòd cum corpus exceſſu ignis languet, continua febre laborat: quando verò aëris, quotidiana diſcreta: aquæ, tertianaq; propterea quod aqua ſegnior eſt quàm ignis & aër. Terræ demum exceſſu, quartana. Terra ſiquidem omnium tardiſſima quarto gradu cum ſit, temporis circuitu quarto feruet, defetuétque: hinc quartanas inuehit febres, quæ vix ſeróque ſanantur.

Corollarium.

Quæſtio de typis.

Plat. opinio.

Reprobatio.

4 Sed profectò videtur quatuor elementorum opinione captus, reſpondentium quatuor corporis humoribus, vti ſibi Medici perſuaſerunt: qui non opinionem naturæ rerum, ſed rerum naturam opinioni propriæ adaptarunt. Manifeſtum eſt enim quod non modò quartanæ reperiuntur, ſed & quintanæ, ſextanæ, octanæ, nonanæ & annuæ: ergo non quatuor elementis reſpondent humores & febres. Præterea manifeſtum eſt ex Medicorum obſeruationibus, vt plurimum continuam fieri ſanguinis vitiati paſſione: ſanguis autem reſpondet aëri, cum calidus ſit & humidus, non autem igni. Quotidianas vero ex pituita ortum ducere Medici probant, quæ non aëri, ſed aquæ correſpondet: & quidem longior eſt tempore, quàm tertiana, ſæpéque lethalis, cum aliis ſuccedit morbis, ſicuti & quintana, quæ omnium peſſima reputatur. Tertiana verò ex accenſione flauæ bilis fit, quæ igni correſpondet. Deberet autem ex dogmate Platonis continua modò ex hac fieri. Tandem quartana licet videatur cum tertiana cognationem habere in ſua cauſa, quæ humor eſt atrabilioſus: nihilominus cum tertiana motu careat, ab ipſa motum quartanum auſpicari radicaliter nõ valemus. Probauit etiã Ariſt. aliquando quartanam ex pituitoſo craſſóque fieri hum re, qui ob craſſitiem & frigus tardius efferueſcit. Præterea dantur & tertianæ, & quartanæ, & quotidianæ

tidianæ duplices, vt non motibus elementorum, ſed incommodi- *3 Corollariũ*
tatibus ſpirituum aſſignandæ veniant.

5 Alexander Aphrodiſ. *in probl.* motus Medicorum obſeruatio- *Alex. Opinio.*
nibus, alias cauſas aſſignat periodorum, ſcilicet materiæ quantitatem. Putat enim ſtatuiſſe naturam, vt plurimum eſſet ſanguinis: minus pituitæ: minimum bilis flauæ: quam minimum atræ, quoniam in talibus gradibus conſiſtit temperies corporis. Quapropter cum in ſanguine febris accenditur, nullam habere intermiſſionem ob materiæ copiam; quotidianam verò, quia in pituita accenditur, quę minus habet materię, quàm ſanguis, & plus quam bilis, non continuo, ſed ſingulis diebus accendi. Flauam verò bilem, quæ pabulum eſt tertianæ febris, non niſi tertio quoque die inſurgere; quia minoris eſt quantitatis quam pituita: ergo & atram bilem quam minimam non niſi quarto quoque die acceſſionem habere; quia minima eius quantitas non prius accendi queat.

6 Sed profectò ratio Aphrod. non congruit principiis propriis *Reprobatio.*
Peripateticis, quæ ſunt elementa quatuor: ſicut Platonis ratio, neque iterum obſeruationibus, nec veritati. Etenim vel quantitatem molis, vel actiuitatis affert febrium periodis declarandis. Non quidem molis. Manifeſtè enim in corpore plus atræ bilis quàm flauæ ineſt, quod & vaſa declarant ad ipſas excipiendas, ab authore naturæ fabricata: ita vt maius vas maiori humori, deſtinatum eſſe æquum ſit. Conſtat autem lienem maiorem eſſe veſica fellea in cunctis animantibus, imò in multis deeſſe fel: quoniam minimum flauæ bilis habent, vt nec vas illis neceſſarium fuerit. Præterea alij ſunt temperamento cholerici, alij atrabilioſi, alii pituitoſi homines, alii ſanguinei, in Aphrodiſæi ac Medicorum dogmate: propterea quod in aliis cholera, in aliis atra bilis, in aliis pituita prædominatur. Tamen in cunctis tertiana à cholera, quartana ab atra bile, quotidiana à pituita, Medicis videtur fieri. Quod è contrario euenire oporteret: vt videlicet ſi prædominatur in aliquo flaua bilis, in eo continua ſit à bile, vel ſaltem quotidiana: in quibus atra bilis, in iis continua, vel quotidiana ab atra bile fiat; quartana verò à ſanguine vel pituita, quæ minima eſt in his. Sin verò virium quãtitatem adducat Alexand. tunc planè cum vires maiores ſint in igneo humore, qualis eſt flaua bilis, quàm in cæteris; oporteret quotidianam ſaltem, etſi non continuam, à bile prouenire flaua: à pituita vero quartanam, eo quod minor robore eſt cunctis humoribus, præſertim verò in

Aristotelis sui dogmate: qui faciliorem ignitionem in terra facit quam in aqua. Ait enim, quod sola frigiditate terræ deuicta, remanente siccitate, fit ignis facilius, quam ex aqua, in qua oportet & frigiditatem, & humiditatem deturbari. Hæc ratio est ad hominem Peripateticum, & ad Medicos, quatuor elementorum assertores, & humorum quatuor, respondentium elementis quatuor. Secundum enim veritatem nulla est. Argumentum etiam à prædominio eos vrget: oporteret enim continuam fieri ab eo elemento quod plus in corpore prædominatur, vt in cholericis à bile flaua; in melancholicis ab atra: quod tamen Medici nec admittunt. Nos etiam ostendimus à quocunque humore & morbo, pro quantitate læsionis, fieri febrem quamcunque. Præterea quid dicet Alex. de quintana, & sextana, & octana, &c. quas etiam agnoscit? A quonam humore istæ fiunt? num à modica atra bile? & qua ratione? Quid dicet etiam de duplici tertiana, & triplici quartana, & de erraticis? Item de febribus, quæ nullo ab humore, sed à frigore, aut somno, aut inedia, aut tristitia, aut ingluuie fiunt? Vbi manifestum est, non pro humoris quantitate fieri febres, sed pro læsionis grauitate & leuitate.

Secundo de generat. & corrupt.

Medicorum opinio, & reprobatio.

Opinio Med. 7 MEdici verò plurima experti, periodos circuitusque febrium assignant naturæ humorum qualitate & quantitate. Aiunt enim quòd flaua bilis ob caliditatem, & tenuitatem facilè accenditur, & minuitur, & depellitur ex vasis: vnde eius minima quantitas relinquitur, quæ non nisi tertio exinde die potest putrescere accendique: ideóque tertianum circuitum efficere. Pituita verò, quoniam frigida, crassaque est, cum accenditur, non omnino minuitur, educitúrque foras: sed eius reliquiæ multæ remanent: ita vt singulis diebus iterum accendantur, & circuitum facere quotidianum. Atram bilem accendi quidem tardè, & expelli foras, ob sui frigiditatem & siccitatem putredini minus obnoxiam esse, paucasque reliquias habere: idcirco non nisi quarto die recurrere. Quintanas deinde à minoris quantitatis, & qualitatis atra bile fieri censent. Sic sextanas, septanas, &c. proptereaque tardius putrescere, inflammarique.

Reprobatio. 8 Sed reuera & isti nequaquam satisfaciunt inquisitioni: propterea quod non læsionis magnitudini, & bellandi necessitati, iteratæ

iteratæ reuersionis rationem adscribunt;sed humorum vstioni, & magnitudini, & consistentiæ. Si enim quia minores sunt humoris reliquiæ, tardiores sunt reuersiones:tunc bilis flaua quartanos efficeret circuitus, quæ nimirum ita consumitur in præcedenti accessione ob sui tenuitatem, accendibilitatem, & ad emissionem habilitatem, vt non nisi post quartum, aut quintum diem postmodum reficere seipsam queat. Præterea ad putrescendum aptior est terra, quã ignis, in doctrina Medicorum & Aristotelis, cui nec putrescere ignis videtur: ergo tardius saltem putrescet bilis flaua, quàm atra: ergo ab hac tertiana magis; ab illa verò quartana producenda esset. Si vero & accendibilitati,& quantitati simul periodus adscribitur:profectò cum bilis facilius accendatur quam pituita,etsi pituitę maior remaneat portio in præsenti feruore: tamen compensanda est cum maiori choleræ accendibilitate. Ergo non minus à cholera quam à pituita, quotidiana ortum habeat Medicis oportet. Præterea cum maiores sint reliquiæ pituitæ post febrilem accensionem,quam atræ bilis,& difficilius accendãtur, quoniam repugnat vtraque qualitate, id est, frigore & humiditate, accensioni; atra vero bilis sola frigiditate, in dogmate Aristotelicorum, & Medicorum: tunc oportebit quartanas,& quintanas potius à pituita fieri, quam à bile atra,& quotidianam magis ab atra, & quidem Aristoteles ita adstruxit; quartanam etenim à pituita celebrat. Præterea omnes continuarum humores esse causas etiam Medicis inuitis positum est,cum in morbis nobilium partium eas accendant, & in cacochymia: esse etiam intermittentium cum putrescunt etiam extra vasa, & in ignobilioribus locis.Ergo non humoris natura,sed læsionis natura est causa periodi. Humor autem talem præstat periodum, qualem & bellandi necessitatem. Præterea quartanæ febres diuturnæ sunt,& sextanæ,& quintanæ plusquam tertianæ, aut quotidianæ. Quotidiana etiam longior sæpè est tertianis. Ergo non quantitas humoris,neque consistentia est febrilium periodorum causa sufficiens;sed duratio læsionis est diuturnitatis febrium, & certus lædendi recursus est etiã pugnæ. Arabes præterea Medici quartanas à sanguine & bile atra, & flaua tosta, & à pituita fieri, obseruant passim:& quidem in pueris, & fœminis, quibus nullus ferè humor atrabiliosus inest, ex sola humorum crassitie, & cruditate quartana sæpè gignitur. Præterea fatentur epialam febrim aliquando esse quotidianam, aliquando quartanam Medi-

ci; quam ex pituita vitrea acida partim accensa, partim non accensa efficiunt. Hanc eandem faciunt aliquando erraticam. Præterea quotidianam faciunt à pituita dulci, vel salsa, vel acida: & tamen etiam à pituita salsa faciunt lipyriam febrim continuá, & causum continuum: quem etiam à sanguine efferuescente generat Auer. Item Galenus tertianam ab autumno vsque ad ver longam obseruauit; quam ex bile flaua factam, & non potius ex atra contra suum dogma, nec audent dicere Medici: nos etiam duplicem tertianam mensibus tredecim durasse nouimus. Ergo. Item ex crudis humoribus lipyriam, & ex eisdem febrem crudam continuam, & quotidianam aliquando faciunt: vt vel ipsorum solo testimonio conuicti Medici sese ignorare causas morborum, & periodorum confiteantur oportet.

Propria opinio de typis febrium, &c.

Opinio Autoris.

1 IGitur arbitrandum, omnem febrem ab omni humore fieri pro quantitate & consistentia & læsionis rata: accidere tamen plerumque quotidianas à pituita, tertianas à bile flaua, & quartanas ab atra, non quia minima est copia & robore, alioquin non tamdiu duraret; sed quia ad bellum non prouocat ob suam crassitiem, nisi quarto post die. Non ergo pro natura humoris, sed læsionis, oritur febris & circuitus.

Contra insurgit triplex quæstio.

2 Sed quærat quis: cur, si quiuis humor tempore quouis moueri potest, certis diebus & interuallis & horis ad pugnam lacessit, & cur quartanæ febres diuturnæ sunt: ac metu maiorique passione adueniente soluuntur? Et cum crises iis temporibus fiant, quibus accessiones, atque à lunari pendeant motu: vtrum fatendum sit etiam à cælo circuitus febriles causam vel occasionem habere?

Respondeo ad tertium.

3 Respondeo sydetum motum motibus inferiorum rerum semperqcommunicare; humorésque omnes Lunæ subiacere, vt alibi probatum est. Sed atram bilem Lunæ, & Saturno: flauam Lunæ, & Marti: pituitam Lunæ & Veneri: sanguinem Lunæ ac Ioui: spiritus Lunæ ac Soli, Mercurióque: semen Lunæ, Veneri, Martique & Ioui, eo quod in eo multiplex latet principium. Nam & herbas sic videmus à variis syderibus quasdam, quasdam ab vno affici. Dico ergo semper humores excitari à Luna, attamen eius motiones recipi in eis pro recipientis modo.

Cur continuus Lunæ motus in a-

Ideoque

Ideoque continuas fieri quaſdam, quoniam humor peccans validus eſt, nec ſubito minuitur: vel ſpiritum aut alias partes principaliores lædit; vnde obligat ſpiritum ad pugnam continuam: ſicuti & ſonus ad ſaltandum in choreis alios continuò mouet, alios certis vicibus, quamuis continuus ſit, ſi eorum vires minuuntur, aut minus à ſocio conſaltante prouocantur. In quibus vero minuitur vis hoſtilis modicè, nec reficitur niſi ſecundo quoque die, in his quotidiana pugna celebratur. Non quia Luna non continuo mouet, vt citharœdus aut tympaniſta: ſed quia ſocius aut hoſtilis vis non inuitat ad bellum. Ergo motione propria ordinaria, in qua cum ſtellis communicat animalis ſpiritus, & quidem iuxta menſiones Lunæ & diarij motus lunaris quantitatem fit noua excitatio. In quibus vero fit tertio quoque die, non deficit ordinarius motus in ſpiritu, ſed extraordinarius, qui ab hoſtili cietur vi; quæ deuicta non reficitur ad pugnam, niſi inſtauretur: propterea que periculo vacant intermittentes pugnæ, quoniam in hoſte vim non æquam naturali indicant. Sequitur autem iſte inſultus de tertio in tertium: quoniam Lunæ de ſigno in ſignum, ſeu de copula in copulam ſectatur mutationem, prout de criſi perperacutorum loquentes monebamus. Humores vero craſsi, quoniam non reficiuntur ad malefaciendum niſi quarto quoque die, dimidij quadrati lunaris rationem ſequuntur, & pugnam ſpiritus ad quartum differt. Manifeſtum eſt enim, quoniam dantur & quotidianæ continuæ, & tertianæ continuæ, & quartanæ continuæ, eo quod peccans cauſa minuitur, non proſternitur, vt in intermittentibus. In omnibus tamen rationem lunarem ſequi videntur, ſicut & criſes. At quoniam etiam erraticæ ex iiſdem humoribus fiunt, palam fit quoniam non niſi vbi lædunt, pugnatur febrili bello. Quintanæ ſextiles aſpectus ſequuntur: quoniam quinto die ad 60. gradum à ſui exordio Luna recedit. Sextana paruam habet conuenientiam cum lunaribus aſpectibus, niſi vbi æquiualet ſeptanæ; quæ longiſsima eſſe ſolet, eo quod quadraturas lunares pro regula habet, validos nempe aſpectus. Credo etiam octanam ei æquiualere, ſi ſub tardiori Luna incepit. Nonana tandem conſequitur ad trigoni normam. Hæ tamen raræ ſunt, quoniam antequam peccans cauſa reficiatur, natura vires ita auget, vt non ſinat morbo regrediendi vim. Annua tandem febris Antipatri non tam ex humoris natura, quam ex ſpiritus memoria, & loco reuerſionis

liis morbis continuus, in aliis remiſſus, in ali is intermittens.

Solis

Solis ad idem punctum, vnde incepit, rationem habet. Siquidem & qui mordentur à tarantula, habent hanc reuersionem annuam: & qui solent sese in septimana sacra verberare, pruritum, vertente eodem tempore annuo, sentiunt, nec quiescunt ab eo, nisi iterum verberati. Vnde putamus in quartana consuetudinem pugnandi quarto quoque die in memoria excitari, & modicam esse humoris læsionem; magnam vero opinionem in spiritu. Idcirco alia ingentiori passione affecti quartanarij, à quartana statim liberantur, sicuti non rarò experti sumus: præcipuè in amico, qui fune tortus à iudice, quartana, qua tenebatur per tres ante menses, liberatus est penitus. Sequitur quartanæ motum maris sex-horarium à Sole, aliæ alium, vel alio modo.

4 Quæ igitur lacessunt absque ordine syderali, sed ab extraordinariis syderum transitibus, aut à causis non ordinario lædentibus, erraticas febres faciunt: vt intelligamus motum Lunæ recipi in quibusdam seriatim, in quibusdam temere: & modificari pro recipientis conditione; nam nec omnia maria à Sole & Luna easdem passiones habent. Astrologi etiam id considerant, & nos quacunque occasione prauè affecti accendimur ad iram exterius, & ad febrem, quæ ira est interius, & statim sedamur, sedandi ratione inita.

Quibus argumentis, qui humores in quauis febre peccent, omisso typo incerto, cognoscere Medicus valeat; & vnde febrium differentiæ.

ARTIC. III.

Duplex quæstio. Sed dicet quis, si ab humorum conditione ratio periodorum non dependet, quomodo pernoscemus quis in qua febri peccet humor? Et si humor omnis, omnem febrem facit, vnde erit febrium distinctio sumenda, & medicaminum?

Respondeo ad 1. ex Hipp. Respondeo Hippocratem 6. *Epid.* præ cæteris Medicis melius distinxisse febres, & humores peccantes in eis significasse: cum ait. Febrium hæ quidem manu sunt mordaces: illæ vero mites; quædam non mordaces sunt, tamen increscentes; aliæ acutæ, & manu ipsa deuictæ; nonnullæ statim ardentes: quædam semper debiles & siccæ; aliæ salsæ, aliæ inflatæ aspectu horrendæ: aliæque ad manum humidæ; aliæ admodum rubicundæ; aliæ perpallidæ: aliæ liuidæ, & aliæ eiusmodi.

Consi

Considerandum sane est, quod in nostro dogmate febris omnis eadem est ex parte spiritus sese ad pugnam inflammãtis, nec differt nisi secũdum magis & minus caloris & motionis pulsãtis. Vbi enim periculum minoris est momenti, minor calor accenditur: pulsationésq; ex æquatis, tempestiuis, numerosis & fortibus fiunt magnæ, celeres, crebræ & vehementes: & calor è tepido, feruens. Vbi vero periculum maioris est momenti, calor feruentius accenditur, pulsusque maiores fiunt, celeriores, crebriores & vehementiores. Vbi maximi momenti, accessiones erunt flammantes, pulsus maximi, velocissimi, creberrimi & vehementissimi.

Calor & motus spiritus ordinarius quibus gradibus extraordinariis, qui propter hoc dicuntur febriles, augentur, & cur.

Et hoc quidem intelligendum est respectu eiusdem hominis sani: in aliis enim temperamentis alia feruescentia excitatur.

Notand. 1.

5 Præterea intelligendum est ex parte spiritus, causæ nimirum efficientis vbi valet bello. Accidit enim vt imminuto spiritu & maleaffecto, licet sint periculosissimi morbi, haud tamen febris fiat in calore & motu, valida quantum oportet in gradum. Nam nec excrementa maligna æquo periculis labore educit spiritus imminutus. Idem autem iudicium in eductionibus febrilium causarum. Cognosces quidem ex vrinis & deiectionibus paucis & crudissimis; & ab ætate, anni tempore, & victu, & morbi natura, an tantum febriant spiritus, quantum oportet ad vincendum educendumque causas mali.

Cur variatio in efficiente.

6 Differentia vero febris ex parte causæ materialis non est secundum magis & minus caloris, & pulsationis, nisi in quantitate causæ & periculi illati forma; sed ex caloris qualitate, & accensionis modo, & coloris varietate in aspectu, & ex efflorescentia, & ex vrinis, & ex deiectionibus, & pulsibus addiscenda.

Ex parte malorum: in alia enim materia alius fit calor.

7 Propterea enim aliæ mordaces sunt, aliæ mites ad tactum: quod spiritus inflammans suo calore motuque humorem peccantem, educit eum per transpirationem particulatim ad fumum redactum. Tangenti autem Medico fumus iste occurrit, vel mordax, vel mitis. Si mordax, indicat bilis esse euaporationem, & tunc Medicus iudicat in bilem irasci spiritum. Si vero non mordax adeò, nec ita insuauis tactui apparet euaporatio, sanguinis aut pituitæ dulcis esse accensionem intelligit. Ex quibus educta non mordet molestatque manum exhalatio: sed hoc etiam in febre ephemera experimur.

Ratio differentiarum febriliũ positarũ ab Hip. Vnde mordax febris, & unde mitis.

8 Quæ autem à principio non mordent, sed paulo post incres-

Cur à principio nō mordent, & mox mordent. centes, videntur quidem, quidquid dicant Medici, à pituita assata oriri: cuius emissio à principio non mordet, sed vbi increuerit, id quod crassum adustumque est, subsequitur post florem vaporis, & mordicationem facit; non quidem æqualem, sed inæqualem in variis partibus tangentis manus plerumque: quoniam non tota vndique simul exit, propter sui consistentiam crassam variãq;. Sed primo vapida, deinde salsugo per eas solú partes in quibus inualuerit. *Ratio statim pungentium, sed non conseq.* Quæ vero statim acutæ sunt tactui, quasi pungentes, posteaque remittuntur punctiones, tactusque quasi victor remanet: horum accensionem fieri in fuligine obstruente poros cutis, aut spiritum afficiente putandum: quæ statim eductæ pungunt, relinquuntque post se absque punctura calorem, quamuis è contra videatur Galeno interdum. *Regula.* Proprium quidem est materiarum tenuissimarum à principio mordere & molestare ob effluxus copiam, deinde vero cessante materiæ quantitate minui molestiam & actionem: cuius contrarium est in crassioribus, quæ à principio tenuitatem, deinde crassitiem emittunt. *Dubitatio contra regulam.* Sed forsan id verius est in diuersis tactionibus, prioribus scilicet & posterioribus secundum tempora. At in eadem tactione perseuerante dubitabit quis, an à principio tactionis eiusdem mites, in fine vero mordaces sint febres in crassis accensæ humoribus; in tenuibus verò è contra. Videtur enim vbi materia est pituitosa, cutem emollire ita, quod etsi primo effluxu exhalatio combusta tangatur & vrens, tamen premendo ad solidum molle tactus ingeritur. E contra vero cum tenues, acres salsique humores abundant, prima tactus impressio vapidum effluxum sentit: subsequens vero corium arens sua pressione pertingit. Et est differentia in his, sicuti cum tangimus carnem elixatam & assatam; *Occurrit obiectioni.* in illa enim prius acutus calor obuiat, deinde mollities: in hac prius vapor mollis, deinde ariditas. Dico autem mollis, respectu subsequentis ariditatis: sicut in elixata acutus, respectu subsequentis mollitiei: non enim acutior fumus elixatæ quam assatæ in eadem specie.

Solutio. 9 Sed ex altera differentia Hippocratica hoc enodatur. Siquidem alias ponit aridas, alias inflatas, alias ad manum humidas. Aridas esse ex acutissimis humoribus palam est, qualis bilis serique vsti vapor. Inflatas vero, quæ halituosum tactum roridumque faciunt, ad febrem in spiritu & sanguine accensas referri consentaneum est: vel aridas esse hecticas quis dicet, halituosas

lituosas verò sanguineas · madidas tandem, quæ in pituitosis accenduntur rebus, quarum solutio pellem madefacit. Et horum iudicium in prognosticis posuimus, & quomodo etiam hydropem ostentant.

10 Cum vero alias perpetuo vt à principio ardentes, alias debiles Hip. ponit febres, statim ad spiritus copiam & actionis valorem respicit, non ad humoris copiam & inopiam, vt ex Medicorum dogmate infertur. Etenim & ardentes salubriores debilioribus nouimus plerumque, quoniam spiritus ad comburendas materias, ibi robustus probatur, hic debilis. *De ardentis à principio ac debilis differentia.*

11 Cæterum ex coloribus quoque Hipp. morbifici humoris naturam in febribus docet: nam liuescunt atrabiliosæ: pallescunt & siccescunt flauabiliosæ: subpallidæ & citrinæ, sunt pituosæ: rubescunt sanguineæ. Horribiles aspicientibus sunt pestilentes, & papulosæ, & quæ ægrum valde cruciant, & faciem eius immutant, qualiter diximus in 4. lib. *Differentia ex coloribus ratio.*

12 Præterea quæ rigorem afferunt & tremorem horribiles sunt: quæ non ita exagitant, minus horribiles dicuntur. Rigorem fieri ab humoribus acribus mordacibus vasa rodentibus, & spiritum mordentibus, vnde aufugere conatur simul, & pugnare ne vincatur: hincque rigor & tremor simul subsequantur, in eodem lib. declaratum est. Horrorem vero ab eisdem extra vasa delatis, & præsertim ab atra bile similiter patuit, sensumque frigoris præbere caloris abscessum ad interiora, non autem pituitæ agitationem frigidæ, vti Medici opinantur, etiã ibidem declarauimus. Sed quidem vbi rigores mordaces non adsunt, & sæui frigoris sensus subsequitur in feruore, non negem pituitam expandi, vnde spiritus aufugit, vel extra vasa ad neruosas partes deferri, & ad corium inter musculos, vnde frigoris expansi sensus & spiritus ab eo fuga, & eleuatio membrorum, & depressio, qui tremor est magnus; agitatioque aspectu horrida, qualis in quartanis obseruatur. *Differentia ex passione.* *Hip. lib. de spiritu.*

13 Præter hæc dantur signa in locis, vbi huiusmodi humores stabulantur. Lienosi enim & melancholici facile atrabilioso humore infestantur in omni febre; pituitosi & ventriculo debiles, pituita solent vexari; qui epate exorbitant & felle, cholericique, bile flaua. *Ex temperie adminiculũ agnoscendi febres.*

14 Præterea anni tempora & ætates idem contestabuntur. Senes etenim, & autumno, atrabilis: hyeme & pueros, & fœminas *Ex anni tẽporibus & ætatibus.*

pituita & cruditas: vere & adolescentes, sanguinis abundantia & vitium: æstate & iuuenes virosque bilis flaua in febribus infestabunt & præualebunt.

Ex excrementis. 15 Quæ autem ex vrinis, & dejectionibus, & sudoribus, & sputis, & vomitibus signa habemus peccantium humorum, facile in 4. lib. cognouimus.

16 Similiter in quo morbo qui peccent humores, & quæ accendantur febres, in sexto lib. enucleauimus sigillatim, & ex membri affectione.

Ab externis 17 Præterea regiones, & constellationes, & victus præcedentes & mores, indicant qui in qualibet febri humores dominentur, potius quam febrium circuitus.

Accommodatio. 18 Licet in tertianis flauam bilem plerumque, in quartanis atram, in quotidianis pituitam, in continuis sanguinem vt plurimum accusemus: haud tamen semper, quemadmodum Medicis consuetum est.

Agnitio differentiarum ex intrinsecis immutationibus apparentibus. 19 Præterea dictum est etiam, quomodo sitis multa & linguæ ariditas, & amaritudo, & flauedo, expiratio ardens, denudatio corporis, bilem flauam in febribus annunciant, & ardorem in interioribus. Sitis vacuitas, & viscositas in lingua pāniculosa prętet amaritudinem, & lippitudinem, pituitam; præsertim si nec nudari optant, nec ardenter expirant. Atræ bilis incendium, timiditas, fuligo, linguæ nigredo, expiratio fumosa & fuliginosa, & ferina deliria, pandunt. In biliosis enim deliria minus sordida & phrenitica apparent, & audaciæ plena. In pituitosis somnolentia, & stupiditas & torpor. Et quoniam de his singillatim in 4. lib. loquuti sumus, reliquum est, vt de accessionibus, & temporibus febrium sermonem attexamus.

Tempora accessionum febrilium proportionari febrium diuturnitati & breuitati in suis durationibus: & quibus de causis vtraque tempora producuntur breuiantúrque.

ARTIC. IV.

Tribus de causis accessio, & duratio accelerā- 1 ACcessio & tempus morborum sese consequuntur: tribus enim ex causis accessio breuiatur, videlicet ob humoris tenuitatem, qui facilè vincitur transpiratque: ob meatuum latitudinem,

tudinem, per quos facile transit; & ob virtutis expulsiuæ vires validas ad victoriam. Tribus quoque de causis producitur, videlicet ob materiæ crassitiem & resistentiam contra coquentem & feruentem spiritum. Item ob vasorum, in quibus accenditur, angustiam; vbi sanè spiritus eam agitare non valet, attenuare debellareque: ac simul ob pororum angustiam, per quos trāspirare quod vincitur materiei morbificæ difficile potest. Item ob spiritus imbecillitatem, qui feruorem & agitationem intendere non valet. Quæ omnia ex pulsibus, vrinis, & respiratione aliisque signis, in 4. lib. positis, prudens Medicus venabitur. *tur, & tardantur, breuiantur & dilatantur.*

2 Tempus quoque durationis febrium ex eisdem causis intelligemus: materiæ enim tenues, & virium robur, & rara textura morbos abbreuiant: crassities, & imbecillitas, & angustia, producunt.

3 At si hæc ita se habent, sequitur quod quorum morborum accessiones sunt sex-horariæ, eorum duratio est breuissima: quorū octhorariæ, longior; quorum duoden-horariæ quam lōgior: quorū quindenis, & vicenis, aut pluribus horis, longissima. Ergo quorum continuæ sunt accessiones, id est, vna à principio ad finem, eorum duratio erit æterna, dicet quis; hæc autem haud ita se habent. Continuæ enim febres ephemeræ breuissimæ sunt: similiter & ardentes, & tertianæ continuæ; quartanæ verò intermittentes, longiores. *Dubitatio.*

4 Respondeo quod continuæ febres sunt perennes vsque ad mortem. Ipsæ enim præ cæteris lethiferæ sunt magis: quæ enim intermittunt, periculo vacant, magis minusque pro remissionis spatio: vnde tutissimæ reputantur quartanæ, quoniam diebus pausant duobus, naturæque sese reficiēdi spatium dant. Multum ergo & quintanæ, & sextanæ & annuæ longè præ iam dictis salubriores: & inter has, quarum periodi breuiores. Quæ enim quatuor horis durant, meliores quàm quæ octo: & hæ præ his quæ decem, & sic de cæteris. Etenim materia, quæ naturam impugnat copia & robore minor est in accensionibus breuibus, quam quæ in longis: faciliusque vincitur. Similiter vel vires naturæ validiores, vel pori etiam apertiores. Et quando ista omnia concurrunt, febris saluberrima est, nullius momenti periculum faciens. *Solutio.*

5 At quidem non omnes continuæ febres pessimæ, vel non continuis peiores, nisi sint eiusdem generis, & ab eisdem humoribus efficiantur. Palam est enim quod quæ in solis spiritibus fiunt, & in *Cur spiritales humoralibus minus periculosa.*

tenuibus vaporibus, licet continuæ ſint, periculo tamen vacant quoniam ſpiritus facile ſeſe malis exonerat ob ſui caliditatem & tenuitatem; aut ſubito ſuffocatur, & perit antequam pugnare queat; vt patet in his qui veneno aut fœtore opprimuntur antequam febricitent, vel in primo feruoris inſultu. Quæ autem in humoribus periculoſæ: indicant enim neceſſitatem continuam pugnandi abſque ſpiritus quiete: quæ verò in ſolidis partibus accenduntur, pejores ſunt, ſiue in capite, aut alio nobili viſcere: ſiue in toto corpore, vti in hecticis experimur, ex Medicorum dogmate. Et quidem eò deteriores & longiores in ſuo genere ſunt omnes, quò acceſſiones diuturniores in ſuo genere. Accidit tamen ob tenuitatem materiæ & vaſorum ſpatioſitatem fieri continuam febrem & ſalubriter: donec vnica acceſſione peccans materia conſumatur.

Et humorales ſolidis.

6 Quorum acceſſiones ſubſequentes prolongantur magis, aut anticipant horam præteritarum; in his intellige victoriam morbificæ cauſæ; quæ abundat robore copiáque; idcirco pugnam dilatat, & prouocationem anticipat. Quæ verò breuiantur & poſtponunt, è contra ob contrarias rationes. Si tamen ſigna coctionis defuerint. Quæ enim anticipant pugnam, naturæ vires & confidentiam indicant, & criſim, etiam Galeno; quod non fieret ſi febris eſſet morbus, & non remedium. Fatetur etiam Galenus, non anticipatam acceſſionem morbi indicare diuturnitatem: anticipatam verò criſim, & victoriam. Ergo bellum eſt febris à ſpiritu forti anticipata, à flaccido poſtpoſita declinatáque. Et hoc verum eſt, vbi vis ſpiritus, non cauſa mali anticipat paroxyſmos.

An anticipatio & prolongatio acceſſionis bona vel mala. Anticipatio acceſſionis cũ ſignis coctionis victoriam naturæ abſque vero victoriam morbi.

Regula.

7 Continuæ febres ſi augentur calore & motu continuo, periculoſiores; ſi minuuntur paulatim, ſalubriores: ſi perſeuerant eodem modo, contumacem hoſtem periculumque ambiguum deſignant. In prima autem & in tertia criſim expectabimus, ſi critica apparuerint ſigna: & tunc augeri fêbrem bonum eſt. ſignant enim vires colligi naturales ad victoriam. Id quod Medicis malum apparere debet, quibus febris non remedium, ſed morbus exiſtat.

Nota, ſi febris augurium bonum, ergo febris non morbus per ſe.

8 Galenus autem febres diuturnas eas putat *in 2. de criſ.* quæ à pituita craſſiſque fiunt humoribus: & in parte minus tranſpirabili: breues verò quæ à bile flaua, & in loco tranſpirabili. Nihilominus alibi fatetur ſe tertianam quam ex bile creat, ab autumno

Nota ex Gal.

in ver productam obſeruaſſe.

9 Acceſſiones intermittentium febrium habent rationem dierum, quæ in continuis. Etenim quemadmodum in his criticus eſt ſeptimus, quartus verò indicatorius: ita in illis ſeptima acceſſio eſt critica, quarta verò indicatoria. Sic dices de cæteris acceſſionibus proportionaliter ad dies.

De febribus ſpeciatim ſecundum cauſas, quas habent in ſpiritu, aut humido, aut ſolido.

CAPVT III.

QVoniã febres accẽduntur omnes in ſpiritu, hoſtẽ verò habẽt, vel in ſpiritu, vel in ſolido, vel in humido; de febribus ſigillatim dicturi, primò eas enucleabimus, quæ in ſpiritu cauſam habent.

De Febribus ſpiritalibus ſpeciatim.

ARTIC. I.

SPiritales febres apud Medicos vocantur ephemeræ, eo quod per diem vnum vt plurimùm ſunt durabiles: pauciſſimæque ad duos vel tres extenduntur: quam rariſſimè etiam ad ſeptem, vt Rhaſis expertus eſt.

Omnis febris eſt in ſpiritu bellãtis: hoſtis vero, ideſt cauſa morbi vel in ſpiritu vel in ſolido, vel in humido.

De ratione febrium ſpiritalium à primalitatibus.

CAuſa ephemeræ febris in ſpiritu vel à primalitatibus ortum ducit; vel à corporeitate. Si à primalitatibus, primum locum tenet ira, quæ per ſe ſola & eſſentialiter febris eſt, ſedem habet in poteſtatiuo: naſcitur ab appetitu propulſandi malum, quod cognoſcitiuum percepit, iudicauitque eſſe propulſandum, vel extinguendum: ex quo ſtatim ſequitur poteſtatiui commotio in calore & tenuitate, ex quibus etiam conſtat ſpiritus: quo calore & tenuitatis motione per poteſtatiui feruorem & impulſum agit in rem moleſtam. Vnde manifeſtum eſt, quod omnis iracundia eſt febris eſſentialiter ex ſola occaſione abſque cauſa. Cognoſcitiuum enim & appetitiuum non mouentur ab obiectis bonis maliſque, ſed ſuſcipiunt occaſionem, vt in Metaph. dictum eſt. Mouentur

Duplex origo ephemeræ.

Ira eſt per ſe febris, eius ortus, cauſa, & forma, & finis.

uentur tamen per accidens, dum corpus tenue ſpiritus ab eis agitatur, in quo ipſæ inſunt.

Cauſa febrium ephemerarum ex primalitatibus per ſe, vel per aliud.

2 Ab ira ergo non cauſatur febris, ſed & ira eſt ipſa febris, ira quidem intranea & occulta, ſicuti & timor occultus in fuliginoſo ſpiritu, eo quod ab externa cauſa inferri non apparet. Aliæ vero paſſiones cauſant febrim, quas Medici enumerant; videlicet, triſtitia, aër calidior, labor, dolor, vigilia, ſomnus, fames, ebrietas, cruditas, catarrhus, lætitia, timor, & inguinum tumores & bubones Et hoc quidem faciunt vel quatenus ſunt ſpiritus paſſiones, vel inferunt illi paſſiones: ad quas vincendas iraſcitur feruetque. Obſtructiones quoque cutis, quæ calorem & fuliginem impediunt, paſsiones eas in ſpiritu cauſant, ad quas amoliendas, accenditur febriliter in cauſas: quod eſt iraſci.

Signa pro cognitione febris ſpiritalis.

3 Cognoſcitur autem febris ſpiritalis ab humorali & ſolidali ſeorſum Medicis, propterea quod in ſpiritali calor eſt mitis, blandus, vrinæ naturalibus ſimiles, vel mutatæ parum: pulſus nullam ferè habent inæqualitatem, vel modicisſimam: & cum ceſſat acceſsio, ſtatim fit pulſus ſimilis omnino ſanis, quod in aliis febribus haud inuenies. Item multa ægrotantis tolerantia abſque faſtidio. Item vacuitas ſymptomatum malignorum; neque enim rigor, horror, aut frigus inuadit febriĕtem, aut dolor capitis, ventriculi, renum, cæterorumve principalium membrorum. Neque faſtidium cibi, aut corporis grauitas, aut ſomnolentia, aut linguæ ariditas, & amaritudo, cæteraque ſigna, quæ humorales febres & ſolidales concomitantur. Cauſæ quoque ſpiritalis febris ſunt manifeſtæ. Oriuntur enim in ſpiritu ex malo ſtatim illato: ſpiritus enim paſsibilis eſt valde, ob tenuitatem ſenſumque exquiſitum, facilèque accenditur. Humores vero non ſtatim lædunt ſpiritum, niſi vbi exorbitauerint, quod paulatim & inſenſibiliter fit.

Cur ſpiritalis febris cauſa patēt, cæterarum vero latent.

4 Latuit autem Medicos, cur à manifeſtis cauſis fit ſpiritalis febris, humoralis verò plerumque ab occultis; nunc autem palam eſt: quoniam ſpiritus ſolus eſt, qui iraſcitur contra morbum, & febrit. Cum ergo in ſpiritum infertur iniuria à quacunque cauſa, ſtatim mouetur ad repugnandum; & hoc febrire ipſum eſt. Cum autem iniuria eſt in ſanguine, aut in aliis partibus, non ſubito ſpiritus accenditur ad pugnam, niſi vbi ipſum cœperint moleſtare. Hoc autem non faciunt ſubito, niſi vbi malum adoleuerit: principia autem eius latent. Idcirco & cauſa febris futura

tura eſt, non præſens. Et quidem accidens iſtud valdè comprobat febrem eſſe iram, id eſt, remedium contra malum. Nam quando malum tangit ſpiritum, ſtatim remedium adhibet, quando cæteras partes, minimè, niſi ad ipſum tandem ſpiritum infeſtandum procedat poſt ſuæ eſſentiæ principia. Non enim eadem principia ſunt eſſentiæ mali, & maleficentiæ in ſpiritum, in cæteris partibus orti, ſicuti ſunt eadem principia mali & maleficentiæ in ſpiritum, orti in ſpiritu.

5 Signa autem tam ſalubria ſunt in ſpiritali febre, quoniam cum vrinæ humores referant, & malum ſit in ſpiritibus, non oportet eas immutatas eſſe. Pulſus vero ordinati ſunt: quoniam ab humorum exhalationibus & exorbitantiis non vexatur; neque enim partium doloribus, quarum ratione in varias partes diſcurrens & aufugiens inordinatos edit motus, & ab humoribus interturbatos: ergo ſolitis motionibus pulſat, alteratis tantum, ita quod ex æquatis, tempeſtiuis, numeroſis & fortibus, fiunt magnæ, celeres, crebræ & vehementes, quantum diſcutiendæ cauſæ paſſionis ſufficiunt.

Cur vrina & pulſus bonus in febri ſpiritali.

6 Sed ex eiuſmodi motionibus & feruoribus in corpore ſicco calidoque ſolet hectica ſuboriri, ſi perſeuerauerint: accenditur enim in ſoliditate calor aridus. In plethorico vero ſucculentorum ſolet humoralis febris enaſci: propterea quod humores conturbantur motione ſpiritus, ad exorbitantiam, qui prius non exorbitabant. Propterea oportet Medicum multa circunſpicere, dum ſpiritalis graſſatur febris: nutriendo ſiccos ægrotos humidis frigidiſque cibis: ſucculentos vero tenuibus, ſiccis & odoratis, quo minus putreſcant, vt mox docebimus.

Cur hectica oritur ex febri ſpiritali perſeuerante in ſiccioribus: in ſucculentis vero humoralis.

De ſpiritali febre ex triſtitia & timore.

7 POſt iracundiam febrem eſſentialem ſequitur febris ex triſtitia & timore, in quibus apparet ſtatim macies, & oculorum cauitas, color pallidus, pulſus paruus & languidus, & calor acer potius quam abundans. E contra autem ſe habet in ſpiritali febre ab iracundia, etiam Galeni teſtimonio. In qua ſanè calor abundantior, non acrior: pulſus magni, celeres, vehementes, pleni, calidique non acriter, & ex parte inæquales: color rubeus, oculi magni, prominentes, turbatique. Hæc autem ita neceſſe eſt euenire: quoniam ira eſt motus ad exteriora ſeſe

Accidentia febris ex triſtitia.

Cauſa prædictorum accidentium.

effundentis ſpiritus contra morbificam cauſam: vnde ſpiritus implet oculos & turbat humores, intendit neruos, & corium, ſequela ſanguinis, rubedine & tumore inſignit, pulſatque venas magna diſtentione, & calore, & celeritate ad vincendum, quod infertur, malum. E contra in mœrore & timore ſpiritus intro fugiunt ab eo quod timent, vel videri in ſua infœlicitate nolentes. Et dum à conſuetis functionibus ob hoc feriantur, fuligines à ſanguine non ſequeſtrant, nec diſtributionem, & coctionem alimenti abſoluunt. Tunc ſpiritus incipit infeſtari ab excrementis & vaporibus, & feruere incipit, & agitare humores, & alimenta ad abſolutionem, & excrementa ad expulſionem coquere aptaréque. Et hoc eſt febrire poſt triſtitiam & mœrorem. Et in hac febre oculorum cauitas & macies corporis ex eo remanet, quod ſpiritus intro collatus minuitur, & nutritio in oculis, & externis partibus intercipitur, & humores intro feruntur, ita vt exteriores partes exſiccatæ appareant. Color autem pallidus eſt ſanguinis abſentia. Pulſus parui & debiles, ob ſpirituum diminutionem & fugam. Calor acer & modicus, quoniam abſentibus humoribus intro delatis & ſpiritu, cutis areſcit ſtipatúrque: & cum febris incipit, fuligines detentæ prius, nunc emitti incipiunt, & tangentem mordere manum, non autem adeo calefacere, vt in aliis paſſionibus, calorem augentibus.

Dubitatio. 8 Sed dubitabit quis non inaniter, quî fieri poteſt, vt in febri ex triſtitia pulſus ſit paruus & exiguus, cum omnis febris ſit ira? in ira autem pulſus magnus & vehemens eſt. Similiter de cæteris ſymptomatis huius febris dubitare licet; quoniam non referunt ea, quæ in febri ex iracundia: ergo non omnis febris eſt ira ſpiritus in rem moleſtam.

Solutio. 9 Reſpondeo, quod ira per ſe febris eſt: timor autem & mœror res contraria febri prorſus, & ideo cum cauſa iraſcendi adeſt, tunc febris magnificatur & perficitur. Nam & nos cum iraſcimur citra febrem, incaleſcimus, erubeſcimus, intumeſcimus vultu, & agitamur corpore, atque pulſu, & impedimur lingua. Hæc autem omnia ſunt febris accidentia & proprietates. Sed quoniã facile ſedatur ira ex occaſione exteriori excitata, idcirco & febris ſedatur, & furor: omnis enim ira breuis eſt furor, breuiſque febris. Febris autem prolixior, ira furorque eſt prolixus, in cauſam intrinſecam agens, non in extrinſecam: ſicuti breuis ira. Et quia permanet cauſa hoſtilis in ſpiritu, permanet febris, donec

donec febriens vincat ſpiritus. Et licet mites videantur febricitantes ad exteriora, tamen iracundi ſunt ad interiora per iracundiam abditam & quaſi innatam, non per editam & illatam & additam, vt patuit in Metaph. Sic etiam licet qui natura ſunt timidi non timeant exteriora obiecta aliqua, timent tamen ſemper innata obiecta, ideſt fuligines atras, quibus infeſtantur. Et cum additur eis occaſio timendi ab exterioribus obiectis, multo magis expaueſcunt, quam qui innato timore præditi non ſunt. Redeuntes ergo ad rem dicimus, quod febris ab iracundia ſe habet magis ad febris rationem & iræ, quam quacunque ex cauſa, & quæ ad ipſam proximius accedit, itidem pro gradu ſuo participat rationem febris. Metus vero & mœror ſunt motus omnino contrarij motibus iræ: cogunt enim introrſum ad fugam, quos ira extrorſum expandit ſpiritus ad vindictam victoriamque. Proptereaque minuunt ſpiritus, obruuntque. Non autem cauſæ febriendi in eis ſunt oppoſitæ genericè, ſed ſunt ædem, quoniam vtræque moleſtant: ergo & ad pugnam cient. Cum ergo febris ſubſequitur, id eſt ira contra cauſam timoris & fugæ, ſeruat aliquid ſimile præcedenti paſſioni. Etſi enim obiectum timoris abierit, tamen cruditas in alimento, & ſordities excrementorum ob intermiſſas functiones in interioribus partibus remanſere, & contra has cruditates & ſordes pugnat iratus ſpiritus, haud tamen expers paſſionis illatæ ab obiecto, nec prorſus immemor. Propterea ergo pulſus languidos & paruos adhuc facit, ſicuti in timoribus ſolet. Cauitas autem & macies iam præerant, neque per febrilem iram tolluntur, niſi deuicta ſorditie & reaptato alimento ad probam nutritionem. Sed ſi quis vult bene curare febrem à timore & mœrore illato, is obiecta timoris & mœroris penitus auferat, annihilataque eſſe videri faciat timenti & mœrenti: & ſic ſtatim pulſus fiet magnus, & vehemens, quantum potis eſt. Etenim & cum intro fugit, minuitur ſpiritus, fitque exilis, partim conſtrictione ſuffocationeque, partim ex intermiſſa refectione. Vnde etſi febriliter pulſet arterias, haud tamen ita, vt magnum & vehementem edat, cum nec implere poſſit ſua copia arteriam, nec ſuo robore euertere tactum, quemadmodum cum de pulſibus loqueremur, declarabamus. *Admonitio.*

10 Qui etiam anxietatibus, curis, contemplationibus nimiis, & cogitationibus præcedentibus febri ſpiritali accenduntur, eadem habent ferè ſigna atque mœroris, & triſtitiæ, & timoris: *A contemplatione febris cur ſimilis à triſtitia.*

causa febrientes, vt etiam Galen. *in 2. de crisib.* testatur. Cuius ratio in nostro dogmate clara. Etenim in his cunctis actibus iam dictis, spiritus vnitur ad interiora, sicuti in physiologia declarauimus: idcircò etiam minuitur, & functiones deseruntur; vnde debilitas ac paruitas in pulsu: sordes & innutritio in corpore, præsertim in oculis, & decoloratio in vultu, sicuti dictum est. Subsequitur ergo feruor contra exurgentes causas intrinsecus; seruátque suæ affectionis tenorem. Proptereáque verum remedium est contraria prorsus affectio, & actus à Medico adhibita imperatáque.

11 Ponunt & quidẽ Medici à lætitia febrem spiritalem, in qua facies & externæ partes ob spiritus & sanguinis expansionem sunt rubicundiores: addendum erat, & nitidiores. Memini ego ex nimio risu, lætitiáque feruores huiusmodi accendi cum signis affectionis suæ seruatis, facto tamen pulsu maiore, celeriore, & vehementiore, & calidiore, blando satis calore. Sed statim euanescit, nisi commoueantur ita humores, vt ipsorum grauis vaporatio spiritum infestet ad pugnam, quam tamen edit passione ex parte seruata, sicuti miles hilariter veniens in certamen. Solet etiam nimia lætitia suffocari ex parte, ex partéque disperdi spiritus absque febre nulla. Et hoc væ illi: quoniam nec potest secum, nec cum alio pugnare febriliter.

Miles Gallus.

Omnis tandem affectio, & notio, & passio vehemens, quarum in primo lib. meminimus, febrem diariam, vel horariam excitare potest in spiritu, si quid insuper mouet ad eius vel humorum, vel corporis infestationem, quæ spiritum obliget ad pugnandum. Quarum passionum signa, & proprietates, & accidentia in Phys. & Medic. lib. 1. declarata sunt.

De ratione febris spiritalis à principiis actiuis corporeitatis spiritus.

12 FEbres, quæ nõ à primalitatib⁹ affectis per se, sed à passionibus corporeitatis spirit⁹ originẽ trahũt, sunt alię à principiis actiuis, hoc est, ab æstu & à frigore. Et quidẽ ab insolatione æstiua, & clibani videmus plerumq; febricitare homines, & in corpore fieri rubicũdiores, sicciores, calidiores, & caput quasi deüri, & cutem exasperari, vbi sudor elapsus iã est & vapor, nec nisi tenuitas inuisibilis amplius transpiratur & vrens. Expiratio in his longior & apertior & feruentior. Sed profectò simplex calor febrem non facit,

De febri ab æstu & gelu.

facit, alioquin omnes in Sole exercitãtes se, & itinera cõficientes febrirent. Similiter neque fit tunc modo febris à Sole, cum calor extraneus solaris igneusve cor attigerit, veluti Galenus & sequaces opinantur; etenim sunt qui tota die æstuant & laborant ad Solem, nec tamen febriunt, sicuti qui semel & modico tempore æstiuos accipiunt calores: in quibus non est putandum ad cor tam citò calorem penetrasse; in illis verò nec tam longo tempore, sed in cunctis calor aëris in cor defertur: haud tamen in cunctis accenditur febris, nisi in quibus excitantur ex humoribus vapores praui spiritum lædentes; aut principalium membrorum temperies immutatur, præcipuè autem in capite: cuius membranæ exsiccantur, cerebrumque assatur; & vapores è visceribus ascendentes afflictum caput & spiritum amplius vexant. Raros enim videmus febrire ab æstu absque capitis dolore, & vrinarum rubore.

13 A frigore etiã febriunt, propterea quod cutis constipatur frigoris vi condensatiua, & transpiratio impeditur excrementosi vaporis: à quo proinde spiritus infestatur, & ad pugnam lacessitur. Scabrositas cutis, & frigiditas seu caloris minutio, & acris tactus, à fuligine mordaci hanc febrem indicant.

De ratione febris spiritalis à vexata spiritus motione & corporeitate per corporeas causas.

14 OMnis etiam cutis obstructio à quacumq; fiat causa, spiritales adducit febres: retẽti enim vapores sordidi maximè infestant spiritum. Vnde exoritur pugna diuturnior quam ex aliis causis: donec enim aperiantur pori, & excrementa explodantur; febrit: propterea vsque ad tres dies ex talibus obstructionibus durat, & si spiritus robustus non fuerit ad pellendum, & sordes affuerint multæ, ad plures extenditur. Propterea nõ rectè Rhasis à quibusdam Medicis mendacij insimulatur. Solet etiam hæc febris in humoralem transire. Retenta enim sordities sanguinem fœdat, & calorem, & temperiem à symmetria auertit: vnde nascitur pugna spiritus ad rectificandum quod exorbitauerat. Et quidem aliquando increscens est, & hoc malum parturit in sanguine: interdum in solido hecticam intemperiem in corporibus natura siccis, vt dictum est prius. Aliquando æqualis est à principio ad finem, quoniam impuritas perseuerans est. Aliquando decrescens, quoniam plus educitur continuo sorditiei,

Febris ab obstructione cutis.

Eiusdem transitus.

cipio ad finem, quam remaneat. Et hæc febris salubrior est.

Non potest febris spiritalis esse in sanguine, nisi occasionaliter.

15 Vocant Medici synochũ non putrem febrẽ hanc spiritalem: in sanguine tamen accẽdunt. At hoc fieri non potest, vt sanguis sit sedes spiritalis febris, sed occasio. Et cum est in sanguine occasio à principio, & non in spiritu, vtique humoralis dicenda est.

Quæ febres ab aere ingrediente cutim laxam.

16 Cutis etiam laxitudo è contra spiritalem solet accendere febrem, maximè autem id euenit calefactis corporibus ab æstu aut labore, cum in vẽtum crassum sese exposuerint, aut in frigidum aërem. Tunc enim vapor aëris subintrans, occupat non modò cutis meatus, vnde sudor exhalauit reliquitque apertos, sed etiam cor & cerebrum, & spiritum obnubilat grauátque. Idcirco statim febris accenditur in spiritu contra ingressi vaporis molestiam, si datur tempus & commoditas. Cùm enim vapores sunt pestilentes multíque, solent subitò perimere spiritum, non secus ac carbones modicè accensi; & fumus quicumque inclusus in aulis, & vapor ex antro Agnanæ, vt diximus in 6. lib. de pestilentia ratiocinantes.

Ex catarrho.

17 Frigus autem solet etiam catarrhum generare, repercutiendo humores exeuntes per vapores ingredientes ad interiora, sicuti diximus de catarrho loquentes. In catarrho autem febris est continua spiritalis, quando in capite & sub cute vapor infestans spiritum, est expellendus, & intemperies reformanda.

Febris à somno.

18 Fiunt etiam spiritales à nimio somno, propterea quod distributio plenè non absoluitur in somno sicut in vigilia, sed tantum concoctio. Neque excrementa satis educuntur; propterea necesse habent spiritus ad horum expulsionem accendi: vnde tumor in palpebris & in cute inest somnolentis, & calor amplè vapidus roridúsque, & pulsus magni, obtusi, rari.

Febris à vigilia.

19 Fiunt etiam à vigiliis nimiis, propterea quod spiritus multus exhalat vigilantibus, minuitúrque obiectorum ictibus, & agitationibus propriis; & humores exsiccantur, & pauci spiritus reficiuntur, cum coctionibus minus vacetur, vñde grãuitas in corpore sequitur à modico spiritu gubernato; & pulsus paruus, & vacuus, & rarus. Non enim potest implere arteriam nisi copiosus, neque valde agitari. Oculi sunt graues & facies pallida, & palpebræ humidæ non siccæ, sicut in tristibus.

Febris à labore.

20 Labor febrem excitat, non quà labor, cuius est attenuare & dissoluere spiritum, sed qua humores concitat & vapores qui spiritum lædant. Est autem pulsus laborantium paruus, ob diminu-

nutionem

nutionem & creber. Et quidem exercitium eſt conſeruatio ſpiritus per ventilationem, & excitationem ſpirituum, quemadmodum in parte 2. realis Philoſophiæ demonſtrauimus. Labor autem, qui afflictio potius eſt, ex immodica exercitatione ſpiritus eſt diminutio: proptereáque alius eſt pulſus exercentis ſe, alius laborantis, vti in quarto lib. Med. docuimus.

21 E contra ocium febrem non modò ſpiritalem facit, cum ſpiritus non euentilatur, neque purgantur humores, & ſordes infeſtantes eleuantur; ſed etiam febres facit humorales. Cum enim non purgentur, marceſcit humor, & calor augetur concluſa euaporatione: vnde enumerauimus in Philoſophia morbos omnes animi corporiſque ab ocio ſuborientes innumeros; præſertim autem qui ex putrefactione. Hic autem manifeſtum eſto, quod ocium cruditates facit, & ſordes, quorum vtrumque ſufficit ad ciendum ſpiritum ad pugnam. *Febris ab ocio.*

22 Propterea inedia quoque febres generat, ieiunium tollit. Cum enim diu à cibo abſtinent, calor qui in humoribus continebatur, eoſque in ſpiritum vertebat, & in ſoliditatem, exſiccatis humoribus radicatur in ſolido, & ad hecticam diſponit. Comitatur hos cauitas oculorum, macies corporis, & ſqualor, & pulſus tenuis, vacuus, duriuſculus, paruus. At quidem nõ videtur febris in ſpiritu accendi ob inediam, cum nulla res ſpiritum infeſtet; ſed ſpiritus alimento indigens ira fertur in quidquid obuium eſt, proptereáque accenditur, vt poſſit vel ſoliditatem ipſam in ſui nutrimentum inuertere. Sic obſeſſa ciuitas cothurnos & coria calceorum, & clypeorum, & cortices arborum ſæpe comedit. Quidquid enim foris agimus, intus à ſpiritu prius factum eſt. *Febris ex inedia.* *Adnotatio.*

23 Cruditas autem ebrietaſque & ingluuies ciborum ſpiritales febres gignere, propterea quòd vapores è crudis cibis eleuati ſpiritum afficiunt; adeóque interdum grauant, vt occidant, ſicuti de ebriis pridem ſcribebamus. Sed hæ febres facilè in putridas tranſeunt, cum fœdantur humores: & accenſionem poſtulant vt corrigantur. *Febris ex cruditate & ebrietate.*

24 Accidit & Hippocrati febris ex inguinum inflammatione ſimiliter ſpiritalis: quæ pulſus habet maximos, veloces, calidos, vapidos, æquales: faciem rubicundam, tumidam; calorem in corpore multum vſque ad ſtatum febris; poſt ſtatum verò mitiorem humidumque; vrinam ſubalbidam, à naturali parum diſcrepantem. Ex qua deſcriptione Medicis probata, manifeſtè agnoſcimus *Febris ſpiritus ab inguine.*

Febres diarias etiam topicas fieri, cur.

mus nil læso corde febres fieri. Etenim fatetur Gal. *de diff. feb. lib.* 1. in hac ephemera ex inguine nil lædi cor: attamen ne videatur propriæ positionis oblitus, addit, quod calor inguinis vsque ad cor defertur, non autem vapor putridus, qui ex putrescentibus in inguine humoribus exhalat; quemadmodum fit vbi putrescit in aliis vasis, membrisque, febres humorales generat. Sed hæc ratio fuga est, gratisque adducta. Manifestum est enim sola cogitatione, quæ cordi cõmunis nullo pacto videtur Galeno, fieri febrẽ patiente spiritu, & passionem mox amoliente. Præterea ex bubonibus & exanthematis & tumoribus quibuscumque videmus febrem spiritalem fieri, eo quod spiritus infestatur ab humorum vapore, vel coit ad pugnandum totus contra morbum partis.

25 Ex his similiter ediscimus, febres diarias fieri non modo vniuersales, sed etiam topicas. Si quis in parte corporis dolente vel propter abscessum aliquem & tumorem, vel propter luxationem aut contusionem, aut vulnus, tetigerit, manifestè in illa febrem agnoscet, id est caloris augmentum & pulsationem in iuxta positis venis arteriisque: & tunc sanè potius ad solidum spectat febris, quam ad spiritum, excepto eo, qui dolente in parte implantatus est.

Curatio febrium spiritalium.

Artic. II.

Cur febris spiritalis iuuanda, non extinguenda.

1 Spiritalem febrem curare minimè oportet, cum ipsa sit curatio potius medicinaque morbi. Curationis autem & medicinæ non est curatio medicinaque, sed adiuuatio, sicut in bello, cuius finis est victoria, non pax: non enim inter morbum & naturam pax vlla valet, prodestve, nec iram sedat vtiliter, nisi victoria.

2 Oportet ergo in omni febre primo spiritum feruentem, & pugnantem iuuare, vt vincat, non autem à pugna reuocare, neque pugnam extinguere: qui enim pugnam auferunt, succumbendi causam & occasionem præbent pugnanti, & necem, seu morbi seu belli prolongationem. Vnde in æstate calidisque in locis febres & morbi breuiores sunt, spiritu per calorem externum adiuto: quare qui refrigerant aëre vel aqua frigidis febrientem, non Medici, sed carnifices sunt, vel proditores. Similiter qui cibum offerunt in febris principio, vel augmento, efficiunt,

ciunt enim, vt abiecto gladio clypeóque miles ad epulum currat, relicta hosti victoria. Qui etiam ſanguinem minuunt venæ ſectione, febrem quidem ceſſare faciunt, ſpiritus enim ex parte exhalat, ex parteque ob nouum timorem omittit pugnam: ſicut qui retro inſidias intelligens, procedere vltra in hoſtem detrectat. Qua in cauſa narrauit mihi peritiſſimus obſeruator Medicus Tiberius Carneleuarius conterraneus doctiſſimus, ſeſe expertum eſſe quendam ſanguinis miſſione ſtatim febre liberatum, in ſui tamen ſubſequentem perniciem. Vnde indoctiſſimi ſunt, qui febrem tollere ſatagunt, non autem cauſam hoſtilem, in quam pugnans febrit ſpiritus.

3 Secundo ergo curabit Medicus, vt hoſtis, propter quem & in quem geritur bellum febrile, tollatur victoriaque remaneat in ſpiritu pugnante; atque ſic ceſſetpugna, & non aliter.

4 Tertſo ſataget, vt quoniam læſiones multæ fiunt in ſpiritu, & in aliis corporis partibus expugna, tollantur. Qui enim in propria domo & ciuitate bellum gerunt, accipiunt vulnera, & minuuntur viribus: item ipſorum domus & ciuitas multis affligitur damnis, tum à bello illatis, & commiſſis: tum ab omiſsis functionibus ad gubernatum pertinentibus. Nec enim agricultura exercetur, nec forum, nec gymnaſia tempore belli, nec cæteræ artes, vtiles ad vitam. *Febris per ſe remedium, & per accidens nocet.*

5 Igitur in ſpiritali febre primo ſpiritum iuuabimus calore pugnantem alio calore, vel ſaltem ne proprium amittat curabimus; ergo tegemus, non nudabimus febricitantem, nec in frigido aëre, aut aqua detinebimus.

6 Secundo adhibebimus ea, quæ morbo contrariantur, id eſt hoſtili cauſæ prouocanti ad pugnam, non autem quæ aut ſpiritui, aut feruori. Igitur in paſsionibus animi cauſantibus febrem contrarias paſsiones inducemus: & ſi febris fuerit ex triſtitia & timore, per lætitias lætaſque res, & confidentiam, & ſecuritatem inducentes, proſternemus triſtitiam timorémque. Si ex cogitationibus & anxietatibus, per quietem & ea quæ à cogitationibus diſtrahunt animum, vt per Muſicam, vinum & fabuloſas narrationes, & pulchras res. Si ex deſperatione, ſpem inducemus: ſi ex nimia lætitia, per res ſerias & contemplationi ſpiritum colligentes. Idem dicito de cæteris primalitatum affectibus. *Cur febris ſpiritalis ex paſſionibus animi.*

7 Cum vero ex paſsionibus corporeis incipit morbifica cauſa,

Cura febris ex corporalibus. eas profligabimus: nam vigilias ſomniferis, ſomnum vigiliis: crapulam inedia; famem cibo facilè in cibati ſubſtantiam tranſeunte, etiam curabimus. Neque enim ſic diſtrahimus ſpiritum à pugna hic, ſicuti in aliis occaſionibus: ſed hoſtem in quem pugnat, vel qui pugnatores alios ſuſcitauit, extinguimus. Similiter in febri ab obſtructione ea, quæ cutim laxant aperiuntque accommodabimus. In luxationibus curabimus prius, vt quæ ingreſſæ ſunt cauſæ mali, regrediantur foras, aut extinguantur: & cutis pluſculum conſtipetur; id quod oleum myrtinum præſtat. Cùm febriunt ex bubone, & inguinum tumore, aliarumve partium, harum ſalutem curabimus prius per ſuppurationes, & puris expreſſiones, aut per reſolutionem oleis calidis factam; & ſi inflammatio vrget, ſectione etiam venæ vtemur ſecundum artem. Eſt etiam vbi & purgatione eſt opus.

8 Quæ autem mala inuehuntur ex pugna, tentabimus abolere. Primum quidem malum eſt ſpiritus diminutio. Augebimus ergo illum in declinatione febris cibo facile conuertibili in lucidos, multos & fortes ſpiritus; quales fiunt à vino, & odoribus carnium optimarum: & coctu facili cibo optimum ſuccum præbente. Et quoniam ſecundo pars ſolida affligitur ex caloris accenſione, balneis vtendum dulcibus, vt calor in aquam ex ſoliditate tranſeat, ne hecticæ initium ibi det; ac ſimul ſordes emungantur, & pori aperiantur ad egreſſum. Propterea que his qui ex obſtructione febriunt, ſunt magis neceſſaria. Ex laſſitudine vero & fame, balneum vini prodeſt magis, eiuſque potio, vt in triſtibus dicebamus. At in iracundis Medici vinum non concedunt: & quidem rectè ſi intemperiem reſpiciunt ſubſequentem in ſolido & humido; & feruorem ſpiritus plus iuſto accenſi: non autem ſi febrem ſic tollere velint. Victus etiam humidus febricitantibus conuenit, vt quoniam ſiceſcunt temperentur: & quia facile conuertitur in ſubſtantiam nutriti abſque ſpiritus labore & impedimento. Frigidum tamen non admitto, quidquid dicant Medici, niſi vt reliquias caloris poſt febrem emendet. Quapropter non rectè ſentiunt, qui frigidum & humidum contra febrem dant: ſic enim vtilior eſſet nix: ſed qui contra damna, ex febre per accidens illata, bene ſe habent.

9 Præterea ne in putridam degeneret febris ſpiritalis, eſt curandum, purgando ſanguinem, reficiendoque meliorem, vtuntur Medici venæ ſectione, clyſteribus & pharmaco ſanguinis

mundi

mundificatiuo. Cibi etiam id ipſum reſpiciant. Dentur autem ſubſtantia minus calidi aduerſus inflammationem ex obſtructione ortam; non autem ſi ex ſpiritus accenſione accendatur ad purificationem ſanguinis.

10 Si autem ſanguis putruerit curabitur, vt putrida febris cauſa. Cognoſcitur autem hoc, vbi poſt ſpiritalem febrem ſuccedit rigor & horror, & ea ſymptomata, quæ in ephemera non ſunt; comitantur autem humoris vitia, ſicuti dictum eſt prius. Non enim rigent, horrentque, niſi mordax humor vaſa, & ſoliditatem per quam tranſit, rodat, pungat, mordicétque; vel plurimi fumi fuliginoſi, ſicut lignorum viridium fumus oculos ſtimulat, ſpiritum infeſtent.

De continua febre in ſoliditatem inuecta; & de hectica, & tabida, earumque differentiis, & diuiſionibus, & cauſis, & rationibus, ſecundum Medicorum dogma, & noſtrum.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 AVgmentum caloris & ſiccitatis in ſoliditate animalis, febris hectica non eſt, quemadmodum quibuſdam videtur: multi enim ad Solem incaleſcunt & exſiccantur, nec febriunt.

Exſiccatio & calefactio ſole non ſunt hectica.

2 At ſi calor & ſiccitas extra ſymmetriam naturalem abeunt, perſiſtuntque hac in diſſimilitudine, viſceribus & ſpiritibus non congrua, fortaſſe eſt hectica febris: quoniam videtur Medicis eſſe calor præter naturam in ſolida parte habituatus, præſertim in corde, quod cætera imitantur; vnde hecticas non per ſe oriri ſcribunt, ſed reliquias eſſe inflammationis, aut diariæ febris, aut ex ingentibus paſſionibus ortum ducere in iis modo, qui calido ſunt ſiccoque temperamento, cholericique: & in æſtate, & iuuentute; vigiliis, & inediis, & curis magnis, & ſicciori victu degentes, in regione calida. Hos enim ex ira, aut triſtitia, aut vigilia, cæteriſque cauſis diariarum facile contingit hecticos fieri. Eædem enim ferè cauſæ modicæ faciunt diariam; immodicæ, hecticam: aut potius in corpore humido diariam, in ſicco hecticam; quæ tamen diariam conſequatur eſt opus: prius enim ſpiritus accenduntur, quam ſoliditas.

Hecticam videri reliquias præcedentium inflammationum.

Galeni signa hecticæ.

3 Hinc Gal. *in lib. 1. de diff. febr. c. 9.* agnitionem hecticæ docens, ait: Quod si quis correptus fuerit febre, quam perspicuæ externæ causæ præcessere; si enim in sequenti die eodem tenore febricitat, absque augmento & decremento caloris & pulsus, aucta tamen siccitate in corpore: tunc suspicandum est ipsum hectica teneri. Si autem tertio die dubitans de tertiana accessione vsque ad tempus accessionis ieiunus permanserit, nec noua accessio aderit, nec diminutio insignis, sed tantummodo reliquiæ primæ febris permaneant cum caliditate, & ariditate corporis, quæ primo tactu mitis sentiatur, processu vero acris, mordax & sicca; huiusmodi febrem hecticam esse existimandum. Et cum post assumptum cibum deinde incalescere corpus, & pulsus fieri magnos & veloces inuenies, tunc proculdubio hectica pronunciabitur. Non enim noua est accessio, sed caloris, & spiritus auctio ab assumpto cibo; quod omnibus etiam sanis accidit, hecticis tamen notabilius, quoniam tenui, paruo, debili, & duro sunt pulsu: & occultato calore in sicco: qui tamen sicut calx aqua conspersa, statim accenditur manifestius, distributo autem cibo ad proprium febris recurrit tenorem, neque febrire ægri sese sentiunt.

Conclusio. De tabida & eius signa.

4 Ergo principium hecticæ est, cum desinere habet diaria. Confirmatio hecticæ est in tertio die, cum tenor seruatur anterior, siccitasque augetur. Ex febri autem hectica suboritur tabida; qua corpus solidum colliquatur: cuius signum est pulsus debilis & durus: qui in hectica paruus tantummodo erat, & frequens. Item vrina oleaginosa & excrementa fœtentia morticinum: oculi concaui, collapsa tempora, flos coloris extinctus.

Nostra sententia de hectica.

5 Nobis autem visum est à principio febrem hecticam non esse vllam, nisi vbi soliditas sorditie, aliáve intemperiem causante re, vexatur. Tunc enim accenditur spiritus contra causam vexantem & fœdantem temperamentum solidum, ac proinde in solido accendit calorem nouum: & quia non potest agitatione simul pugnare, quoniam non est intra vasa, neque in medio homogenearum partium vexatio, sed intra solidas partes, ad quas non pertingit motio spiritus: propterea febris hectica non soluitur, nec intermittit, sed calor ille durat, temperiémque demolitur, dum pro ipsa pugnat intra ipsam. Manifestum est autem hoc in topica febri hectica cuiuscumque membri, quæ eadem perdurat

Intemperies hectica non est febris vt putant, sed pugna debi-

durat vſque ad ſuppurationem, aut doloris ſedationem, vel luxationis reformationem. Solus ergo calor additus non facit febrem in ſolido, ſed intemperiem modò. In hoc ergo Medicis conſentire non poſſum, quod opinantur intemperiem illam eſſe febrem, quæ in ſolo caloris & ſiccitatis exceſſu eſt:& non in ſpiritu ſponte efferueſcente contra noxias res. *lis ſpiritus contra illam intemperiem.*

6 Puto ergo dari intemperiem in exceſſu humidi, quam vocant cachecticam: & in exceſſu frigidi, quæ eſt propè interitus, aut frigidus maraſmus Medicorum: & in caliditate, quæ eſt inflammatio, abſque alia cauſa præter exceſſum caloris: & in ſiccitatis exceſſu, quæ ſenium eſt. Cum autem ſiccitas calida excedit, hecticus eſt habitus; non autem febris, niſi ſpiritus in ipſam inuehatur; quod tamen non facit, niſi vbi ſiccitas meatus obſtruit tranſpirationibus,& vaſa reddit inepta inobedientiáque functionibus ſpiritus:quas incommoditates vt amoliatur ſpiritus accenditur, & tunc modò eſt non intemperies ſola, ſed febris hectica; quoniam accenſionem ſui in ſoliditatem ſpiritus,primò intorquet,non in ſe retinet,nec in humores intendit. Differt ergo hecticus habitus ab hectica febre, quemadmodum dictum eſt.

7 Manifeſtum eſt etiam, quoniam non modo febres diariæ & inflammationes ſimplices & putridæ cauſant hecticum poſt ſe habitum: vnde ſcimus non eſſe febrim; ſed etiam vlcera pulmonis,& ventriculi,& iecoris,& aliarum partium principum, & ingentes euacuationes idem præſtant: ſed alio modo. Euacuationes enim immodicæ hecticum faciunt habitum calore in ſolidas partes graſſante, poſtquam humores exierunt. Vlcera verò viſcerum impediunt functiones ſpiritus, ac proinde nutritionis munia. Ergo nec perficitur alimentum, nec excrementa ſequeſtrantur, nec tranſpirationes abſoluuntur. Ergo remanent ſpiritui incommoditates:& ſic accingitur pugnæ,quam in ſoliditatem impurificatam exercet. Pulmonis autem vitium idem præ cunctis magis præſtat, non quia accendit cor vicinum, vti Medici opinantur: ſed quia non ventilat, nec auget calorem cordis,neque irrigat aëre corpus, ex quo ſpiritus ſimulque ex ſanguine regeneratur: nec purificat arterialem ſanguinem, nec educit vti prius ad nutritionem abſoluendam,viuificando ſui miſtione venalem ſanguinem. Ergo ſordibus replentur pori & vaſa, & deficit in corde caloris abundantia,qui ſpiritus creat, & arterias viui- *Cauſa hectici habitus præter febrē multa & qua ratione.* *Vnde tabes communis.*

ficat,& per eas venalem sanguinem; & transpirationes celebrat; propterea sequitur pulsus debilis, & paruus. Puritiess autem accidit defectu caloris, & siccitatis augmento. Mox calor occlusus, sordibus augetur, & in compositionem grassatur, cum quod prius facere solebat vsque ad transpirationem, non potest; proptereáque colliquat partes solidas, non secùs atque calor marcescentis corticis arantij in vmbra, in corticem grassatur, ipsum laxando, liquefaciendóque; & qui in cadauere relinquitur intra fossam, similiter facit.

Duplex marcor. 8 Diximus etiam in superioribus libris errare eos, qui putant marcorem vnius generis esse, idest, per exsiccationem, quod facit calor magnus in senibus, & in rebus ad Solem exsiccatis: Cum sit alius marcor, qui fit per colliquationem à calore blando aucto, in proprium agente subiectum, cum non possit exhalare; laxantéque propriam molem: quod experimur in carne, dum fracescit in vmbra; sicuti priorem in carne, dum assatur in igne. Sal autem impedit marcorem caloris blandi, educendo foras sui acumine aculeos caloris laxantis suum subiectum; & vi constrictiua partes carnis solidas indurando, ne laxentur, liquescantque. Vide Phys.& lib.3.6.

De tabe topica. 9 Cum autem in aliis membris fiunt vlcera & damna, tabes non exoritur, quoniam nutritio non peruertitur omnium partium, sed illorum modo; vnde videmus marcescere crus, & manum absque hectica, vel tabe communi. Interdum verò qui fistula in partibus quibusdam infestantur, solent in tabem virtualem ex topica transire, cæteris partibus vicinis paulatim per sympathiam ad consortium mali conuersis: & per illas aliis, vsquequo principes partes affectæ sunt in causa, vt totum corpus fœdetur sordibus, & emacietur. Non ergo necessarium est, vt cor prius tabescat, sicuti putat Galenus; sed vndecumque tabes incipit, si deueniat ad membrum nutritioni necessarium, id efficiet. Sed si cor tabescat, eò deterius: ipsum enim officina est spirituum, & arterialis sanguinis, quo nutritio absoluitur. Miror etiam quomodo tabem à pulmonis affectu Galenus concedat, non autem hecticam. Propterea quod humidus est, sicut ait *in lib. de marasmo*: cum manifestum sit spiratione omissa calorem non ventilari, & hecticam fieri in soliditate: tabes etiam hecticam sequatur.

10 Præterea ipsemet Galenus *in eodem lib. de marasf.* admonet

tabem

tabem nō esse febrem tabificam, sed senium ex morbo, propterea quod cor non incalescit, sed refrigescit in tabidis: quod etiam pulsus rarus & paruus, & spiratio rara simul & parua, & qui expiratur aër non calidus, sed potius frigidus confirmant. Sed hæc ratio probat etiam nullam esse hecticam febrim: etenim in cunctis tales sunt pulsus, qui languori conueniunt, non qui pugnanti spiritui. Similiter etiam spirationes, & expiratus aër. Vnde confirmatur sententia nostra, quod non datur hectica febris, sed hecticus habitus, in quem inuectus spiritus facit febrim non motione, sed sola accensione, nisi in arteriis, vbi vtrumque præstat; ægrè tamen, quoniam imminutus est valde: haud tamen cessat, dum viuit sentitque malum, non repugnare malo, quibus potest etiam tantillis viribus, & cum augetur auctis, vti post cibum: & propterea aliquo modo febris admiscetur, sed reuerà non dicenda febris ea ratione, qua Medicis videtur.

Gal. tabes ñ est febris. ergo nec hecticus habitus.

11 Triplicem hecticam statuit Galenus. Primam cum efferuescit humor inter partium similarium spatia inexistens, tendens ad siccitatem. Secundam cum caliditas & siccitas in corde inualuerit, humidumque magna ex parte consumptum est à calore accenso, sicuti flamma in ellychnio lucernæ. Tertiam cum consumptum est humidum soliditatis, & quasi ellychnium exustum: & hanc vocat tabidam & marasmodem; nec posse sanari putat, sicuti nec senium. Nam quamuis exusto ellychnio superinfundas oleum; quia enim perdidit soliditatem, & prope cinis factum est, non potest in eo durabilis flamma vitalis persistere. Marasmum autem duplicem esse putat, alterum siccum frigidumque; proprium senum, & eorum qui morbum similem senio patiuntur; alterum siccum calidumque tabescentium hecticorum proprium, qui inflammationes consequitur, & syncopen aliquando, & quando absumitur humidum, quo partes nutriuntur & molliores carnes exsiccantur, curatur: quando etiam solidarum fit exsiccatio, quæ primæ & similares sunt, nequaquam curatur, vti ait in lib. de marasmo.

In primo de diff feb. 9.

Galeni sententia de triplici hectica, & duplici marasmo.

12 Nos etiam *in physiol. p. 2.* diximus, primam hecticam esse, cum humidum nutrimentale consumitur, sicuti in lucerna totum oleum. Secundam, cum humidum imbibitum partibus nutriendis, sicuti in lucerna quod imbibitum est oleum ellychnio, consumitur. Tertiam cum etiam humidum, proprium partium & gluten continuitatis earum perit, & fit post exsiccationem

Nostra sententia in moralibus cap. de exercitio.

tionem exustio: & sanè incurabilem pronunciauimus, sicuti cum ellychnij substantia vritur ad incinerationem, postquam quod traxerat oleum, exsiccatum est.

Correctio propria sententia.

13 Verum enim verò non omnia hæc rectè se habent ad philosophiam. Non enim colliquatio, quam in tabidis experimur, fit ab exsiccante vrenteque calore: qui humiditatem consumit, & in aërem per transpirationem educit attenuatam, vnde relictæ partes arescunt humidis priuatæ, quod in senio accidit, prout *in lib.2. & in phys.* declarauimus: sed colliquatio fit à calore subiectæ carnis & soliditatis concluso, ac per se aucto, dum exhalare nequit. Si enim fieret ex tabidis exhalatio, non esset ipsorum cutis densa, constipata, arida. Manifestum est hoc in cadaueribus & carnibus in vmbra positis, quæ tabescunt colliquatione facta à calore natiuo in proprium subiectum sese augente: non tamen ita, vt possit vapores educere tenues, sed solum laxare ac liquare. Neque enim tabidorum excrementa olerent morticinum, si arefaciens calor in hecticis esset tabidis, & non colliquans. Colliquare autem non potest calor validus robustusque: is enim assat dissimilaria, & attenuat, forasque ad peripheriam educit: blandus vero colliquat, & trahit ad centrum: vnde tabidi patiuntur prope mortem defluuium capillorum, & alui fœtidos fluxus. Propterea quod non educit foras ad pilorum nutritionem amplius calor humorem fuliginosum, sed colliquat, trahitque introrsum, vnde sequitur alui fluxio fœtida.

Calor immanens occultus, non calor exhalans manifestus facit tabem.

Quis calor blandus, & quando fouet corpus & quis, & quando colliquat, & tabefacit.

Medici autem in hoc falluntur, quod putant calorem blandum fouere animatum corpus, non liquare; quod verum est de calore viuido potente excrementa educere, & transpirare; non autem de cadaueroso munia eiusmodi facere non potente, propterea quod vel cutis est valde constipata, vel pulmo non insufflat quantum opus est ad eius generationem & viuificationem; vel cor & iecur non conficiunt nutritioni aptum sanguinem. Proptereaque ergo calor à suis muniis impeditus agit in subiectum proprium, ipsum paulatim non exsiccando, vt fit in senio; sed liquando, vti fit in cadauere. Igitur sicuti calor ellychnij, non quia deficit oleum, sed quia via perducendi & trahendi oleum ad flammulas est impedita, colliquaret ellychnium, non autem in cinerem verteret, si tamen esset inclusus vnde elabi non posset; sic operatur calor intemperatus, & natiuus in hectica marasmode.

14 Gale

14 Galenus quidem negat similitudinem caloris lucernæ & natiui contra antiquos Medicos & Philosophos, docens in hoc esse dissimilitudinem, quoniam calor lucernæ propriam materiam pascitur, non auget, nec fouet: calor autem animalis auget, fouet, nutrit, seruátque; proptereáque senium non à natiuo calore fieri putat, sed ab extraneo; & sequi ad naturales operationes. Natura enim sapiens à principio vtitur humido aquæ, & calido, siccóque ignis, vt possit quomodo libet formare organa vitæ ad quamlibet partem flectendo. Deinde verò quia oportet quædam organa tandem esse sicca, vt edant suam functionem, vtitur siccitate terræ: & ideo continuo siccescere organa, & hoc tandem esse marasmum senij: nec posse vitari, quia non potest natura non vti sicco, etiam plusquam oportet. Sic etiam cum fit torridus marasmus à calore febrili. Putat ergo nil esse marasmum, nisi siccitatem. *An Galenus recte exemplum lucernæ neget.*

15 Sed fallitur in multis, nisi ego fallor; Primo quoniam marasmus non fit sola exsiccatione, quæ remanet post euaporationem humidi, vt in senio, & in carne assata: sed etiam colliquatione, vt in phthisicis & in cadauere, licet ad colliquationem tandem vbi mors fit, post mortem sequatur exsiccatio aucto calore amplius. Secundo quoniam putat calorem natiuum, quà calor est, subiectum nutrire, cum tamen hoc faciat qua moderatus est inclusúsque in mole, qua contemperatur & fit vnum. Sicut enim calor lucernæ inflammatæ ellychnio nutrit suum subiectum, id est flámulam, qua cum sursum attollitur, funiculum vero lucernæ vrit & oleum consumit: sic etiam calor natiuus carnis, & iecoris, & aliorum viscerum, nutrit carnem, iecur & quilibet suum viscus; consumit vero nutrimentum, quod comparatur oleo. Et hoc Galenus non considerauit. Præterea calor lucernæ est in aperto & patens, ideoque exhalat cum suis tenuitatibus: & idem facit calor animalis spirituum, ne dum solidarum partium; continuo enim pro sua rata exhalat & remanet. Vterque etiam dum educit tenuitates sursum aliquo pacto, etiam solidum subiectum indurat. Sed in lucerna cito, quoniam commoditas exhalandi adest, & robur comburendi; in carne vero animata paulatim, quoniam minor est exhalandi cōmoditas, & robur vrendi minus. At si nutritionem flammæ non posset perficere calor lucernæ, quoniam vi atrahendi oleum deest, aut qui oleum infundat non adest, funiculum quidem vrit, *Reprobatio.*

quoniam illi poſſibilis eſt vſtio in aperto, & propter ſuum robur: in animali vero non vrit, ſed colliquat ſolidum, quod nutrire nequit, quoniam incluſus eſt, & minus roboris habet. Sic etiam oſtendimus *in Phyſic.* calorem in viſceribus terræ non vrere, nec exſiccare, ſed liquefacere exſiccata, etiam miſcendo quam creat tenuitatem attenuandis adhuc partibus, & per eam omnes ſimul ad liquefactionem diſponendo, & deducendo: & hanc diſſimilitudinem Galenus debebat attendere, & non priorem, quam & minus rectè examinauit. Calor enim natiuus, licet acquiſito in formatione corporis appetitu conſeruet ſubiectum, innato tamen inceſsāter ad cognata euolare cœleſtia cupit corpora; ſicuti *in Metaphyſ.* oſtendimus: & *in Phyſ. quæſt.* contra Latinum Medicorum. Hoc autem fuit ignotum ante doctrinam de Primalitatibus; propterea Galenus minus culpabilis videtur. Maraſmus ergo ſenij à calore aucto exſiccantéque fit, tabidorum verò à reliquiis caloris aucti in proprio ſubiecto, laxantis temperiem ac liquantis, vti ſæpius dictum eſt.

Lat. Tancredum in lib. de fame & ſiti.

Correctio propria ſententia prioris.

16 Quapropter haud propterea tabes fit, quòd exſiccatur primo alimentum, deinde ros, deinde innata partium humiditas, ſicuti prius dicebamus, ex parte Medicis adhærentes: & ſic triplicem febrem hecticam facientes; quamuis tabem nunquam ſimiliter illis celebrauimus, ſed per putrefactionem liquantem, non per exſiccantem: verum tabes fit, quia nutritionis ratio celebrari nō poteſt, & exinde fit cibus ex carne colliquata, & non ex cibo caro. Hectica autem fit ob calorem incluſum in ſolido, ita vt non poſſit tranſpirare, nec ventilari: & cum ex hoc ſequitur nutritionis impeditio aliqua ex cauſa; ſequitur tabes. Vnde omnia corpora ſic emaciata tabeſcunt: non autem quia exſiccantur, aut calefiunt, aut non comedunt. Heremitæ enim parciſſimi in exſiccationem & extenuationem multam deueniunt, non autem in hecticam & tabem. Similiter pauperes exercitati laboribus, & inedia, & remigio; in hecticam & phthiſim non incidunt. Ergo non exſiccatio, neque calor facit tabidos: nec etiam hecticam (nunc addo) niſi prohibita tranſpiratione: ſicut tabem prohibita nutritione. Manifeſtum eſt enim, quod quocumque viſcere nutritioni deſtinato patiente ſequitur hectica & tabes, non autem ex inflammatione, & inedia, & exercitio, niſi præfatas paſſiones ſimul adducant. Syncope verò hecticam adducit, quoniam fit ſpiritu ad interiora fugiente minutóque, vnde impeditur

Vera ratio tabis & hectica.

Hectica prohibita tranſpiratione, tabes prohibita nutritione.

tur ad exteriora effluxus transpirationum, & distributio nutritionis.

17 Senium autem calore exhalante fit multo paulatim, relicto modico, qui nutritionem celebrare non potest, quamuis humidos illi suggeras cibos, propter eius paruitatem & soliditatis duritiē, præsertim iecoris & viscerum: Ergo nō est senium tabes colliquans, sed exsiccatio potius, quàm tabes, & copiæ caloris imminutio potius quā roboris, nisi in fine, in quo & robur labascit. Et propterea Galeno visus est marasmus frigidus. Quem autem vocauit torridum, non satis rectè vocauit; torrefactio non facit marasmum, sed relictus ex torrefactione calor in sicco, quod laxat auctus, liquatque non vrit, vti putat Galenus. Quæ autem de terra qua vtitur natura in adultis, non autem in infantibus, dixit, indigent examine stricto. Neque enim inerat terra prius, & natura non vtebatur ipsa, nec si postea aduenit natiua est, prius autem infuisse non videtur tanta, quanta in sene. Si aucta est à cibo, non est natiua. Et cur natura, quæ Galeno non est aliud, nisi calor innatus, vt ibidem & alibi docet; si prudens fuit ab initio, vt non vteretur terra, sed aqua & igne, postea cum terram in vsum accersit, vtitur plus quam decet? & vnde hæc sapientia in stupidis elementis & elementatis? Si ab anima mundi, vt Gal. *in lib. 17. de vsu part. & de format. fœtus*, admonet: tamen mirum quoniam eadem anima abutitur sicco terreo ad senium & interitum. Sed quia conditorem rerum, & executores Angelos non agnouit, & rationes primalitatum, loquitur frustra in multis, sed non æquè frustra atque in Peripato fit.

Quid seniū.

Confutatio Galen. de senio.

De curatione hectici habitus, & hecticæ febris, & tabidæ.

Artic. II.

1 QVi in simplicem habitum hecticum inciderint post ardentes febres atque inflammationes, & ephemeras, veluti solet, quoniam humiditas in his absumpta ex parte est, etiam in soliditate roscida, & cutis exsiccatione pori contracti obstructique sunt, & calor in solido accensus est; tribus indigent remediis contra tres iam dictas malas affectiones.

Quis aer cura habitus hectici conueniat.

2 Aër in quo curantur, sit frigidus & humidus, temperatè quidem, ne frigus obstruat adhuc poros; sed solùm ne ambientis calor iuuet eum, qui in solido est accensus. Fugiat æger siccum

& frigidum,magis autem ſiccum, id eſt tenuiſſimum & calidum aërem ciuitatis, & occluſum ſuffocatúmque,& vaporibus inſuauibus conſperſum,& fœtidis & craſſis,omninò fugiat. Viuere ruri intra herbas humidas benè olentes,& virides plantas,& in pratis ſub dio potiùs quàm ſub tecto,ſuaui exercitio, ſaluberrimum eſſe agnoui. Ita vt quidam Fratres hectici è monaſterio rus ſemoti,facile ſanati ſint:nil enim magis iuuat, quam ſpiratus aër,& per arterias & poros tractus, ſi ſalubris eſt: quemadmodum inſalubris nocentiſſimus.

Quis victus. 3 Victus etiam ſit frigidus & humidus, non quidem artificiata frigiditate ex niue. Solet enim natiuum extinguere calorem, & poros obſtruere, & viſcoſitates ingenerare. Proſunt ergo cucurbitæ,melones,ceraſa,non nimis acida, lactuca,malua,intuba,alica,ptiſanæ cremor. Oportet enim victum eſſe tenuis ſubſtantiæ, qui citò tranſmutetur,& in ſoliditates ingeratur;& temperet calorem ſimul & ſiccitatem,& elabentes partes inſtauret. Propterea carnes erunt porcellorum iuuenum, caponum, ficedularum, vitulorum,pullorum,& anſerculorum,ad alicuius fluuij ripas nutritorum.Præterea caſeus recens abſque ſale, recotium,lac,præſertim muliebre; quoniam natiuum humidum facile inſtaurat, quod febris conſumpſerat,cum ſit ſemini humano,& primo principio perſimile,ac primum nutrimentum. Poſt lac muliebre valet aſininum, quoniam minus viſcoſum eſt, ac facilè diſtribuitur,& humiditate plenum; lac etiam capræ aliquibus non negatur; Verum nutrienda eſt mulier,& aſina,& capra herbis iiſdem, hoc eſt lactuca, intubo, & aliis frigidis& recentibus. Mulier autem carne hœdina,anſerina,vitulina, aliiſque iam dictis. Abſtinendum eſt à carnibus ſeneſcentium animalium,& craſſis,quales boum, leporum,aquilarum, paſſerum,aprorum,aliiſque ſiccis & calidis. Vnde & columbas ob calorem vitare oportet. Carnes lactentium pullorum probæ ſunt,præſertim hœdorum & vitulorum. Item oua recentia ſorbilia calore gallinarum & non igneo, calida.

Pharmaca. 4 Medicamenta purgantia non dabis ægroto, ne exſiccent & calefaciant. Aluum tamen clyſteribus lenitiuis fluidam facies, quando oportet; ex butyro, lacte, malua, violis, caſsia,manna,& huiuſmodi.

Syrupi. 5 Dantur etiam ſyrupi ex nymphæa; violis, intubis, aliiſque humectantes & minuentes calorem. Dantur & iuſcula ex capo-

ne consumpto secundùm artem, cui sarza parilla sit admista ad impinguandum. Qui enim pinguescunt, ab hectica salui fiunt.

6 Potus autem erit non vinum, sed lac modico vino admistum, vt tueatur stomachum, & colliquationes prohibeat: vinum autem sit album, minúsque robustum, sed odoratum, spirituosúmque, vel contentus esto frigida aqua. Dant quidem Medici frigidam, propterea quod Galenus aliquando docet hecticam succedere cæteris febribus, quando non est data frigida sicuti debebat, vt dicitur *in* 10.*met*. Verum *in lib. de marasmo*, nocere frigidam dixit hectico, quoniam vires concidunt; & membrum, vnde febris incepit, potest refrigerari, quod noxiale est. Nos autem frigidam pro medicamento adhibebimus, vbi nullum est affectum membrum, & putrida febris non admiscetur, nec vires sunt languidæ. In cæteris abstinebimus. Lac enim ritè propinatum ex vberibus, vel simul ac ex vberibus exit, optimum est ad refrigerandum. Ego etiam cum semel in hecticam dispositionem transirem, edendo ficus recẽtes plurimas ex ficulnea, quam ipsemet scandebam, & frigidam simul singulis diebus mane potando, liberatus sum. Addebam & à prãdio ducentas ferè amygdalas, ex eodem viridario meis collectas manibus, recentissimas; & aquam, & optimè mihi cessit. Non laudo tamen ficus siccas, neque absque aqua, ob caloris earum tenuitatem, sed ob humiditatem pinguem. Amygdalæ etiam veteres, & pineæ, & pistacia nocent, ob oleaginosam faciléque accendibilem substantiam: sed recentes ex arbore excerptæ, adhuc quasi aquosæ, vtilissimæ sunt.

Potus.

Historia 1.

7 Alias cum in intemperiem diram incidissem soliditatis totius, quæ mihi videbatur, quasi lignum accensum in me ardere, & vrina liquationibus plena erat; & mihi videbar accensus omnino, & propterea etiam fame quadam dira premebar: dempto laneo stramine, quo quasi vri magis mihi videbar, vtebar stramine palearum, & lac in cibo assumebam, & in potu cum vino, & piscibus reficiebar, & humidis carnibus; & iecur lacte acido perfundebam quotidie bis, & stillante desuper aqua; sumebam etiam lac diluculo subacidum. Et sic post mensem sedari fames, & macies, & calor cœpit, & sanitatem validam acquisiui, sæpe etiam frigida totum lauabam corpus, caloris nimij impatiens, & spe salutis.

Historia 2.

8 Propterea etiam hecticis, quod Galenus conſuluit de balneis, experientia & ratione ductus, plurimum laudo. Balnea autem ſint ex aqua dulci tepida, vt aperiat poros calori hectico, & ad ſe alliciat, ſicuti aqua caldarij calorem ex fundo caldarij: & in calcem iniecta, calorem calcis ad ſe accerſit, libentius in humido, quam in ſicco habitantem, ſicut *in Phyſ.* dictum eſt. Poſſunt etiam in balneis poni ſalicum ſarmenta, roſæ, nymphæa, violæ, malua, & omnia frigida, humidáque benè olentia. Balneum ex lacte & butyro plurimum prodeſt, vt penetret introrſum, & calorem temperet & ſiccitatem, & foras itidem alliciat. Valent quidem balnea ſemper in omni ſicca intemperie: ſed tribus aut duabus horis ante cibum manè & veſperi. Laudat Galenus poſt balneationem, ſi æger frigida lauetur, alioquin, ait, nil prodeſt balneum. Cauſam non reddunt Medici. Sed hoc iuuat, vt per apertos poros frigus intret ad interemptionem caloris, & humor. Item vt conſtipetur ex parte pellis detracto calore, ne iniuriis pateat, & conceptum teneat frigus. Poſt hæc æger detergendus lineis non calefactis linteis: & oleis frigidis inungendus ex violis, cucurbitis, butyro, nymphæa, papauere, medullis animalium. Deinde in lecto reponatur: ſed iecur, & cor, & omne mēbrum, vnde hectica ortum duxiſſe poteſt, inflammatum aut afflictum, epithematis ex lactuca, nymphæa, violis, lacte, intubis, ſātalis, &c. foucbis. Odorabitur & quæ odore refrigerant, vt flores violarum, nymphææ, roſarum & huiuſmodi.

De balneo hecticorum & ſimilium hecticis.

Suauiter.

Quæ vitanda hectico.

9 Cauendum eſt à pipere, ſale, & cunctis calefactiuis & exſiccatiuis. Item ab anxietatibus, & curis, & paſſionibus, ſpiritum triſtantibus & cogentibus, non autem ab exhilarantibus, & dilatantibus, de quibus *in Phyſ. & in lib. 1. Medic.*

Cura tabis ex Galeno.

10 Cum verò in hecticam tabidam quis deuenerit, vtuntur Medici cibis boni ſucci, & frequentibus, ſi fortè ſit ſpes. Dant etiam lac aſininum, & balnea, quamuis nullam ſperantes ſalutem, niſi in carnem ſolam, & non etiam in neruoſum genus tranſierit, vti Galenus, *in 10. Method.* docet.

Reprobatio.

11 Nos autem arbitramur hanc rationem medendi vanam. Non enim indiget refrigeratione tabidus, & humectatione, cum iam colliquari incipiat; ſed potius conſolidatione & conſtipatione. Qui enim carni tabeſcenti lac apponat, & humidas res frigidáſque, is eas citius tabeſcere faciet. Si verò acetum, & ſal, & vinum appoſuerit, carnis putrefactionem impediet. Galenus quidem

Repetitur ex Galeno.

dem balneo calido, deinde oleo super sindone inungit: deinde cum eadem sindone in frigidam ægrum demergit semel. Deinde calida sindone abstergit & spongiis, multáque huiusmodi ceremoniosè facit, & lacte pascit, & dictis cibis. At quidem frigidam eò iuuare arbitror, quo colliquantem calorem remoretur. Sic enim & nox frigida carnes ne putrescant, & aër, impediunt hyemales. Intus tamen lac non mihi placet, nisi acescat. Acetum enim sistendi liquefactionem habet vim: non autem solum est propinandum, ne simul pungat, vlceretque: at si lacte miscetur & cibis, non oberit: vbi tamen vlcus in pulmone, vel iecore, vel alio in loco marasmi huius non fuerit causa. Tunc enim solis stypticis contenti erimus. Inter quæ baccas myrti primum censeo tenere locum. Suo enim odore vires reparant, & sua stypticitate non calida, colliquationem carnis & neruorum impediunt. Sorba etiam matura, & mespila, & cotonea saccharo confecta, etiam dabimus: & rosarum rubrarum continuabimus sumptiones à prandio & cœna. Et vinum crassum lacte mistum dabimus in potu, & aquam cinam. Sal & piper, quanquam putredinem & liquefactionem impediant, non exhibebimus, ne acrimonia stimulent, exulcerentque liquescentes partes. Lac per se non est bonum tabidis, nisi ad glutinandum carnem, non ad humectandum; proptereaque crassum esse debet & acetosum, & myrti baccis, vel earum succo, mistum. Cichorium in cibo, & ruborum, & lentiscorum, & fraxini, cymæ, & passa vua, & quidquid stypticum est, citra acrimoniam, confert tabidis.

Correctio.

12 Obstructiones remouere conabimur; ne calor inclusus colliquet; sed exclusus consolidet.

13 Verum cum aliquod membrum originem tabi dederit, siue cor, non ventilando, nec viuificando calorem, & sanguinem in spiritum non vertendo: siue pulmo sit cordi deficiens; siue ventriculus gignens chylum minimè fibrosum, ideóque ineptum agglutinationi eius in partibus nutriendis, & cocturæ secundæ à iecore faciendæ: siue iecur sanguinem non absoluens: siue intestina & mesenterium pariter nutritioni officiendo: siue renes non expurgando sanguinem, & sorditie relicta, accensaque nutritis partibus affectis, intemperiem faciendo: siue vterus iisdem sordibus nocendo: siue septum transuersum spirationibus non rectè commodando, nam & ex septi affectu Galenus hecticā vidit; tunc necesse est Medico ad membri affecti curam animum intendere

Quot membra quomodo & quæ possunt tabis occasio esse.

intendere. Si enim ſanabitur illud, antequam tota moles corporis, præſertim neruoſa, tabeſcat, promptè etiam impedietur progreſſus mortiferæ tabis. Sin minus, contra. Propterea enim pulmonis vitium lethiferum eſt, quod ſanari ipſum non poteſt: & dum languet, tabes neceſſario vbique graſſatur: nec valent contra ipſam ſtyptica, neque refrigeratio, neque lac, niſi ad remorandam mortem, non autem ad euitandam. Cura autem præfatorum membrorum *in lib. 6.* ſuis quoque in locis tractata nobis eſt.

14 Si autem & putrida febris hecticæ complicata fuerit, ſanabitur educendo cauſam putridam pharmaco ſecundum artem propinato in ſyrupo hecticæ conferenti: vt intubi, aut bugloſſi, aut &c. Habitum hecticum conſerua continuata ex roſis rubeis Medicus haud imperitus ſola ſanauit.

De febribus humoralibus, earumque differentiis generatim.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 FEbres in humoribus à ſpiritu accenſæ, aliæ continuæ ſunt, aliæ intermittentes, aliæ mediæ, quas remittentes vocabimus.

2 Et hæ omnes, vel in ſanguine, vel in bile flaua, vel atra, vel pituita accenduntur, vel in aliis humorum ſpeciebus.

3 Continuam in ſanguine toto, Medici vocant ſynochum putrem: in bile flaua, cauſum: in cruditatibus moderni febrem crudam inuenere: lipyriam addunt ab interioris membri inflammatione. Intra vaſa etiam ab omni humore febrem faciunt continuam, ſed nominibus carentem.

4 Intermittentes ſunt quotidiana, tertiana, & quartana exquiſitæ, quarum ad infebricitationem deſinunt acceſſiones.

5 Mediæ ſunt quotidiana, tertiana, & quartana continuæ, quæ remiſſionem acceſſionum habent, ſed non vſque ad infebricitationem. Reſpondent autem intermittentibus exquiſitis circa materiam peccantem, vti videtur Medicis.

6 Vnde palam eſt ex omni humore, omnem oriri poſſe febrem, pro materiæ, & loci quantitate, & qualitate. Nam & ſymptomaticæ vocatæ Medicis, continuæ ſunt quaſi omnes in paſſionibus nobiliorum membrorum à quocumque humore. Intermittunt autem, ſi expelli ex parte poſſunt, nec principibus reliquiæ ob-

ſtant

ſtant membris:ſicuti dictum eſt prius.

Continuarum humoralium febrium ſigna ſingillatim, & cauſarum ratio, & primò de ſynocho.

ARTIC. II.

1 SIgna ſynochi humoralis, præter quam quod pulſus eſt in hac maximus, vehemens, celer, creber, & inæqualis, ſicuti in ſynocho ſpiritali; ineſt etiam & calor mordacior, & inordinatio pulſus, & vrina rubra & craſſa. Propterea Medici plurimi huius febris cauſam ponunt in ſanguinis vbertate & plethora, & in obſtructione perſpirationis inſigni: Ideóque nec in gracilibus, ſed in carnoſis; neque in frigidis temperaturis & ætatibus, & temporibus, ſed in calidis & denſæ texturæ corporibus, non autem raræ, in qua tranſpirant ſordes: in denſa autem retentæ cum ſanguine putreſcunt. Putant etiam in magnis vaſis hanc febrem accendi, vt continuetur ſimpliciter, vel cum remiſſione modica, vel cum augmento. *Ex Medicorum decretis.*

Arabes in ſolo ſanguine febrem hanc accēdunt; Græci & Latini in pituitoſo ſanguine, vel atrabilioſo, vel flauo-bilioſo, ex miſtura putreſcente. Et obſeruant in ea æqualitatem accenſionis, & diminutionem, & augmentum continuò, pro humorum viribus.

De cauſi ſignis, & ratione.

SIgna cauſi ſunt arida lingua, craſſa, aſpera, nigra, ventriculi eroſio, ſitis intolerabilis, alui deiectiones liquidæ & pallidæ; vigiliæ, & plerumque delirium; hypochondriorum æſtus, iactatio corporis, ſpirandi difficultas pænè ſuffocans. *Ex Medic.*

Cauſam cauſi putant eſſe bilem flauam in venis putreſcentem, ſicuti in terciana: hoc tamen differentem, quod cauſus in vaſis, tertiana per totum corpus bilem eiuſmodi habet. De mente Hippocratis fieri cauſum dicunt, cum venulæ tempore æſtiuo exſiccatæ, acres, tenues, bilioſas & ſeroſas humiditates ad ſe proliciunt. Præterea cum in multis cauſum remiſſiorem viderēt, eò quòd in aliis lingua aſpera & ſicca, ſed non nigra, neque adeò importuna ſitis, nec vigiliæ tam moleſtæ, ſicut in priori cauſo deſcripſimus, apparent: propterça leuiorem hunc cauſum fieri putant ex ſalſæ pituitæ putreſcentis incendio, ac propterea dupli-

cem esse causum. Auerroës autem hunc secundum fieri ex efferuescente, miniméque putrescente sanguine arbitratur, vnde alij synochum à causo non distinguunt.

De lipyriæ signis, & ratione.

Ex eisdem, & nostris.

SYmptomata lipyriæ febris sunt partium internarum incendium, cardialgia, cardiogmos, spirandi difficultas, iactatio corporis maxima, appetentia prostrata, vigiliæ, sitis inexplebilis, lassitudo ingens, præcipua autem frigus externarum partium, & internarum incendium: quam insidiosam & mortiferam ex Hip. pronunciant.

Causam huius febris ingentē alicuius interioris partis inflammationem esse volunt, propterceáque calorem natiuum intro reuocari, Auicennas pronunciauit. Alij verò vitiosos humores crassos & putridos assignant, qui calorem natiuum opprimunt, præpediuntque ne in corpus dispergi queat. Quod etiam accidit plethoricis & humorum sarcina grauatis, quibus pulsus languidus, & inæqualis existit.

De signis crudæ febris, & ratione.

SIgna crudæ febris continuæ sunt vrina, humorum crudorum copiam, putredinem & confusionem repræsentans, nulla hypostasi aliqua in parte facta in matulæ parte vlla.

Causam nouerunt Galli atque Germani esse comessationes & ebrietates, variorúmque ciborum ingurgitationem longam; quæ à calore natiuo vinci aut mitigari nequeunt. Vnde vasa implent, meatus obstruunt, calorem natiuum opprimunt, & repentinam mortem afferre solent. Et cum cruditas in primis venarum partibus putrescit, ventris tormina, inflatio, nausea, murmur hypochondriorum, & dolor validus accidunt: cum per corpus iam diffusa est, tumidum ipsum reddunt, color faciei succedit plumbeus. Sensus omnes hebetes & turbulenti. Somnus grauis & molestus, lassitudo spontanea, tensiua, grauitas totius corporis, succedunt, cum pulsu paruo, languido & inæquali.

Illatio

Illatio, quod ex omnibus humoribus fiunt febres continuæ humorales omnes, & de curatione earum singillatim, quarum symptomata nunc præmisimus.

ARTIC. III.

1 QVanquam Medici diuersis humoribus continuas febres diuersas aptare contendant; nihilominus vt ex dictis patet signis, omnes continuas ab omnibus humoribus fieri posse, manifestum est, quando humores exuberant, & locus in quo exuberant princeps est, aut ex quo non potest morbifica causa facile expelli, propter angustias, aliasve spiritus incommoditates, vel imbecillitates: vidimus enim febrem crudam ex omnibus fieri, similiter & synochum, vel Medicorum testimonio, causum vero ex bile & ex pituita.

2 Quod autem dicunt humorem, nisi putrescat, febrem excitare non posse, falsum est: nam & spiritus ipsi non putrescentes febriunt; similiter & sanguis sola sorditie & copia incalescens: ipsæ quoque obstructiones idem probant. *Non posse febres fieri nisi ex humorū putrefactione, Medici putant.*

3 Putredinem vero non extranea fieri caliditate, sed propriæ augmento, suo in loco dictum est: neque enim Solis & fornacis ardor febrem accendunt & putrefactionem, quod maximè facere deberent iuxta ipsorum dogma; sed calor in impuritate accensus, & in quocunque humore à propria symmetria exorbitante.

4 Et quoniam signa cuiuscunque humoris à principio posuimus, id in primis curandum est Medico, vt humor belle coquatur, atque expellatur. Coquitur autem si spiritum roboraueris, & humorem non nutrieris. Expellitur vero si transpirationes probe fieri sategeris, in his quæ sola transpiratione sunt curabiles: aut humorem crassiorem in aliis medicamento purgante, vel venæ sectione, secundum artem sustuleris. *Summa omnis curationis.*

Curatio synochi.

5 SYnochum Galenus venæ sectione & potu aquæ frigidæ tollit: non enim nisi in carnosis & calidis generari putant. Sectionem venæ non adhibent, nisi vires sint validæ, abundet sanguis & calor, tempus & ætas ferant. Putant autem quousque *Phlebotomia quando confert.*

ferre possit, ad animi deliquium esse euacuandum sanguinem: statim enim refrigeratur animal. Et hoc quidem verum est, si morbus solummodo in venis, & in sanguine grassatur exuberante: tunc enim vna cum sanguine lædens causa educitur. At si alibi morbus est in aliquo viscere, vel membro, & sanguini communicatur, nisi sit inflammatio, qualis in angina, nocebit phlebotomia: spiritum enim à pugna reuocabit.

6 Frigidæ quoque potus, vbi calor inualuerit inflammato sanguine, prodest quidem, ne nimio calore mordicatus spiritus ad febrem irritatus moueatur. Verum vbi adest obstructio, humores crassi, phlegmone, erysipelas, scirrhus, & alia attenuationem & relaxationem desiderantia; frigida constipando obest multum. Solet etiam iuuare, vbi morbus est in ventriculo, & frigidæ potus multus ad vomitionem datur, vt simul causa mali per vomitum educatur, & per frigus calor auctus præter naturam, mitigetur.

Quando potus frigida. 7 Verum aliquando Galenus satius esse existimauit febrem diuturniorem facere, quam periculum hecticæ, negando frigidam, incurrere, quæ ex ea subsequi solet, & hoc dispositis in corporibus.

8 Tenui victu, leuibus frictionibus, sudatoriis, & balneis, his in causis securius vtemur: in cæteris vbi concoctio apparuerit, frigidam non negabimus, præsertim assuetis.

Curatio causi.

Ex Medic. cura. 9 IN causo vtuntur loco frigido, ad suauem exposito auram, molli lecto magnoque, vt membra calefacta transferri possint. Cibo etiam refrigerante, & humectante, vt lactuca, vel cucurbita, ptisana, &c. Potus erit iuleb violaceum, aut aqua cinamomi. Stomachum refrigerationibus ex succo rosarum & capreolorum vitis tenerorum, & huiusmodi reformant.

10 Præterea sanguinis missione, donec extinguatur febris, & corporis habitus refrigeretur: ad quod subsequi solet sudor, & alui deiectio, si vsque ad defectum animi protrahatur phlebotomia.

Adduntur epithemata refrigerantia, non tamen in principiis, & incrementis accessionum: quod quidem faciendum erat si febris esset morbus, & non remedium.

11 Cum vero euacuati fuerint humores si ita oportuerit, & sola

ſola febris ardens graſſatur, nec inflammationes & tumores adſunt, præſertim vbi ſigna coctionis apparuerint; frigidum præbent potum, atque balneum.

12 Nos autem iſta præbemus non quidem ad extinguendam febrem, ſed cauſam, & id quod ex febri relinquitur mali, hoc eſt calidum ſiccumque habitum exinde ſubſequi conſuetum. Febris enim qua febris, curari non vult, ſed iuuari ad victoriam, ſicuti dictum eſt prius: ergo omnis infrigidatio mala, præterquam ad tollendum quod ex pugna ſubſequitur damnum: & ideo nunquam addendum, niſi poſt ſigna coctionis & acceſſionibus deſinentibus. Similiter nec balnea, nec aër frigidus, & cætera iam dicta. *Correctio.*

13 Sanguinis miſſio licet febrem extinguat, niſi & cauſam febris tollat, pernicioſa eſt. Nec fidendum quia cit aluum & ſudores: hoc enim fit timente ſpiritu & ad interiora fugiente, ac vaſa ita ſtringente, vt fit in cunctis pauoribus ſudor ex hoc, quod calore ad interiora delato, partes, quæ tranſpirabant, craſſeſcunt in rorem, propterea modicus eſt iſte ſudor: vel quia duplicẽ motum edit, primo foras & ſudorem effert; ſecundo intro & inteſtina mouet, & humores nonnullos ſecum in centrum reducit, ſicuti dictum eſt in repercuſsionibus euacuantibus. At quia non ſemper accidit huiuſmodi deiectio, non prodeſt phlebotomia, niſi vbi in venis ineſt cauſa morbi, & calor ingens, vt educantur, aut minuantur.

14 Cibus etiam propterea frigidus & tenuis exhibendus, quod dum in aliti ſubſtantiam, excalfactam & ſiccatam febris vi, conuertitur, eius calorem & ſiccitatem emendet.

15 Sed nobis tenuitas commendatur magis, ne ſpiritus fatigetur in coquendo cibo, ac ſimul bellicum opus dimittat, tum ne humores prauos nutriat. Propterea enim cibus omnino contrarius morbifico humori eſt dandus; pharmacum verò omnino ſimile, vt trahat ipſum in ventrem educatque, quemadmodum *in lib.* 2. docebamus. *Nota.*

16 Conſulemus etiam in hoc ægroti vires, & morbi tempora. Cum enim non intermittant huiuſmodi febres, non eſt tempus remiſsionis paroxyſmi expectandum: ſed à principio tenuem dabimus cibum, in incremento tenuiorem, in vigore tenuiſsimum, ne pugnam impediamus.

17 Item in acutis tenuem, in peracutis tenuiorem, in perpera-

cutis tenuissimum. Solet & post crisim satietas multa suffocare spiritum; ideoque tenuibus facileque conuertibilibus, cibabimus. Et cum vires imbecilles sunt, odoribus, & sorbitionibus refocillabimus; non crassis frigidisve vllis rebus: sicuti faciendum foret, si febris extinctionem, non iuuamen procurare oporteret.

18 Semper autem principalia viscera epithematis confortabimus, & cataplasmatis, sibi conuenientibus; & morbi damno aduersis.

19 Euacuatio humoris postulabit pharmacum illi humori conueniens. Quantitas affectionum morbi, quantitatem pharmaci: locus quo vergit, modum purgationis; sicut suis in locis dictum est.

20 Symptomata mitigabis oppositis rebus, vt vigilias somniferis, vbi vigilandi ratio cessat; ante crisim enim necessariæ: dolores stupefacientibus, sitim syrupis frigidis, & crystalli retentione in ore, & conseruis ex lactuca & saccharo, & huiusmodi. Dolores renum habent in suis locis pharmaca, icterus suboriens, & dysenteria, ex abscessibus, vt *in 6. lib.* Somnum necessarium succo fœniculi in aceto euertes, aliisque ex arte. Memento autem vt cor, iecur, & ventriculum semper ab iniuriis vendices, sicuti in suis locis dicebamus, per conuenientia ipsis, & contraria morbosis damnis.

Curatio febris crudæ.

Cruditas curāda inedia, attenuantibus, incidentibus, & purgantibus.

21 Febrem à cruditatibus, victu tenuis substantiæ, acuto, penetrante humores crassos, attenuātéque, prout possibile fuerit: qualis paratur ex iusculis caponis, in quibus hyssopus, origanum, pulegium, asparagus, buglossum, thymus, cicer incocta fuerint; potúque ex aqua serpilli, succo granati, aqua cui acetositas citri fuerit iniecta, aut omphacium: plurimum enim valet acumen acetosarum rerum modicè sumptarum ad viscositates & cruditates attenuandas, incidendasque.

22 Præparabis expellendos humores syrupis ex mentha, corticibus citri, oxymelle, quinque radicibus aperientibus, & hyssopo, asparago, gramine, capparibus, passulis, fœniculo: & purgabis diaphœnico, catapotiis ex hiera, polypodio quercino, folliculis senæ, diacathol.

23 Clysteres semper administrabuntur ex eisdem rebus. Ante

purgationem

purgationem, vtendum est minoratiuis, & cauendum ne turgentia humorum non coctorum virtus naturalis obruatur.

24 Et cum etiam in venas humores transierint, phlebotomia negligenda non est, vt natura ex parte exoneretur, nisi virium imbecillitas & syncopalis affectio non obstiterint; præstat enim subito venæ sectio, quod concoctio tempore multo, & periculoso plerumque. *Phlebot.*

25 Quæ vrinas cient & sudores, addemus; & poros aperiemus, vbi purgans pharmacum crassiores humores eduxerit, non prius: ne per functiones, & auocationes ad exteriora, in corpus inspergantur, nec à pharmaco in centrum reuocari queant. *Cautio.*

26 Ventriculi & intestinorum regionem oleis nucis mosch. & mentha, & attenuatiuis, & confortatiuis, addito aceti pauxillo, roborabis: lienem, oleo ex genista, & capparibus: iecur aquis stillatitiis rosarum, succo cichorij, oxalidis, santalis & spodio. Cor ex aquis stillatitiis buglossi, rosarum, pimpinellæ, nymphææ; adde crocum, pulueres corallorum, margaritarum, santali citrini, & huiusmodi: symptomata autem vt supra curabis. *Confortatio membrorum principaliũ.*

De febribus continuis ex læsione partis, & ipsarum cura.

ARTIC. IV.

1 FEbres continuæ à læsione partis principis obortæ, aliæ sunt ab inflammatione, vel cerebri, vel pulmonis, vel diaphragmatis, vel iecoris, vel ventriculi, vel vesicæ, vel renum, vel intestinorum. *Distinctio continuæ ex mẽbris principibus.*

2 Et in omnibus his iam dictum est suis in locis, qualiter oportet cibo tenui humidoque vti, minuere excrementa alui per clysteres, ne subministrent inflammato loco sordes. Item venam viciniorem incidere, vt sanguis biliosus phlegmonem faciens educatur, pro viribus, ætate, & tempore, & morbi magnitudine. Item venæ sectione opposita & diuersiua vti, vt humores ex læso membro discant aliorsum ferri. Item diuertentibus cucurbitulis & ligaturis. Præterea adstringentibus, ne humor confluat in læsam partem, cataplasmatis, & syrupis. Item confortantibus læsam partem, vt possit morbificæ resistere causæ. Lenientibus quoque ac resoluentibus, vt humor transpiret; & cum humores abundauerint, minoratiuis vtemur, & syrupis præpa-

8 Propterea etiam hecticis, quod Galenus conſuluit de balneis, experientia & ratione ductus, plurimum laudo. Balnea autem ſint ex aqua dulci tepida, vt aperiat poros calori hectico, & ad ſe alliciat, ſicuti aqua caldarij calorem ex fundo caldarij: & in calcem iniecta, calorem calcis ad ſe accerſit, libentius in humido, quam in ſicco habitantem, ſicut *in Phyſ.* dictum eſt. Poſſunt etiam in balneis poni ſalicum ſarmenta, roſæ, nymphæa, violæ, malua, & omnia frigida, humidáque benè olentia. Balneum ex lacte & butyro plurimum prodeſt, vt penetret introrſum, & calorem temperet & ſiccitatem, & foras itidem alliciat. Valent quidem balnea ſemper in omni ſicca intemperie: ſed tribus aut duabus horis ante cibum manè & veſperi. Laudat Galenus poſt balneationem, ſi æger frigida lauetur, alioquin, ait, nil prodeſt balneum. Cauſam non reddunt Medici. Sed hoc iuuat, vt per apertos poros frigus intret ad interemptionem caloris, & humor. Item vt conſtipetur ex parte pellis detracto calore, ne iniuriis pateat, & conceptum teneat frigus. Poſt hæc æger detergendus lineis non calefactis linteis: & oleis frigidis inungendus ex violis, cucurbitis, butyro, nymphæa, papauere, medullis animalium. Deinde in lecto reponatur: ſed iecur, & cor, & omne mēbrum, vnde hectica ortum duxiſſe poteſt, inflammatum aut afflictum, epithematis ex lactuca, nymphæa, violis, lacte, intubis, ſātalis, &c. fouebis. Odorabitur & quæ odore refrigerant, vt flores violarum, nymphææ, roſarum & huiuſmodi.

De balneis hecticorum & ſimilium hecticis.

Suauiter.

Quæ vitanda hectico.

9 Cauendum eſt à pipere, ſale, & cunctis calefactiuis & exſiccatiuis. Item ab anxietatibus, & curis, & paſſionibus, ſpiritum triſtantibus & cogentibus, non autem ab exhilarantibus, & dilatantibus, de quibus *in Phyſ. & in lib.* 1. *Medic.*

Cura tabis ex Galeno.

10 Cum verò in hecticam tabidam quis deuenerit, vtuntur Medici cibis boni ſucci, & frequentibus, ſi fortè ſit ſpes. Dant etiam lac aſininum, & balnea, quamuis nullam ſperantes ſalutem, niſi in carnem ſolam, & non etiam in neruoſum genus tranſierit, vti Galenus, *in* 10. *Method.* docet.

Reprobatio.

11 Nos autem arbitramur hanc rationem medendi vanam. Non enim indiget refrigeratione tabidus, & humectatione, cum iam colliquari incipiat; ſed potius conſolidatione & conſtipatione. Qui enim carni tabeſcenti lac apponat, & humidas res frigidáſque, is eas citius tabeſcere faciet. Si verò acetum, & ſal, & vinum appoſuerit, carnis putrefactionem impediet. Galenus quidem

Repetitur ex Galeno.

dem balneo calido, deinde oleo ſuper ſindone inungit: deinde cum eadem ſindone in frigidam ægrum demergit ſemel. Deinde calida ſindone abſtergit & ſpongiis, multáque huiuſmodi ceremonioſè facit, & lacte paſcit, & dictis cibis. At quidem frigidam eò iuuare arbitror, quo colliquantem calorem remoretur. Sic enim & nox frigida carnes ne putreſcant, & aër, impediunt hyemales. Intus tamen lac non mihi placet, niſi aceſcat. Acetum enim ſiſtendi liquefactionem habet vim: non autem ſolum eſt propinandum, ne ſimul pungat, vlcerétque: at ſi lacte miſcetur & cibis, non oberit: vbi tamen vlcus in pulmone, vel iecore, vel alio in loco maraſmi huius non fuerit cauſa. Tunc enim ſolis ſtypticis contenti erimus. Inter quæ baccas myrti primum cenſeo tenere locum. Suo enim odore vires reparant, & ſua ſtypticitate non calida, colliquationem carnis & neruorum impediunt. Sorba etiam matura, & meſpila, & cotonea ſaccharo confecta, etiam dabimus: & roſarum rubrarum continuabimus ſumptiones à prandio & cœna. Et vinum craſſum lacte miſtum dabimus in potu, & aquam cinam. Sal & piper, quanquam putredinem & liquefactionem impediant, non exhibebimus, ne acrimonia ſtimulent, exulcerentque liqueſcentes partes. Lac per ſe non eſt bonum tabidis, niſi ad glutinandum carnem, non ad humectandum; proptereáque craſſum eſſe debet & acetoſum, & myrti baccis, vel earum ſucco, miſtum. Cichorium in cibo, & ruborum, & lentiſcorum, & fraxini, cymæ, & paſſa vua, & quidquid ſtypticum eſt, citra acrimoniam, confert tabidis. *Correctio.*

12 Obſtructiones remouere conabimur; ne calor incluſus colliquet; ſed excluſus conſolidet.

13 Verum cum aliquod membrum originem tabi dederit, ſiue cor, non ventilando, nec viuificando calorem, & ſanguinem in ſpiritum non vertendo: ſiue pulmo ſit cordi deficiens; ſiue ventriculus gignens chylum minimè fibroſum, ideóque ineptum agglutinationi eius in partibus nutriendis, & cocturæ ſecundæ à iecore faciendæ: ſiue iecur ſanguinem non abſoluens: ſiue inteſtina & meſenterium pariter nutritioni officiendo: ſiue renes non expurgando ſanguinem, & ſorditie relicta, accenſaque nutritis partibus affectis, intemperiem faciendo: ſiue vterus iiſdem ſordibus nocendo: ſiue ſeptum tranſuerſum ſpirationibus non rectè commodando, nam & ex ſepti affectu Galenus hecticã vidit; tunc neceſſe eſt Medico ad membri affecti curam animum *Quot membra quomodo & quæ poſſunt tabis occaſio eſſe.*

intendere

intendere. Si enim sanabitur illud, antequam tota moles corporis, præsertim neruosa, tabescat, promptè etiam impedietur progressus mortiferæ tabis. Sin minus, contra. Propterea enim pulmonis vitium lethiferum est, quod sanari ipsum non potest: & dum languet, tabes necessario vbique grassatur: nec valent contra ipsam stypica, neque refrigeratio, neque lac, nisi ad remorandam mortem, non autem ad euitandam. Cura autem præfatorum membrorum *in lib. 6.* suis quoque in locis tractata nobis est.

14 Si autem & putrida febris hecticæ complicata fuerit, sanabitur educendo causam putridam pharmaco secundum artem propinato in syrupo hecticæ conferenti: vt intubi, aut buglossi, aut &c. Habitum hecticum conserua continuata ex rosis rubeis Medicus haud imperitus sola sanauit.

De febribus humoralibus, earumque differentiis generatim.

Caput V. Artic. I.

1 Febres in humoribus à spiritu accensæ, aliæ continuæ sunt, aliæ intermittentes, aliæ mediæ, quas remittentes vocabimus.

2 Et hæ omnes, vel in sanguine, vel in bile flaua, vel atra, vel pituita accenduntur, vel in aliis humorum speciebus.

3 Continuam in sanguine toto, Medici vocant synochum putrem: in bile flaua, causum: in cruditatibus moderni febrem crudam inuenere: lipyriam addunt ab interioris membri inflammatione. Intra vasa etiam ab omni humore febrem faciunt continuam, sed nominibus carentem.

4 Intermittentes sunt quotidiana, tertiana, & quartana exquisitæ, quarum ad infebricitationem desinunt accensiones.

5 Mediæ sunt quotidiana, tertiana, & quartana continuæ, quæ remissionem accessionum habent, sed non vsque ad infebricitationom. Respondent autem intermittentibus exquisitis circa materiam peccantem, vti videtur Medicis.

6 Vnde palam est ex omni humore, omnem oriri posse febrem, pro materiæ, & loci quantitate, & qualitate. Nam & symptomaticæ vocatæ Medicis, continuæ sunt quasi omnes in passionibus nobiliorum membrorum à quocumque humore. Intermittunt autem, si expelli ex parte possunt, nec principibus reliquiæ ob-

stant

ſtant membris: ſicuti dictum eſt prius.

Continuarum humoralium febrium ſigna ſingillatim, & cauſarum ratio, & primò de ſynocho.

ARTIC. II.

1 SIgna ſynochi humoralis, præter quam quod pulſus eſt in hac maximus, vehemens, celer, creber, & inæqualis, ſicuti in ſynocho ſpiritali; ineſt etiam & calor mordacior, & inordinatio pulſus, & vrina rubra & craſſa. Propterea Medici plurimi huius febris cauſam ponunt in ſanguinis vbertate & plethora, & in obſtructione perſpirationis inſigni: Ideóque nec in gracilibus, ſed in carnoſis; neque in frigidis temperaturis & ætatibus, & temporibus, ſed in calidis & denſæ texturæ corporibus, non autem raræ, in qua tranſpirant ſordes: in denſa autem retentæ cum ſanguine putreſcunt. Putant etiam in magnis vaſis hanc febrem accendi, vt continuetur ſimpliciter, vel cum remiſſione modica, vel cum augmento. *Ex Medicorum decretis.*

Arabes in ſolo ſanguine febrem hanc accēdunt; Græci & Latini in pituitoſo ſanguine, vel atrabilioſo, vel flauo-bilioſo, ex miſtura putreſcente. Et obſeruant in ea æqualitatem accenſionis, & diminutionem, & augmentum continuò, pro humorum viribus.

De cauſi ſignis, & ratione.

SIgna cauſi ſunt arida lingua, craſſa, aſpera, nigra, ventriculi eroſio, ſitis intolerabilis, alui deiectiones liquidæ & pallidæ; vigiliæ, & plerumque delirium; hypochondriorum æſtus, iactatio corporis, ſpirandi difficultas pænè ſuffocans. *Ex Medic.*

Cauſam cauſi putant eſſe bilem flauam in venis putreſcentem, ſicuti in tertiana: hoc tamen differentem, quod cauſus in vaſis, tertiana per totum corpus bilem eiuſmodi habet. De mente Hippocratis fieri cauſum dicunt, cum venulæ tempore æſtiuo exſiccatæ, acres, tenues, bilioſas & ſeroſas humiditates ad ſe proliciunt. Præterea cum in multis cauſum remiſſiorem viderēt, eò quòd in aliis lingua aſpera & ſicca, ſed non nigra, neque adeò importuna ſitis, nec vigiliæ tam moleſtæ, ſicut in priori cauſo deſcripſimus, apparent: propterea leuiorem hunc cauſum fieri putant ex ſalſæ pituitæ putreſcentis incendio, ac propterea dupli-

cem esse causum. Auerroës autem hunc secundum fieri ex efferuescente, miniméque putrescente sanguine arbitratur, vnde alij synochum à causo non distinguunt.

De lipyriæ signis, & ratione.

Ex eisdem, & nostris.

SYmptomata lipyriæ febris sunt partium internarum incendium, cardialgia, cardiogmos, spirandi difficultas, iactatio corporis maxima, appetentia prostrata, vigiliæ, sitis inexplebilis, lassitudo ingens, præcipua autem frigus externarum partium, & internarum incendium: quam insidiosam & mortiferam ex Hip. pronunciant.

Causam huius febris ingentẽ alicuius interioris partis inflammationem esse volunt, proptereáque calorem natiuum intro reuocari, Auicennas pronunciauit. Alij verò vitiosos humores crassos & putridos assignant, qui calorem natiuum opprimunt, præpediuntque ne in corpus dispergi queat. Quod etiam accidit plethoricis & humorum sarcina grauatis, quibus pulsus languidus, & inæqualis existit.

De signis crudæ febris, & ratione.

SIgna crudæ febris continuæ sunt vrina, humorum crudorum copiam, putredinem & confusionem repræsentans, nulla hypostasi aliqua in parte facta in matulæ parte vlla.

Causam nouerunt Galli atque Germani esse comessationes & ebrietates, variorúmque ciborum ingurgitationem longam; quæ à calore natiuo vinci aut mitigari nequeunt. Vnde vasa implent, meatus obstruunt, calorem natiuum opprimunt, & repentinam mortem afferre solent. Et cum cruditas in primis venarum partibus putrescit, ventris tormina, inflatio, nausea, murmur hypochondriorum, & dolor validus accidunt: cum per corpus iam diffusa est, tumidum ipsum reddunt, color faciei succedit plumbeus. Sensus omnes hebetes & turbulenti. Somnus grauis & molestus, lassitudo spontanea, tensiua, grauitas totius corporis, succedunt, cum pulsu paruo, languido & inæquali.

Illatio

Illatio, quod ex omnibus humoribus fiunt febres continuæ humorales omnes, & de curatione earum singillatim, quarum symptomata nunc præmisimus.

ARTIC. III.

1 QVanquam Medici diuersis humoribus continuas febres diuersas aptare contendant; nihilominus vt ex dictis patet signis, omnes continuas ab omnibus humoribus fieri posse, manifestum est, quando humores exuberant, & locus in quo exuberant princeps est, aut ex quo non potest morbifica causa facile expelli, propter angustias, aliasve spiritus incommoditates, vel imbecillitates: vidimus enim febrem crudam ex omnibus fieri, similiter & synochum, vel Medicorum testimonio, causum vero ex bile & ex pituita.

2 Quod autem dicunt humorem, nisi putrescat, febrem excitare non posse, falsum est: nam & spiritus ipsi non putrescentes febriunt; similiter & sanguis sola sorditie & copia incalescens: ipsæ quoque obstructiones idem probant. *Non posse febres fieri nisi ex humorũ putrefactione, Medici putant.*

3 Putredinem vero non extranea fieri caliditate, sed propriæ augmento, suo in loco dictum est: neque enim Solis & fornacis ardor febrem accendunt & putrefactionem, quod maximè facere deberent iuxta ipsorum dogma; sed calor in impuritate accensus, & in quocunque humore à propria symmetria exorbitante.

4 Et quoniam signa cuiuscunque humoris à principio posuimus, id in primis curandum est Medico, vt humor belle coquatur, atque expellatur. Coquitur autem si spiritum roboraueris, & humorem non nutrieris. Expellitur vero si transpirationes probe fieri sategeris, in his quæ sola transpiratione sunt curabiles: aut humorem crassiorem in aliis medicamento purgante, vel venæ sectione, secundum artem sustuleris. *Summa omnis curationis.*

Curatio synochi.

5 SYnochum Galenus venæ sectione & potu aquæ frigidæ tollit: non enim nisi in carnosis & calidis generari putant. Sectionem venæ non adhibent, nisi vires sint validæ, abundet sanguis & calor, tempus & ætas ferant. Putant autem quousque *Phlebotomia quando confert.*

ferre possit, ad animi deliquium esse euacuandum sanguinem: statim enim refrigeratur animal. Et hoc quidem verum est, si morbus solummodo in venis, & in sanguine grassatur exuberante: tunc enim vna cum sanguine lædens causa educitur. At si alibi morbus est in aliquo viscere, vel membro, & sanguini communicatur, nisi sit inflammatio, qualis in angina, nocebit phlebotomia: spiritum enim à pugna reuocabit.

6 Frigidæ quoque potus, vbi calor inualuerit inflammato sanguine, prodest quidem, ne nimio calore mordicatus spiritus ad febrem irritatus moueatur. Verum vbi adest obstructio, humores crassi, phlegmone, erysipelas, scirrhus, & alia attenuationem & relaxationem desiderantia; frigida constipando obest multum. Solet etiam iuuare, vbi morbus est in ventriculo, & frigidæ potus multus ad vomitionem datur, vt simul causa mali per vomitum educatur, & per frigus calor auctus præter naturam, mitigetur.

Quando potius frigida. 7 Verum aliquando Galenus satius esse existimauit febrem diuturniorem facere, quam periculum hecticæ, negando frigidam, incurrere, quæ ex ea subsequi solet, & hoc dispositis in corporibus.

8 Tenui victu, leuibus frictionibus, sudatoriis, & balneis, his in causis securius vtemur: in cæteris vbi concoctio apparuerit, frigidam non negabimus, præsertim assuetis.

Curatio causi.

Ex Medic. cura. 9 IN causo vtuntur loco frigido, ad suauem exposito auram, molli lecto magnoque, vt membra calefacta transferri possint. Cibo etiam refrigerante, & humectante, vt lactuca, vel cucurbita, ptisana, &c. Potus erit iuleb violaceum, aut aqua cinamomi. Stomachum refrigerationibus ex succo rosarum & capreolorum vitis tenerorum, & huiusmodi reformant.

10 Præterea sanguinis missione, donec extinguatur febris, & corporis habitus refrigeretur: ad quod subsequi solet sudor, & alui deiectio, si vsque ad defectum animi protrahatur phlebotomia.

Adduntur epithemata refrigerantia, non tamen in principiis, & incrementis accessionum: quod quidem faciendum erat si febris esset morbus, & non remedium.

11 Cum vero euacuati fuerint humores si ita oportuerit, & sola

ſola febris ardens graſſatur, nec inflammationes & tumores adſunt, præſertim vbi ſigna coctionis apparuerint; frigidum præbent potum, atque balneum.

12 Nos autem iſta præbemus non quidem ad extinguendam febrem, ſed cauſam, & id quod ex febri relinquitur mali, hoc eſt calidum ſiccumque habitum exinde ſubſequi conſuetum. Febris enim qua febris, curari non vult, ſed iuuari ad victoriam, ſicuti dictum eſt prius: ergo omnis infrigidatio mala, præterquam ad tollendum quod ex pugna ſubſequitur damnum: & ideo nunquam addendum, niſi poſt ſigna coctionis & acceſſionibus deſinentibus. Similiter nec balnea, nec aër frigidus, & cætera iam dicta. *Correctio.*

13 Sanguinis miſſio licet febrem extinguat, niſi & cauſam febris tollat, pernicioſa eſt. Nec fidendum quia cit aluum & ſudores: hoc enim fit timente ſpiritu & ad interiora fugiente, ac vaſa ita ſtringente, vt fit in cunctis pauoribus ſudor ex hoc, quod calore ad interiora delato, partes, quæ tranſpirabant, craſſeſcunt in rorem, propterea modicus eſt iſte ſudor: vel quia duplicē motum edit, primo foras & ſudorem effert; ſecundo intro & inteſtina mouet, & humores nonnullos ſecum in centrum reducit, ſicuti dictum eſt in repercuſsionibus euacuantibus. At quia non ſemper accidit huiuſmodi deiectio, non prodeſt phlebotomia, niſi vbi in venis ineſt cauſa morbi, & calor ingens, vt educantur, aut minuantur.

14 Cibus etiam propterea frigidus & tenuis exhibendus, quod dum in aliti ſubſtantiam, excalfactam & ſiccatam febris vi, conuertitur, eius calorem & ſiccitatem emendet.

15 Sed nobis tenuitas commendatur magis, ne ſpiritus fatigetur in coquendo cibo, ac ſimul bellicum opus dimittat, tum ne humores prauos nutriat. Propterea enim cibus omnino contrarius morbifico humori eſt dandus; pharmacum verò omnino ſimile, vt trahat ipſum in ventrem educatque, quemadmodum *in lib. 2.* docebamus. *Nota.*

16 Conſulemus etiam in hoc ægroti vires, & morbi tempora. Cum enim non intermittant huiuſmodi febres, non eſt tempus remiſsionis paroxyſmi expectandum: ſed à principio tenuem dabimus cibum, in incremento tenuiorem, in vigore tenuiſsimum, ne pugnam impediamus.

17 Item in acutis tenuem, in peracutis tenuiorem, in perpera-

cutis tenuissimum. Solet & post crisim satietas multa suffocare spiritum; ideoque tenuibus facileque conuertibilibus, cibabimus. Et cum vires imbecilles sunt, odoribus, & sorbitionibus refocillabimus; non crassis frigidisve vllis rebus: sicuti faciendum foret, si febris extinctionem, non iuuamen procurare oporteret.

18 Semper autem principalia viscera epithematis confortabimus, & cataplasmatis, sibi conuenientibus; & morbi damno aduersis.

19 Euacuatio humoris postulabit pharmacum illi humori conueniens. Quantitas affectionum morbi, quantitatem pharmaci: locus quo vergit, modum purgationis; sicut suis in locis dictum est.

20 Symptomata mitigabis oppositis rebus, vt vigilias somniferis, vbi vigilandi ratio cessat; ante crisim enim necessariæ: dolores stupefacientibus, sitim syrupis frigidis, & crystalli retentione in ore, & conseruis ex lactuca & saccharo, & huiusmodi. Dolores renum habent in suis locis pharmaca, icterus suboriens, & dysenteria, ex abscessibus, vt *in 6. lib.* Somnum necessarium succo fœniculi in aceto euertes, aliisque ex arte. Memento autem vt cor, iecur, & ventriculum semper ab iniuriis vendices, sicuti in suis locis dicebamus, per conuenientia ipsis, & contraria morbosis damnis.

Curatio febris crudæ.

Cruditas curãda inedia, attenuantibus, incidentibus, & purgantibus.

21 Febrem à cruditatibus, victu tenuis substantiæ, acuto, penetrante humores crassos, attenuãteque, prout possibile fuerit: qualis paratur ex iusculis caponis, in quibus hyssopus, origanum, pulegium, asparagus, buglossum, thymus, cicer incocta fuerint; potúque ex aqua serpilli, succo granati, aqua cui acetositas citri fuerit iniecta, aut omphacium: plurimum enim valet acumen acetosarum rerum modicè sumptarum ad viscositates & cruditates attenuandas, incidendasque.

22 Præparabis expellendos humores syrupis ex mentha, corticibus citri, oxymelle, quinque radicibus aperientibus, & hyssopo, asparago, gramine, capparibus, passulis, fœniculo: & purgabis diaphœnico, catapotiis ex hiera, polypodio quercino, folliculis senæ, diacathol.

23 Clysteres semper administrabuntur ex eisdem rebus. Ante purgationem

purgationem, vtendum est minoratiuis, & cauendum ne turgentia humorum non coctorum virtus naturalis obruatur.

24 Et cum etiam in venas humores transierint, phlebotomia negligenda non est, vt natura ex parte exoneretur, nisi virium imbecillitas & syncopalis affectio non obstiterint; præstat enim subito venæ sect o, quod concoctio tempore multo, & periculoso plerumque. *Phlebot.*

25 Quæ vrinas cient & sudores, addemus; & poros aperiemus, vbi purgans pharmacum crassiores humores eduxerit, non prius: ne per functiones, & auocationes ad exteriora, in corpus inspergantur, nec à pharmaco in centrum reuocari queant. *Cautio.*

26 Ventriculi & intestinorum regionem oleis nucis mosch. & mentha, & attenuatiuis, & confortatiuis, addito aceti pauxillo, roborabis: lienem, oleo ex genista, & capparibus: iecur aquis stillatitiis rosarum, succo cichorij, oxalidis, santalis & spodio. Cor ex aquis stillatitiis buglossi, rosarum, pimpinellæ, nymphææ: adde crocum, pulueres corallorum, margaritarum, santali citrini, & huiusmodi: symptomata autem vt supra curabis. *Confortatio membrorum principaliũ.*

De febribus continuis ex læsione partis, & ipsarum cura.

Artic. IV.

1 Febres continuæ à læsione partis principis obortæ, aliæ sunt ab inflammatione, vel cerebri, vel pulmonis, vel diaphragmatis, vel iecoris, vel ventriculi, vel vesicæ, vel renum, vel intestinorum. *Distinctio continua ex mẽbris principibus.*

2 Et in omnibus his iam dictum est suis in locis, qualiter oportet cibo tenui humidoque vti, minuere excrementa alui per clysteres, ne subministrent inflammato loco sordes. Item venam viciniorem incidere, vt sanguis biliosus phlegmonem faciens educatur, pro viribus, ætate, & tempore, & morbi magnitudine. Item venæ sectione opposita & diuersiua vti, vt humores ex læso membro discant aliorsum ferri. Item diuertentibus cucurbitulis & ligaturis. Præterea adstringentibus, ne humor confluat in læsam partem, cataplasmatis, & syrupis. Item confortantibus læsam partem, vt possit morbificæ resistere causæ. Lenientibus quoque ac resoluentibus, vt humor transpiret; & cum humores abundauerint, minoratiuis vtemur, & syrupis *Cura ratione partis.*

præpa

Quadruplex intentio in cura phlegmones. præparantibus. Deinde pharmaco purgante humores modo peccantes. Et ſi ſuppurationis ſigna apparuerint, iuuanda eſt vt fiat: deinde vt rumpatur; deinde vt abſtergatur, & tandem vt ſolidetur: ſicuti ſuis dictum eſt in locis.

Cura ratione humorum. 3 Si autem febris continua oriatur non ex inflammatione, ſed putridorum humorum prouentu circa principem partem: humores illos minues, & præparabis, & vacuabis. Si ex plethora, venam ſecabis à viciniore affectæ partis regione: & purgamentum inſtitues vniuerſale. Si vlcera ſunt cauſa continuæ febris, ea primum curabimus.

4 Hoc tamen prædicto, quod principe parte inſigniter laborante, ſalus non eſt ſperanda. Siderato enim cerebro intra tres dies moriuntur, teſte Hippocrate: & purulentum iecur mortem præſtolatur, ſi pus cœnaſum quaſi amurca fuerit: ſi autem album, ſalui fiunt. Ecce quantum valet Medici iudicium & iuuamen, vt pars læſa, ad quod melius eſt, per medicamen feratur.

Confirmatio dogmatis. 5 Et quoniam à quocunque humore huiuſmodi febres fiunt læſis capitalibus membris, propterea palam eſt febres non eſſe accenſiones humorum, ſed ſpontaneas ſpiritus pugnas accendentis ſeipſum, & ſua accenſione & agitatione humores accendentis & mouentis ad expulſionem.

6 Sunt etiam omnes hæ febres continuæ, quoniam periculum eſt continuum, neque infarctus humor in ſolido poteſt ita minui abigique, vt remiſſio fiat intermiſſioque, quemadmodum in his qui intra venas vocant ad pugnam. Sic etiam qui copioſi ſunt robuſtique, vt minui, educique nequeant, etiam intra vaſa continuam pariunt febrem; quoniam pericula & infeſtationes continuas habent.

De remittentium & intermittentium febrium humoralium cauſis, & ratione generatim.

Capvt VI. Artic. I.

1 Febres itaque remittentes, & intermittentes ab iiſdem fiunt cauſis, quæ minorationem & inſtaurationem habent, & periculi minus, & interpolati.

2 Teſtificantur & hoc Medici, cum ardentem continuam efficiunt à flaua bile: & tertianam remittentem pariter, & tertianam

nam intermittentem ab eadem flaua bile. Similiter crudam continuam à pituita, remittentem quotidianam pariter à pituita, & tandem intermittentem à pituita. Ab atra bile & lipyriam continuam, & quartanam remittentem & intermittentem faciunt; & ab omnibus seorsum humoribus symptomaticas febres continuas, vt dictum est. A sanguine ferè omnes continuas; sicuti ab atra bile, quasi omnes quartanas. Dictum est etiam prius, quomodo etiam omnes ex omnibus faciunt humoribus.

Epilogus ex testimonio Medicorum, quod omnis febris ex omni humore.

3 Cur autem ab eodem humore aliæ sunt intermittentes, aliæ remittentes modo; Medici reddentes rationem, aiunt; cum humores accensi fuerint in vasis magnis, fieri solummodo remittentes, eo quod focus non potest putrescentis humoris extingui, & continuo in cor repit ex eo vapor. Quomodo autem ex remissione ad intensionem reuertitur, non docent. Intermittentes autem fieri in vasis paruis: vbi resoluto in prima accessione putri humore, remanet focus & sentina quasi & reliquiæ putredinis, quæ iterum accenduntur per vices, & reuertitur febris.

Ratio thesis.

Alij vero putant continuas. i. remittentes fieri intra vasa, vbi sanguis afficitur, teste etiam Gal. *in 2. de diff. feb. c. 1.* intermittentes vero extra per singulas corporis partes.

4 Discernitur autem remittens ab intermittente ex hoc, quod illa ad infebricitationem deuenit nunquam, ista vero sic.

Discrimen remittentis ab intermittente ex Galeno, de continuis, & intermittentibus, illas ex vasis, istas ex membris celebrante.

5 Galenus autem *in 2. de diff. feb. c. 10.* melius philosophatur. Quæcunque enim (ait) per circuitus aliquos fiunt ægritudinum accessiones, ex membrorum dispositionibus ortum habent: quæ vel mittũt, vel recipiunt, vel generant, vel trahunt superfluitates. At quæ circuitum non habent, in his nulla est corporis pars, quæ præcipuè sit offensa. Qui autem in venis & arteriis omnibus cõtinentur humores, præcipuè qui in maximis plurimo calore abundantibus delitescunt: aut ob aliam quamuis causam, quemadmodum in ephemeris, aut ob putrefactionem feruentes, febrem accendunt synochum, quæ à principio vsque ad finem nullam habet intermisionem: ac tamdiu perseuerat hominémque deurit, donec humores ipsam gignentes consumantur penitus, aut coquantur, aut vtrumque patiantur.

6 Optime sane Galenus synochum generat in vasis omnibus, si tamen ab omnibus humoribus ipsam faceret. Etenim vbi omnes venæ vitiantibus sanguinem incalescunt humoribus, necesse est incessabilem febrem fieri; quoniam periculum & infesta-

Ratio durationis.

Continuitas febris eſt à periculo continuo, intermittens à non continuo vacillante, & non à vaſis modò & membris, vt Gal. placet.

tio inceſſabilis eſt in eis erga ſpiritum, & ſanguinem, ex quo ſpiritus gignuntur, & ſolidum alitur. Ergo periculi magnitudo & continuitas continuam facit febrem.

7 Cum verò intermittentes ad aliquam partem relegat, in qua fiant per circuitum acceſsiones, prout fiunt & coaceruationes humoris peccantis, rectè videtur ex parte ſentire. Etenim in quocunque membro aceruatur alimentum pluſquam oportet, & ſordes aliquæ, ſi robuſtum fuerit, ſuperfluitatem in aliud mẽbrum vicinius, aut imbecillius amandat, quod accenſum ab implantato ſpiritu, vt copiam onerantem, ſi ſibi conueniens eſt; aut ſordem infeſtantem, ſi minus conuenit, vincat aut propellat: prolicit ad ſe ſanguinem, cuius eſt ad concalefactas recurrere partes, & dolentes; qui miſtus prauitatibus putreſcit incaleſcendo, aut onerat magis partem, & febris accenditur contra onus, & infeſtationem. Facta autem exoneratione aut victoria, remittitur aut intermittitur feruor, donec iterum membrum ſuperfluitates mittat in imbecillius: & hoc non ceſſante recurſu fit, donec prouideatur, ne mittat membrum illud ſuperfluitates in hoc. Poteſt etiam in membro non valido congeri onus & ſordes; & tunc in eodemmet fit febris principium. Remiſsio & intermiſsio deinde pugnæ ſuccedunt, donec ex nouo alimento iterum nouum onus aut ſordes reficiantur.

Correctio; ex receſſu etiam febrium ex membrorum affectu non orientium Reſpon. Medicis. Refutatio ex Hippocrat. quod etiam ex mẽbris cõtinua.

8 Rectè quidem Galenus hæc. Verum cum conſtet etiam intra vaſa accendi febres, & non in parte aliqua corporis, ſicuti ſymptomatica localis: ſed in toto, ſicuti vniuerſalis ſymptomatica; vtique docendi eramus ab eo, quomodo fit recurſus illæſis membris omnibus. Propterea que ſequaces eius in paruis vaſis intermittunt, in magnis remittunt febrem. Sed cum & ex Hipp. teſtimonio, in tenuibus venis ardens bilis & ſeroſus humor cauſum generat continuum, ratio Medicorum inualida eſt. Igitur ad copiam humorum, & inopiam; & ad periculi, & ad infeſtationis continuitatem & intermiſsionem nobiſcum confugiant, oportet. Indicant etiam ſymptomaticæ vocatæ Medicis continuæ membrorum particularium affectionem ex ſuperfluitate & ſordibus non efficere intermittentes, ea quæ Galeno placet, ratione.

9 Porro cum docet recurſum non fieri, ſicubi particula nulla præcipuè ſit offenſa ſi diſtinguit partem contra totum, fallitur. Etenim in ſanguine accenditur vitiato, quæcunque febris remittens

mittens & intermittens:vt ex dictis patuit, non vitiatis membris singularibus; nedum continua, vt Medici testantur. Item nec semper est non intermittens, quæ non læsa particula nascitur. Item offensa particula oriri continuam vniuersalem, indicant symptomaticæ Medicis vocatæ: topicam verò externarum partium carbunculus & apostema.

Quod recursus nō solum ex vicissitudinaria accessione.

10 Et hæc omnia condemnant pariter Medicos,qui continuas in magnis,non continuas in paruis accendunt vasis:cum & in his causus fiat, & aliæ continuæ pro rata infestationis. Similiter eos, qui continuas & remittentes in vasis, intermittentes extra vasa generant:cum palam faciant symptomaticæ vocatæ, etiam extra vasa continuitatem fieri feruorum. Si autem plerumque id sentiunt,non autem semper,distinguere debuissent,nec regulas tradere vniuersales: & quibus dignoscantur modis, nos docere.

Signa, & cura remittentium generatim.

Artic. II.

1 Signa continuarum & remittentium febrium præcedentia Medici ponunt,spontaneam lassitudinem,& ignauiam corporis, hebetudinem sensus, somnum molestum,immodicam vigiliam,deiectionem appetitus, nutritionem imbecillam, hypochondriorum distentionem, venarum repletionem, & omnium excrementorum exuperans effluuium,vt sudoris,sputi,mucoris, stercoris,vrinæ,&c.

Medicis decem signa generalia continua, & remittētis quæ præcedunt.

2 Signa comitantia sunt perpetua & continuata, donec febris desiuerit,accessio,vel cum remissione aliqua, vel sine;lingua sicca, aspera, sitis ingens: lassitudo tensiua ex crassis repletionibus, vel vlcerosa ex tenuibus acribúsque: vigiliæ: os amarum, calor acer,pulsus celer,creber,inæqualis:vrina tenuis,rubra ex obstructione; vel rubra,crassáque, & turbida. Præterea tertio quoque die febris excandescit,vrináque est rubra valdè;quotidiana quotidiè: nec vrina est adeò rubra. Quartana quarto quoque die, vrinásque transcolatas habet per crassum humorem, albas, tenues,aquosas. Galenus ait,varias,sed crudas omnes.

Quæ comitantur & decem.

3 Sed profectò ista regulariter vera non sunt. Compertum est enim ab omnibus humoribus omnes febres gigni,atque mox, cum de intermittentibus erit sermo, noua variaque signa in eo-

Correctio.

dem typo febris inueniemus. Propterea Gal. *l. ad Glauc. c.8.* signa continuarum ponit incessabilitatem intra 24. horas. Dat inæquale incrementum pro signo diuturnitatis, & inordinationem, inæqualitatem, & inconcinnitatem pulsus pro signo continuitatis & longitudinis; & cum tertio die idem status perseuerat, & vrinæ cruditas & excrementorum, tunc ad septimum diem extendi, est Galeno signum. Si autem & in quarto vret febris sicut in tertio, nec facies & reliquum corpus collabitur, ad longius tempus producit morbum.

Signa continuarum ex Galeno.

Cura remittentis ex Galeno.

4 Nos autem mox in cura intermittentium ista examinabimus. Nunc autem curam remittentium à Galeno accipimus *lib. 1. ad Glauc. cap. 13.* victum tenuem, in quibus vires validæ & ætas, nec ante septimum diem status febris expectatur: pleniorem vero, in quibus vires languent, & status vltra septimum expectatur. In statu vero tenuissimum victum: deinde paulatim vberiorem. Deinde sanguinem mittere iubet, vbi robur & venarum tensio, & vires adsunt. In præter modum calidis dat frigidam, ne colliquentur carnes, & feruor cesset.

Alia ex eodem cura.

5 Alibi melius, quoniam febris à putredine: putredo à transpiratione impedita: impeditio ab obstructione: obstructio ab humorum copia. Idcirco euacuatio humorum primo instituenda, quod sanguinis misione consequimur, si cætera iam dicta consentiunt; mox obstructio aperienda per ea, quæ absque calefactione nimia relaxant poros, vt tepidum, dulce balneum, & dulce oleum tepidum, & frictio moderata: & oxymeli. Mox præterea putredinem pharmaco minuente ac purgante educemus per aluum, & vrinam, & sudores, medicamenta iis apta, apponenda. Quo facto febrem refrigerare licet, ne calor hecticus fiat. Prius autem non licet, vt pugnet contra morbum, eo spiritus agens, motuque. Hoc ergo tempore frigidam propinabis, cibosque substantia frigidos: & aqua dilutum vinum, ad vires reficiendas, & excretiones & obstructiones tollendas. Vinum enim ad hoc valet plurimum. Quapropter non rectè Medici illud vetant omnino febrientibus, vt etiam Gal. *in Meth.* agnouit.

Conclusio, quod continua, & intermittens sunt ab iisdem humoribus & locis, differuntque ratione per æqualis que ri[?] eisdem curis tolluntur.

6 Verum si quis recte consideret, hæc eadem cura est cum continuarum cura: & eadem erit intermittentium, & causæ eædem; loco, copia, robore, & infestationis ratione, differentes.

De

De signis & causis febrium intermittentium, & remittentium speciatim: & primo de quotidiana.

ARTIC. III.

1 SPeciatim quidem quotidianæ febris signa sunt quotidiana accessio ac remissio sequens, longa, ac raro ad omnimodam veniens infebricitationem. *Signa quotidiana.*

2 Et primo quidem calor vaporosus humidusque, qualis ex viridi ligno ignis perspirat: deinde acer fit ex parte ac mordax; nec æqualis in tota tangentis pulpa: facies subtumida, minor sitis, minúsque incendium, quam in tertiana & quartana: corpus humidum, nec denudari appetens: sed accessio longior. Nec cum rigore primo die incipit, sed postea subsequitur aliqua refrigeratio in accessionibus. Item pulsus in principio accessionis paruus, tardus, languidus, inordinatus, & inæqualis: in augmento vehementior, maior, velocior, sed obscuro modo, non sicuti in tertiana & quartana. Facies pallida atque subalba; vrinæ albæ, tenues, aquosæ, vel crassæ, & turbulentæ, vel rubicundæ: excrementa pituitosa, alba, crassa, humida, frigida, cruda. Similiter vomitus pituitosi. Præterea in corporibus humidis, pituitosis, & corpulentis fieri solet, præsertim pueris & in hyeme: & his qui crapula & multo cibo nutriuntur, & in ocio, & in balneo & in locis vdis. *Gal. 1. ad Glauc. 7.*

2 Hæc omnia manifestè arguunt pituitam, & cruditatem esse causam quotidianæ febris. Ipsa enim est, quæ vaporem humidum emittit, & deinde acrem sequente vstione in partes crassiusculas. Et sitim & rigores non facit. Rigor enim à mordicante partes venosas fit, non à frigore, vti placet Medicis: alioquin in quotidiana maior esset, quam in cæteris febribus. Subsequitur tamen postea frigus & rigor, cum humor assatus febre incipit acui, & pungere: & spiritus fugam, humor frigoris postponit sensum. Pulsus sunt inæquales, & inordinati, & parui, grauante crassitie spiritum, & resistéte motioni, & vaporem crassum emittente: qui spiritum non mordet, nec exacuit, vti biliosus vapor, sed obnubilat obtunditque. Præterea neque spiritus agitationibus vtitur validis: quoniam minor est infestatio à pituita, quam ex acutis humoribus. Augentur ergo pulsus in suo gradu acutorum. Excrementa tandem facilè certificant pituitam esse *Ratio signorum.*

causam quotidianæ: sed vrina alba & tenuis, nequaquam, nisi quatenus est cruditatis indicium. Quæ enim non coquuntur, per crassitiem non agitatam ad coctionem, traijciunt vrinam decolatam, ergo tenuem; albam verò quoniam non coctam. Cum verò crassa & turbida est, principium coctionis designat, & alterationis; verum ætas, tempus victus, aliáque signa à principio statim producit, qualiter debeat esse febris quotidiana Galeno.

Correctio. 3 Nos autem arbitramur hoc dubium adhuc. Etenim & quartanam à pituita fieri scimus in pueris. Ipse etiam Galenus epialam ab eadem generat, quæ aliquando quotidianum, aliquando typum habet quartanum, aliquando erratica est. Vtque Galenus ait, 2. *de diff. feb. c. 6.* epiala laborantes sentiunt in toto corpore simul calorem & frigus. Hanc oriri putat ex pituita vitrea frigida tenaci, fuso vitro persimili. Datur enim & alia pituita dulcis, quã excreatu expuimus, minus frigida. Datur & acida, quæ frigidior quam dulcis, minus verò quam vitrea. Quarta pituita salsa additur ob putredinem, aut mistionem serosæ humiditatis, vt inquit Galenus; vel etiam ob bilis mistionem, vt putat Auic. Nos autem ob excalfactionem eiusdem in cerebro, vel in ventriculo, vel in iecore salsescere etiam opinamur.

Pituita quadruplex.

4 Tunc Galenus ab acida & vitrea rigores fieri citra febrem, cum per sensitiuas feruntur partes, nos docet. Si autem simul parum putrescant, epialam adducunt febrem. Si multum putrescant, præcedit rigor, & subsequitur febris à multitudine caloris frigida deuicta materia. At si dulcis putrescat, rigor minime antecedit. Quomodo à salsa etiam tertianæ fiant, postmodum patebit.

Probatur, quod omnis febris potest fieri ex pituita. 5 Ex quibus Galeni verbis probamus & nos omnes febres à pituita fieri, licet plerumq; quotidianas. Et quod rigor, qui in epiala sentitur, non à frigore ortum habet necessariũ: etenim nec tertianarij rigerent ob bilem, neque epiala ex dulci pituita laborantes non rigerent ob frigus. Nec pituita vitrea acidáque, quia partim accensa, partim non accensa, calorem & frigus simul in corpore faciunt, vt quidem Medici adiiciunt. Etenim sufficit spiritus fuga & lucta, sensum frigoris & caloris simul facere. Ecstatici etiam & timentes idem patiuntur, dum intro refugit calor. At etiam ex pituita fieri continuam febrem in catarrho experimur. Ergo non ex typo, sed ex accensionis ratione, & tactu, & excrementis, & antecedentibus causis, in victu, & loco, & tem

Et quod rigor non est à frigore.

Agnitio pituitæ ex typo quotidiano fallax.

& tempore, & ætate, agnoſcenda eſt pituita. Sed mirum, quomodo Galenus etiam rubicundam vrinam dat, 1. *ad Glauc. c. 7.* in quotidianis contra proprium dogma: & non agnouit ex hoc quotidianas etiam fieri abſque pituita.

6 Arbitror enim & multam bilem efficere quotidianam pro tertiana; & ſanguinis ſordes etiam quotidianam. Hoc autem Medici obſeruent, nec ſemper priſcorum dictis, ſed naturæ obſeruationibus inuigilent, rogo. Et quidem habet ſanguis vaporem, primo ſuauem, deinde acrem cum in febri accenditur, vt vix à pituita aliquando diſcernatur: & aliquando acer eſt quotidianus typus. *Ad Gal.*

De ſignis & cauſis tertianæ, ſpeciatim.

1 SIgna tertianæ ſunt inuaſio tertio quoque die cum ingẽti rigore, pungente & vellicante, potiúſque frigefaciente: & quæ non vltra 12. horas porrigitur, & ad infebricitationem exquiſitam deuenit. Item calor multus & mordax tactui: ſitis inexhauſta: æſtus ingens, qualis in cauſo; difficultas ſpirandi: capitis dolor acutus; vigiliæ: vomitus, aut ſudor bilioſus: & deiectiones alui croceæ, bilioſæque, vrinæ flauæ, croceæ, ſubrufæ, cum nubecula alba, laudabilique ſuſpenſione plerumque frequens exſufflatio calida, flammanſque: veſtium denudatio; frigidæ cupido: corporis iactatio. Præterea anni tempus percalidum, æſtiuum, & locus calidus: & exercitia grandia: & victus ſiccus, temperies bilioſa, iracundiæ, anxietates, cogitationes intenſæ: ætas virilis, aut iuuenilis. Pulſus paruus à principio, in augmento celer: in vigore maior, vehemens, velox, frequens, ordinatus ferè, æqualiſque: noctes præcedentes acceſſionem moleſtiſſimæ. *Signa 28. præcedentia tertianam ex Medicis.*

2 Hæc ex Galeniſtis indicia tertianæ habemus: quibus Galenus ait, ſi addas, quod eodem tempore tertianarij fiunt multi: indubitatum etiam à primo die habes ſignum, quod acceſſio tertianaria ſit, à bili flaua ortum ducens. *Signum 29.*

3 Mihi autem non videtur ſic exactè pronunciandum: etenim à bile flaua, etiam continuam fieri febrem cauſus declarat. Qui propterea abſque rigore incipit, quod plurimis vel vbique locorum ineſt bilis, nec quem fugiat prius habet ſpiritus. Propterea rigor fit mordicante bilioſo humore arterias venaſque, ſpiritúmque implantatum. Cum autem febris eſt intra vaſa, non eſt punctio *Correctio.*

ctio illa mordacitásque, donec bilis extrudatur ex vasis: Propter-eáque Hippocrates nouit febrem ardentem rigore superueniente dirimi, cessaréque. Cum enim spiritus pugnans attenuauerit bilem, educit per fibras venarum, & cum transit bilis mordet, rigéntque ægri, & sanantur. Hoc tamen signum non subitò nos certos facit, quod tertiana erit febris, si rigor adest.

Quotidiana etiam ex bile flaua.

4 Fit etiam ex bile quotidiana cum bilis abundat, nec satis potest expurgari, quin secundo die ex reliquiis non reficiatur, & quidem cum iisdem signis, in vrina, & rigoribus, & pulsibus, sicuti in tertiana. Medici autem id experti vt dogma tueantur, duplicem tertianam esse dicunt: propterea quod aliis horis fit inuasio hodie & cras, & minoris altera est afflictionis Nos autē ostendimus ex eo, quod febris nō est topica, sed vniuersalis, in huiusmodi quoti ianis necesse est vt idē humor singulis diebus accendatur, etiā si in aliū alius partis humorē accendatur febris.

Item quartana.

5 Quartanas etiam fieri ex assata bile concedunt Arabes, ac Medici multi.

6 Quapropter tertianas à bile plerumque fieri puto: sed etiam ex aliis causis: etenim exquisitam & notham faciunt Medici tertianam: illam ex bile flaua putrente circa hypochondria & fel, hanc ex pituita & bile putrentibus circa primam corporis regionem: quæ cum rigore aut horrore minus vehementi fit, & symptomata eadem habet, sed mitiora: & vrinam crudam magis, rufamque minus, & accessiones longiores, & plures. Illa enim septem circuitibus terminatur: ista pluribus, estque periculosior: vnde & per totam hyemem ab autumno in ver protractam Galenus vidit. Sed profectò ex pituita & atrabile potius hanc fieri crederem: nec tanquam ex contrariis elementis combinatis, vt Medici faciunt: sed sufficit humoris crassities cuiuscunque. Mistura enim illa non conuenit, & pituita mistione bilis magis accenditur dissipaturque. Ergo si quotidiana est breuior, ex bile erit; aut fatendum pituitam esse tertianæ etiam causam, præsertim si salsescat, vt mordicet: & crassescat, vt duret. Galenus etiam ex tertiana & quotidiana continuis & confusam accessionem habentibus componit speciem hemitritæi, ne cogatur dogma deserere, cui experientia contradicit.

7 Signa ergo validissima sunt excretiones, & tempus, & ætas, & victus, & locus, & temperies ad discernendum humores, potius quam febriles typi.

Pluri

Plurima quidem Galeni signa sunt, bilem accusantia in tertiana: sed excrementa & iam dictæ res, certiora: & hinc quibus vtendum pharmacis, rationem inibimus.

De quartanæ signis, & causis speciatim.

1 QVartanæ febris exquisitæ Gal. ponit; si inuadat quarto quoque die, accessionésque longas tantasque, quantæ in tertianis, aliquando vero longiores, cum à frigidiori siccáque bile atra producitur, augmentum rigoris aut à febre accedit, sensumque facit non pungentis, sed vehementem algorem inducentis, & tanquam frangentis ossa; ideóque in principio quasi retractionem arteriæ: & pulsus nec ita paruus vt in tertiana: nec ita magnus, vt in quotidiana: est ergo tardus, & rarus in principio accessionis: deinde in augmento velox & frequens, inæqualis in vna pulsatione, velocior in principio & fine, quam in medio: succensio est quasi corporis frigidi & sicci, quæ humidum non emittit, neque incombustum aliquid relinquit, ideoque remissio & intermissio exquisita fit: vrinæ sunt tenues, albæ & aquosæ, quasi per materiam crassam excolatæ. Fit potissimum in autumno, & in melancholica temperatura, & in spleneticis, & vbi quartanæ fieri consueuerunt, & si pulsus in infebricitatione sunt rariores & tardiores naturalibus. Præterea ait Gal. si humor melãcholicus non putrescat, neque per partes sensiles deferatur, non efficiet quartanam, sed affectus splenis, herpes, cancer, phagedæna, elephantiasis, aliique morbi citra febrem exorientur. *Signa quartana præcedentia, ex Galeno.*

2 Rectè quidem Gal. ex crasso humore atrabilioso generat quartanam, sed non recta ratione plerumque, neque ex typo benè peccantem atram bilem agnoscit. Etenim si crassior est atra bilis quam flaua, accessiones habeat diuturniores oporteat, eiusque reliquias esse plures: ergo non quarto quoque die inuadet, sed longè prius; vnde etiam ipse fatetur, dari quartanam duplicem & triplicem, cum trium dierum præcedentium inuasiones respondent inuasionibus quartis subsequentium. Præterea putauerunt Arabes quartanam ab omni humore fieri, nedum ab atra bile: aliquando enim à sanguine crasso sordidóque; quod vrina rubra, sanguinis exuberantia, temperies, & periodus quaternaria, manifestant. Similiter ex adusta bile quartanam generant, quod intemperies & pulsus velocior frequentiórque, quam *Correctio.* *Bilis atra omnis febris causa esse potest.* *Quartana quoque ex omni humore oriri.*

in cæteris quartanis, & calor maior, & ſitis, & æſtus, & continuitas febris, coniuncta indicant. Præterea ex pituita ſæpenumero quartanam oriri ætas puerorum indicat, nulla vſtione atra pollentium, ſed cruditatibus & ciborum ingurgitatione, quod etiam Ariſtoteles agnouit. Tandem ſolius ſplenis vitio fieri quartanam indicat ſiniſtri hypochondrij dolor, & tumor, & corporis habitus; in quo Galeni dogma melius ſeruatur: verum & ab hepatis vitio fieri, tumor hypochondrij dextri, & corporis habitus ſanguine turgens indicant. Solent quartanæ ex aliis febribus, & erraticis ſuboriri, autumno ſuperueniente; quod ſatis indicat craſsitiem humoris eſſe cauſam. Ipſa quoque quartanarum duratio, quæ etiam & ad duos treſue & plures viſa eſt extendi annos.

4 Quapropter non ex typo agnoſcemus atram bilem peccare, vt faciunt Medici: ſed ex excrementis, anni temporibus, præcedenti victu, & paſsione naturali, accidentalique.

Poteſt fieri quartana & omnis febris humoralis, etiam ſi non putreſcat humor.

5 Illud tamen quod Gal. ait, quartanam non fieri, niſi humor putreſcat atrabilioſus, quãdoquidem multi citra febrem atra bile infeſtantur; non eſt omnino verum. Etenim & febres multæ, citra putredinem fiunt, & omnis putredinis obſtructionem eſſe cauſam Gal. docet *Methodi* 11. Conſtat autem & ephemeras ab obſtructione oriri, & hecticas, & putridas. Præterea non videtur febris, cum humor atrabilioſus in aliquam ſeceſſerit partem exteriorem, febrem gignere, niſi topicam. At ſi intra vaſa, & in principalibus ſordeſcit locis, proculdubio febrem facit, quoniam infeſtat ſpiritum, non quia putreſcit. Putredo tamen eſt accenſio ſordida, vitians ſanguinem, non à calore externo facta, vt Medici cum Ariſt. arbitrantur; ſed ab interno in materia, non naturali facta. Vt enim dicebamus *in* 3. *lib*. putreſcunt omnia proprio calore materiam laxante colliquantéque, & craſſum mittente vaporem, non autem ab exſiccante, & tenuitatẽ emittente. Ergo cum in humoribus hoc fieri non poſſit, ipſa commiſtio praui ſucci cum bonis alterat bonos, ad cuius purificationẽ ſpiritus & motionem, & calorem auget: quod eſt febrire. Omnis enim ſequeſtratio fit præcedente coctione, & concomitante motione. Coctio vero calore aucto; augetur autem ex ſua operatione, quæ eſt motus, nedum amplificatiua vi ſui poteſtatiui.

De

De curatione cuiuſcunque febris humoralis, intermittentis, & remittentis generatim.

CAPVT VII. ARTIC. I.

1 IN curatione remittentium,& intermittentium febrium, primò febrilem calorem fouebimus, vt poſſit humorem peccantem attenuare & vincere: ſimiliter agitationem, vt poſſit validius impellere. Ergo ſpiritus ipſe calidus mobiliſque natura iuuandus, vt calefaciat, moueátque: & ſimul inſtaurandus ne deficiat, dum plurima ſui pars exhalat. Secundò humorem peccantem minuemus, euacuabimus, & vias euacuationi aptas faciemus, quominus infeſtet ſpiritum, irritétque ad pugnam. Tertio damna ſpiritui, & ſanguini,& ſoliditati; ex tali ſubſequentia bello, reſarciemus, & prouidebimus, vt non ſequantur, vel minora ſequantur.

Iuuandus calor febrilis, & motus in curatione.

2 Ergo ſicuti in aliis dicebamus febribus, frigida non applicabimus, nec ſub frigido aëre, & frigido ſtramine patiemur ægrum iacere, nec frigida totum lauari, & quacumque via poterimus feruorem fouebimus, motum verò iuuabimus, ſi non cibabimus ægrum in principio, vel in augmento febris, ne, relicta bellica agitatione febrili, ad comeſtionem retrocedat, vel cibi vapore grauetur; quo minus agitare queat. Neque ſanguinem detrahemus, cum febricitat, ne metu à pugna recedat: neque ſyrupos, aut pharmacum, tunc temporis propinabimus. Neque curas familiares,& doctrinales,& mœſtitias & dolores ſuſcitabimus ægrotanti, ne ſpiritus à pugna in has recedat paſſiones. Neque motus arbitrarios ei ſuadebimus, ſed in naturalibus relinquemus.

Quomodo iuuatur calor, quomodo motus.

3 E contra confidentiam vincendi morbum bonis verbis immittemus,& à cœlo,& Medicina & Rhetorica ſalutem augurabimur, lætitias excitabimus. A ſomno arcebimus, ne minus vacet pugnæ, dum refectioni vacat: nec malus humor fomentetur.

Tempus cibandi.

4 Cibum non miniſtrabis, niſi poſt febris ſtatum, cum videlicet dilatationes contractionibus ſunt maiores in pulſu, & victor ſpiritus foras diffunditur. Dum tamen pugnat, licebit odores non acutos, ſed mediocres adhibere,& nutritiuos, quales ex roſis,& pomis,& aſſatis carnibus,& vino ſuper calefactum perfuſo panem. Ex his enim ſubitò recreatur, abſque labore, nec rece-

dit ipſorum vincendorum gratia de prælio. Hoc autem ſis præcipuè, qui deficere videntur,& quorum acceſſiones longæ ſunt, moleſtæque, & potius ante inuaſionem & in ſtatu,quam in principio & augmento.

Qualitas ciborum. 5 Victum tenuem & frigidum laudant, magiſtri Medicorum in febribus: adduntque humidum. Nos autem tenuitatem laudamus,cum humores abundant; frigiditatem minimè,niſi reſpectiuam, & non propter febrem, ſed propter damna illata membris,ne habitum concipiant hecticum: ſicuti paulò antè dicebamus. Humiditatem, & fluorem laudo, ob facilitatem nutriendi *Potus qui.* ſpiritum & irrigandi ſolidum. Et quidquid aptum eſt magis in ſpiritum, quam in humores, præſertim peccantes,conuerti. Vinum aquoſum non negarem febricitantibus. Aptius enim eſt ſpirituum refectioni, & aperire viam tranſpirationibus, & proficere concoctionibus; & apponere & concorporare ſoliditati nutrimentum;officit autem habitui, vt fiat hecticus,propterea non *Cautio.* omnibus prodeſt, vt mox palam fiet. Prodeſt autem ſuccus granatorum, & iuleb, & violaceus ſyrupus,& aqua hordei,cum talia timentur.

6 Et cum vires labi videntur, audacius nutriemus ſpiritum, quàm bello ſuccumbere diminutum paulatim ſinamus:propter vitam enim eius, pugnam febrilem volumus, non propter pugnam ipſam; quam ergo ſatius erit omittere, quam vitam.

7 Humores peccantes præparamus ſyrupis, reddimus euacuationi aptos minoratiuis; euacuamus pharmaco, attractiuo, *Cautio eiuſque ratio.* expulſiuoque,ſicuti *in lib.* 5. dictum eſt. Hoc autem facile fiet, cùm Medicus quis humor in quauis febre peccet reſciuerit. Cauendum autem ne à typis illum modo venetur, vt dictum eſt prius; cum quiuis humor, quamuis febrem, in loco etiam quouis,excitare queat.

Quando propinandum eſt pharmacum & ſyrupi. 8 Regula eſt, ne ſyrupi & pharmaca minorantia, & ſoluentia, propinentur, cum febris eſt in principio, vel in augmento, vel in ſtatu, ſed potius in tempore intermiſsionis, vel ſaltem remiſsionis:nō enim poteſt ſpiritus conflictatione cum morbo laborans, expulſioni pharmaci operam dare. In continuis autem vbi materiæ turgent, ſi res poſtulat, quocunque tempore propinabimus, non enim quietem ſperamus, & fœdus.

9 Sed dicetquis, cur febris, cum ſit pugna ſpiritus contra morbum,non miniſtramus ſpiritui auxilium cum pugnat febriendo?

Quid

Quid enim prodest post bellum auxilium? Propterea enim medicamentum trahit ad se humorem, quo cum spiritus pugnat: & quem expellere satagit. Ergo tunc cum satagit, est iuuandus. Melius enim est medelam adhibere, cum adhibet natura, quam alio tempore. Neque enim Medicus aliud facit, quam quod natura intendit facere: ergo & quo tempore. *Dubitatio an in accessione sit propinandum pharmacum.*

10 Respondeo quod febris à spiritu accenditur ad coquendum causam morbi primò, hoc est, ad reddendum aptam expulsioni: deinde sequitur expulsio. Et si totalis est, non reuertitur ad pugnam; si partialis, vel humor reficitur, tunc reuertitur, & eò validius, & fortius, & prius, quò confidentior est spiritus, & fortior ad pugnandum, vt meminit Galenus. Nos etiam diximus, quò prius, atque magis irritatur. Cum ergo præparat spiritus expulsioni humores, non sunt trahendi pharmaco, ne simul id, quo commisti sunt, ante concoctionem, trahat: nisi turgentes per se erumpant, vt in superioribus libris declarauimus. Vtemur ergo iis, quæ spiritum augent, iuuántque calorem & agitationem, non autem attractione humoris medicinali. Præterea, neque cum coqui apparent humores, quod non vna accessione fit, sed pluribus in intermittentibus, si feruor pugnæ adest propinatur pharmacum. Huius enim est ex omnibus partibus humores accersere ad centrum, quos spiritus per feruorem tenuefacere & ad peripheriam transpirantes ducere intendit. Ne ergo fiat simul contrarius motus, pharmacum febrienti non propinamus, nisi in continuis, & vbi necessitas vrget. Licebit tamen per sudores tunc vacuare; etenim plurimi vino saturati in accessionibus incalescunt, & culcitris superpositis exsudant morbum totum. Aliis vomitus concitatur & alui deiectio, turgentibus introrsum humoribus. Vidi etiam prunis non maturis febricitantem exsaturatum, vomuisse morbum totum, cruditate & aciditate prunorum trahente tanquam pharmaco humores in ventriculum, instigantéque spiritum ad pellendum. Si ergo certi fuerimus, quod natura in centrum sese exonerat: licebit etiam in conflictu febrili attrahentia largiri medicamina. Et quò mouendum natura innuit, eò si moueris semper iuuabis: si præfatæ suspiciones abfuerint. *Responsio.*

11 Hoc in loco peccantium humorum focum, in quo febris accenditur à spiritu, considerabis: & quod membrum eius morbi officina esse solet. Nam pituita in ventriculo, atrabilis in splene, flaua in felle, hydropica febris in iecore suum habēt principium,

aut fomentum. Propterea pharmaca respiciant & humorem, & membrum eius originem: & extrinsecus adhibebis ea, quæ illi fauent membro ad proprias functiones p·ragendas, suámque temperiem seruandam, ne causam mali vlterius gignat.

12 Qua ratione damna prohibenda sunt, aut abolenda, patet in his, quæ hecticam & continuas alias, curantes diximus. Hoc tandem admonebimus, quod vbi sufficit natura ad morbi expulsionem, quod in intermittentibus facilè fit, vbi vires validæ, abstinendum est à purganti pharmaco, & iuuanda est natura extrinsecus per emplastra, odores, vnctiones, & cibos, & potus medicaminosos. Morbus enim, vti Plato in Timæo admonet, sua principia, media, & fines habet naturales: sicuti & cætera entia, & propterea expectandus est finis: potius quam pharmaco irritandus morbus, ne deterior fiat, quod & Galenus docuit in his, qui ex simplici quartana fecerunt duplicem, & triplicem, quia ante tempus medicamen acceperunt. Oculatissimi autem Medici est videre, an natura valeat per se morbum vincere, & sanguinem vitiatum rectificare.

De cura quotidianæ, speciatim.

ARTIC. II.

Cura quotidianæ ex Galeno. 1 CVram quotidianæ speciatim instituens Galenus, oxymelite vtantur post primos (inquit dies: & illis quæ probè possunt vrinam ciere, vniuersumque totius victus caput sit ad incidendum efficacius. Circa statum verò de ventriculo est habenda sollicitudo: & de ipsius præsertim ore. Deinceps iubendum est, vt post radiculas & cibos assumptos vomant. His etiam quæ pituitam subducunt, vtendum.

Curationis prædictæ ratio. 2 Sapienter quidẽ & si omnis quotidiana ex pituita fit, Galenus non statim medetur: sperat enim fortasse pituitam in sanguinem verti, ac febrem cessare. At si non cessat, post tres dies dat oxymel, quo pituita inciditur per acetum, & abstergitur per mel. Ea quæ vrinam mouent, vt cæpa, asparagus, origanum, apium, & omnia attenuantia, calidáque acuto calore & exili, non robusto. Per hæc enim pituita inciditur, attenuatur, digeritur, expurgatúrque. Cum enim crassa sit, incisiuis, & subtiliatiuis vincitur & calefactiuis, non calore torrente, ne salsescat, aut viscida crassiórque fiat; sed attenuetur modò pars minus repugnans, aliáque

fluida

fluida fiat, vel ſangueſcat. Propterea ergo victum incidentem & attenuantem inſtituit, potiùs, quam calefacientem;quod non faceret, ſi peccatum pituitæ eſſet in frigore.

3 Circa ſtatum morbi curat ventriculum; eſt enim principium morbi,quando apparent ſigna occultæ digeſtionis,vt ait, 1.*de criſ.* 17.*&* 18.augmentum, quando manifeſtæ: ſtatus, quando completæ: declinatio, quando expulſio. Accidentium verò principium eſt inuaſio: augmentum eſt feruor; ſtatus à vigore: cum deficere incipit, fit declinatio.Hic autem de ſtatu morbi eſt ſermo, qui in quotidiana ſolet Medicis poſt diem ſeptimum celebrari. Stomachum autem confortant mentha,myrtilli, aniſum, maſtiche,& alia *in lib.* 5.*&* 6.iam dicta:vbi & quę euacuāt ſtomachum, id eſt ventriculum, habes. Hoc autem dicit, quoniam pituita in ſtomacho præcipuè fit. Sed ſic,oportebit adhibere non adſtrictiua,ne craſſeſcat pituita;ſed,inciſiua & abſterſiua,ac ſimul ventriculum per ſympathiam conſeruantia.

4 Vomitū etiam rectè imperat:pituita enim etſi craſſa, tamen ſupernatat ſtomacho, & difficilè peraluum educitur; & ori eſt vicinior, niſi quæ in abdomine & meſaraicis eſſe dignoſcitur; per ſudores autem non euacuatur, ſed ſua craſſitie replet meatus,per quos tranſit. Nulla ergo curatio pituitæ melior,quàm per vomitum. Et hoc verum eſt, ſi pituita non eſt ſanguis crudus, veluti ponitur Medicis,ſed ſuperfluitas viſcoſa & fluida, & mucoſa, vti *in* 1. *lib* docebamus. Quæ autem ſubducunt pituitam ſunt agaricus, hiera, turbith, & alia dicta ſuis in locis. Similiter ſyrupos propinabimus digerentes phlegma, & minoratiua ſecundum artem.

5 At cum non omnis quotidiana ex pituita fiat, eiuſdem præſertim generis, non videtur Galenus ſufficiens, neque ſcopum attingens. Hoc quidem, quoniam febris curam ſuſcipit, cum potius in pituitoſis morbis ſit iuuanda, quam proſternenda: illo vero, quoniam non omnis quotidianæ curam docet. *Correctio.*

De exactiori quotidianæ cura.

6 CVm enim quotidiana ex pituita oritur ſalſa, cibus humidior conuenit, & aër, & aqua ſacchari,& remedia parum inciſiua. Syrupi quoque erunt ex minus calidis, minus coquentibus, ac minus incidentibus; vt ex borragine & fœniculo. Cognoſcitur *Cura quotidianæ ex ſalſa pituita*

Signa. gnoscitur autem salsæ pituitæ peccatum ex molestiori siti, horrore vehementiori, & rufa vrina, & pulsu velociori, quam in cæteris quotidianis. Ex hac etiam pituita solet tertiana, & quotidiana continua fieri.

Cura quotidianæ ex pituita dulci. 7 Quando verò ex pituita dulci fit quotidiana, quod minor sitis & crassiora excrementa probant, & somnolentia; tunc victus tenuior, aër mediocris, ad siccum vergens calidumque, potus aquæ cinam. vel vinum vetus album, subtilis substantiæ cum aqua cin. syrupi quoque medij inter eos, qui dantur salsa pituita læsis, & qui vitrea, acidáque: pharmaca quoque sint mediocria.

Cura quotidianæ ex vitrea. 8 Etenim vbi vitrea febrem irritat, quam frigus & fames aliquando ob ventriculi punctionem ab eius acore, indicant, & nulla sitis, vt dictum est de epiala: tunc cibus magis attenuans & incidens prodest, & syrupi ex mentha, absinth. corticibus citri, ex quinque radicibus, decoctum eupat. hyssopi, fœniculi, pulegij: oxymel, mel rosac pharmaca ex turbith, agar. sena. His dabimus vinum cum aqua pulegij, vel hyssopi, &c.

9 Item cum humores crassi copiosique ventriculum adeo grauant læduntque, vt syncope oriatur, si phlegmone & apostema intus adsint: non est curabilis ista febris, veluti & mortifera est putanda, cum nullo pacto humores coqui valent, & compacti putrescunt. Quod si tanta contumacia & phlegmone desunt: tunc syncopen vitabimus, aut fugabimus vino veteri tenuis calidæque substantiæ, optimique odoris. Magis autem aqua vitæ, vel quinta essentia aquæ vitæ nuncupata: quæ maximam ob tenuitatem & caliditatem substantialem subito & spiritus reficit, & crassos humores dissoluit. Vnde Galenus etiam syncopen, quæ non crassis, sed biliosis tenuibusque fit humoribus, & vt Auic. ait, potius ventosis, potu vini profligauit, dissoluendo flatum, & spiritum augendo, quidquid dicat Medicorum vulgus.

10 Curabimus quotidianam diurnam fortioribus pharmacis, quam nocturnam. Cum enim pituita in nocte plus vrgeat, & in hyeme: si in die mouet bellum, validior est quam quæ in nocte. Tollit etiam somnum, & pluribus ægrum infestat modis, & diuturnior.

11 Potentiorem arbitror esse, quæ bis in die inuadit. Et si pituitæ signa apparuerint, tenui victu, incisiuis, calefactiuis vtendum. Sin alij humores, pariter pro illorum naturá, & victu, & medica

medicamine, vt ex sequentibus notum erit sermonibus.
12 Fit etiam quotidiana ex humore bilioso multóque, quam notham tertianam, aut triplicem vocant Medici. Curam eius sicuti in biliosis febribus continuis, vel quotidianis suscipiemus: sic etiam cum ab atra bile proficiscitur, licet rara sit, erit curanda, sicut solemus atrabiliosos.

De cura tertianarum.

ARTIC. III.

1 Tertianam exquisitam curat Galenus 1. *ad Glauc.* 9. remediis cibísque humectantibus & frigefacientibus. Vtitur ergo aëre huiusmodi, & in cibum atriplice, blito, lapatho, malua, lactuca, cucurbita, succo ptisanæ, alica, piscibus saxatilibus: auibus quæ mollibus constant carnibus: cæterorum alis, testiculis gallorum, pedibus cerebrísque porcorum. Sed porcellorum etiam assatis carnibus, ouis sorbilibus, præcipuè vitellis; fructibus & iis, qui coctu difficiles non sunt. *Cura tertianæ ex Galleno.* *Cibus.*

2 Purgat bile corpus per inferiora, cum illorsum repit: per vomitum, cum ad ventriculum, sicuti & spontè naturæ fieri solet. Ventrem clysteribus mollibus inanit: vrinam anetho, apio, & huiusmodi prouocat; addit absinthium, vbi coctionis signa apparuerint: quod præcipuum contra bilem est remedium. *Pharmacia.*

3 Vtitur deinde post calidi olei inunctionem, balneis calidis, dulcibusque, tum ad refrigerandum humectandúmque corpus, tum ad alterandam bilem contrariis qualitatibus, tum ad cutim laxandam, extrahendámque perinde bilem. *Applicanda.*

4 Vinum negat, nisi coctionis signa adsint. Salsa & acria deuitat semper; & mel, & sinapi, cæpam, & huiusmodi.

5 Addit Auicen. phlebotomiam, vbi humores multi, & rubra vrina apparent.

6 Hæc Galeni decreta, vbi bilis tenuis flauáque tertianam gignit, reprobari nequeunt, si & rationẽ ipsorũ quis probè teneat. *Examen.*

7 Haud enim vtendum est frigido aëre, victu, potúque, vt febris retundatur. Frigidis enim vtemur, vt affectus hecticus in soliditate non fiat, nec bilis nutriatur, nec euaporet id, quo spiritus offendatur. At sic non est tollere febrem, sed longiorem facere. oportet enim attenuari, atque expelli bilem, quod frigido aëre & victu impeditur.

Victus à principio. 8 Esto ergo à principio victus tenuis,& cal dus, & tepens aër, præsertim vbi bilis in hyeme febrem hanc gignit. Non tamen calidus in substantia cibus,sicuti piper,& allium,& sinapis;ne facilè vertatur in bilem, nutriátque morbum. Sed calidus sit humidusque ac tenuis, ea tamen caliditate blanda, quæ bilescere nescit,qualis in buglossa, acetosella,intubo, & similibus.

9 Attamen paulò pleniorem desidero victum in tertiana,quam in quotidiana,seu pituitosa febri: retundit enim acrimoniam bilis,& exsiccationi occurrit, & spiritui elabenti successorem facit copiosum. In biliosis enim exhal..t copiosior, quam in pituitosis febribus.

Occurrit obiectioni. 10 Et licet Galenus tenuẽ victũ præscribat aliquando,modicũque febribus breuioris tẽporis:nullàque sit breuior tertiana, quæ cum longissima est,septem circuitibus,hoc est, vigesimo die soluitur:aliquando enim quinto,aliquando quarto,aliquando tertio cessat omninò, vbi materia morbi tenuior, concoctúque facilis: nam cum signa coctionis apparent in principio, non progreditur vltra tertium circuitum. In ea autem quæ longior futura est, pleniori cibo Galenus cibat. Nihilominus hoc verum est,vbi expectatur conflictus & crisis subitò,& à principio. At paulò post ob resolutionem spirituum & calorem auctum cibatio plenior debetur. Non resoluuntur autem spiritus in aliis febribus tam copiosè, quam in biliosis. In quibus etiam valdè attenuantur & exacuuntur ad delirium. Idcirco plusquam in pituitosis alendi sunt tertianarij biliosi: cóque magis, quod bilis cibo pleno non augetur,sed tenui. Et quidem à Galeno cibi nominantur optimè congruentes tertianæ,exceptis forte pedibus suum, qui ob crassitiem difficile conuertuntur in substantiam cibati, haud tamen in bilem: & profectò caro suilla directè bili aduersatur.

Victus post principium. 11 Post principium verò,& cum signa coctionis apparent,tunc frigida propinari possunt, ne reliquiæ hecticæ fiant:& ad hoc valet frigidæ potus,vt diximus in causo:nõ ad febris extinctionem, quo nihil lethalius,vbi natura febriendum est, sicut nuper dicebamus. Balnea quoque dulcia ad idem valent, vtque simul tenues biles efferantur: cui intentioni contraria sunt balnea salsa, & nitrosa.

12 Planum est enim in nostro dogmate, quod febris accendi non potest, nisi spiritus infestetur ab humoribus. Humores autem non infestant, nisi ob copiam,aut sordes: quæ abundant vel

sordido

ſordido alimento, vel ex prohibita tranſpiratione cutis, vel adſtrictione venarum, vel alui, vel aliarum viarum, per quas educi ſolent excrementa. In hoc ergo valent Galeni decreta: vt per vrinam, & tranſpirationem, & alui deiectionem, & vomitum peccans bilis, omniſque alius ſordeſcens aut onerans humor, expellatur. Et hæc tota ſumma curationis.

13 Symptomata etiam oportet tollere: & iecur, in quo fit bilis, ſeruare per ea, quæ dicta ſunt prius.

14 Præterea quando tertiana non à ſola bile efficitur, ſed ab omni humore: In hoc ſatagendum eſt, vt agnoſcatur humor & cauſa; ac educatur, ſi in bonum verti non poteſt. Quod quidem dicere de bile atra, flauáque nequimus. Ex pituita enim eſt via ad ſanguinem, non autem ex bile; cum potius ex ſanguine ſint aduſtiſſimo: & de priuatione ad habitum non ſit regreſſus, ſicuti eſt de imperfecto ad perfectum acceſſus. *Cautio.*

15 Ea quæ bilem euacuant *in 5. lib.* diximus, & mox dicemus. Interim nota, quo modo abſinthium natura amarum, bilioſúmque bilem extrahat per attractionem & ſympathiam, ſupra remedia omnia. Nam & abſinthio veſcentes pecudes, bile carent, & fellea veſica: quæ vſu dempto minuitur, deinde tabeſcit extrahitúrque ſympathia abſinthij. *Nota de abſinth. contra bilem.*

De tertianis, illegitimis vocatis.

16 QVomodo curetur febris continua à bile, & remittens, dictum eſt prius. Nunc de tertiana, quam vocant propterea notham, quod ex pituita & bile componi arbitrantur, eò quòd extenditur vltra ſeptem circuitus, & ſigna coctionis in ea apparent tardius; paroxyſmus excedit 12. horas: & rigorem habet longiorem, quam pura tertiana, nec ita magnum. Aliquando etiam abſque rigore incipit. Caliditatem non multam habet: augmentum verò inæquale, & accidentia minus ſæua; eadem tamen. *Signa tertianæ nothæ.*

17 Propterea Galenus, 1. *ad Glauc.* 10. dat plus cibi ægrotantibus, quam in pura tertiana, vt poſſint ad morbi diuturnitatem ſufficere: & vbi vires validiores, minus; vbi debiliores, plus; eiuſdem tamen generis atque in pura: ſed tamen paulò calidiorem. Alij rectè in die quietis bis cibant benè; ſemel in die acceſſionis ante acceſſionem: & aliquid modicum in remiſſione. Inciſiuum ex parte offert Galenus, & calefactiuum, vt craſſities pituitæ pel- *Cura ex Galeno.*

latur: ponit & piper in cibo. Præterea in mulſa coquit origanum vel hyſſopum, vel ſpicam nardi ad potum: & prouocandum vrinam; & cætera huius generis.

18 Vtitur & phlebotomia, quoniam plenitudo eſt humoris, & euacuationibus iam dictis, præcipuè per abſinthium: vomitum prouocat poſt cibum; & clyſteria ante non admodum mollia, qualia ex malua, mercuriali, foliis violæ nigræ, origani, hyſſopi. Alij Medici addunt alia, quæ propius reſpiciunt pituitam.

Tertianam fieri ex pituita.

19 Quibus ex decretis facile colligimus, tertianam etiam à pituita fieri, nec bilem addi, niſi quemadmodum in cæteris cauſis morbificis: quæ omnes Iouberto bilem ſecum habent. Quod & vomitus vtilitas conteſtatur: & ſine rigore paroxyſmus, & medicamenta conferentia pituitoſis. Et quoniam Galenus per ſex menſes duraſſe vidit hanc tertianam, nos verò per tredecim tertianam hanc etiam duplicem: quod mirabilius eſſet, ſi à bile tenuiſſima continuo agitata eductáque facilè, fieret, & non potius ex pituita. Tertianam ab atrabile conteſtantur, & continuitas quartanarum & multiplicitas, vt ſuperius dictum eſt. Ideóque curanda iis, quæ bilem purgant atram.

Item ex atrabile.

De quartanarum intermittentium cura ſpeciatim.

ARTIC. IV.

Tempus & effectus quartanæ.
Cura ex Galeno.
Victus.

1 QVartana intermittens habetur pro tutiſſima febrium quamuis longiſſima; nam quæ incipit in autumno, deſinit in vere plerumque. Eſt etiam vbi ad duos, tres, imò plures annos porrigitur, & ad 12. ſi credimus Auicennæ. Contingit tamen plerumque ob tot febriles circuitus habitus hecticus à calore & ſiccitate. Et cum lien ſcirrhum ob hanc febrem incurrit, aut cancroſam diſpoſitionem, lethalis eſt, & ſæpe hydropem affert. In æſtate exorta breui ſanatur; in hyeme vel autumno, tardiſſimè. Et peſſima eſt, quæ non per ſe incipit, ſed ex præcedenti morbo, qui aſſauit ſanguinem.

2 Quartanam Galenus, 1. *ad Glauc* 11. ab initio leniter tractat abſque medicamine, & euacuatione, niſi fortè ſanguis abũdet: & tunc inciſa vena interiori, vel media ſiniſtri cubiti; obturanda tamen, ſi non craſſum, nigrumque, ſed tenuem aut flauum emittat. Deinde victum inſtituit ſine flatibus ac optimum. Prohibet ſuillas carnes, omniáque tenacia edulia, & tardum habentia exitum: & refrige

& refrigerantia & exſiccantia. Probat volatilia boni ſucci, in paludibus non degentia. Probat & piſces coctu faciles, molles carnibus; nihil tenax habentes. Item ſalſamenta & ſinapi. Vinum imperat album, tenue, ac mediocriter calidum. Certis diebus diatrion pipereon medicamen in potu dat, vel dioſpoliticum. Commendat etiam ſi quotidie piper cum aqua bibat æger. Frictiones laudat magis quam balnea: laudat & deambulationes, & exercitia ordinaria: ſi quartana ſit leuis, nec admodum violenta. Præterea mollibus cibis & ſorbitionibus (credo) ſolitis aluum mollire iubet. Quibus non proficientibus, clyſteribus vtendum, à principio quidem mollibus, poſtmodum vero acribus. Hæc omnia ab initio ad ſtatum.

3 At in ſtatu ſubtiliorem victum dat, quam ante vel poſt. Quietem imperat, viſcera cataplaſmatis quæ mollire & laxare valent & vnguentis afficit. Deinde quæ vrinam cient propinat; & vbi coctionis ſigna apparuerint, pharmacis atros humores tollentibus purgat, non ſemel ſed ſæpius, ſi viſum fuerit, vomitum à cibo procurat etiam elleboro albo radiculis permiſto: vel per ſe, vbi permiſtum non iuuerit. Purgandi autem per inferiora ſunt, qui ad vomitum ſunt difficiles. Deinde theriacam dat, ſuccumve cyrenaicum. Et hunc non ſeruanti ordinem proteſtatur ex ſimplici quartana, difficiliorem vel duplicem efficere, & ex duplici triplicem. Quemadmodum Eudemo Philoſopho accidiſſe idem Galenus *in lib. de præcognitione* narrauit. Siquidem humor medicamento perturbatus plus vrget, & partibus in pluribus, non autem educitur crudus adhuc. *Cura in ſtatu.* *Periculum non ſeruantis hanc pharmaciam.*

4 Haud rectè quidem Gal. videtur victum in quartana instituiſſe, quandoquidē non niſi ex atra bile vel humore melancholico, quem ſiccum calidumque eſſe docuerat, conſtituit. Etenim etſi bene improbet refrigerantia & exſiccantia, haud tamen benè ſalſamenta & ſinapim videtur iubere: ex quibus ſequitur ſanguinis aſſatio, & atræ bilis generatio. Quod ſi hoc fecit experimento ductus quod iuuerit, exiſtimare debuerat, non ex atra bile omnem fieri quartanam, ſed etiam ex pituita craſſa; quam attenuare minuereque oportebat. Neque enim trium piperum medicamen alia ratione valet, cum eius vis ſit aſſare ſanguinem, & aſſatum exſiccare atque indurare, ex quo ſequitur atræ atque flauæ bilis generatio, iuxta Galeni dogmata. Niſi agnoſcamus in quartana pituitam, & cruditatem, in pueris præ- *Ratio periculi.* *Correctio.*

Victus quartana ex atrabile secũdum proprii dogma. sertim atque mulieribus. Leo etiã quartana dicitur laborare, ob ingentem, pipereumque calorem, quo sanguis assatus plurimum melancholiæ gignit. Igitur in quartana ab atra bile, victum calidum humidumque instituemus.

5 Est etiam alia quartana à pituita crassa crudaque, in qua calidus, & incisiuus, & tenuis substantiæ est parandus.

In quartana ex pituita. 6 In quartana verò ex salsa pituita crassaque ortum habente, humectans victus, & non adeo incisiuus, vt in pituitosis cruditatibus; neque adeo calidus, instituendus est: quemadmodum & in tertianis dicebamus. Auicenna vero hanc agnoscens quartanam, refrigerantem & humectantem præscribit.

In quartana ex salsa pituita. 7 Cum vero ab adusto sanguine, non adeo torrefacto ortum ducere agnouerimus, cibus erit qui humectet, & leniter calefaciat, & sanguinem gignat tenuem.

Ex sanguine adusto. 8 Quod vero in principio medicamenta non propinat Galenus fortia, ne crassus humor perturbetur, bene est, sed præparandus videtur ad coctionem.

In Galenum. 9 Nescio qua ratione Galenus expectet quartanæ statum ad huius morbi curationem, in quo & victum tenuiorem, & quietem, & cataplasmata, & vnctiones viscerum præcipit; cum palam sit ad plures annos quartanam produci; & principium, augmentum, status, & declinatio, sibi correspondeant. Oportebit ergo per plures menses expectare statum & per annos: nam Auicennas vsque ad duodecimum protrahi quartanam vidit. Ergo signa coctionis, ex quibus cognoscitur status tertio post anno apparuerint, oportet.

In quartana longissima quid.

10 Quis ergo Medicus tantas facere obseruationes quiuerit? Profecto docendi eramus à Gal. qua ratione in his procedendum esset in quartana longissima. Idcirco arbitror febres quartanas plurimas, ex eo quod continuo bilis generatur atra, ad tot annos produci, vel quia spiritus consuetudinem accipit ita pugnandi quacunque ex passione etiam non infestante: sicuti qui aliquid facere aliqua in hora solent, vel expergisci ad rem diuinam, semper in illa hora instigantur ad actionem, vel expergiscuntur. Ergo remedium erit ab hac consuetudine spiritum retrahere, quod non nisi magna passione motuque contingere solet, priorem obruente passionem, & in se ipsam transferente. Vidimus enim quartanarios diuturnos in flumen cadentes, alios vero tortura iudicis attritos; sanatos penitus à quartana, quod

quod considerare Medicis maxime opus erat, neque iudicare de omnibus secundum similitudinem breuium morborum. Item diximus superius de his, qui tarantula mordentur & de his qui se ipsos verberare solent, redeunte pruritu, tempore eodem redeunte.

Quando vtēdum pharmacis.

11 Vtendum arbitror pharmacis atram bilem minorantibus, & præparantibus, quando ex atra bili originem quartana trahit, quod post septimum diem facere Celsus iubet; Galenus rationabilius abstinet, donec inchoata quædam coctionis signa apparuerint.

12 Minuunt quidem cassia, sena, epithymum, catholicon, & pilulæ ex fumaria & hiera. Præparant sarza parilla, tamarix, borrago, violæ, fumaria, scolopendrium, lupuli, cassuta, capparis, oxymel & huiusmodi, sicut in 5. lib.

Quæ atram bilem minuunt dispōuntque.

13 Euacuant venæ sectio, præsertim vbi hæmorrhoides aut menses suppressi sunt, aut melancholicus exuberat sanguis, administrata ea ratione, qua Galenus præscripsit.

Quæ euacuant.

14 Purgant pilulæ indæ, è lapide cyaneo, ex lapide lazuli & fumaria, cum puluere hieræ, diacolocynthid. asarum, confectio hamech, agaricus trochiscatus cum aqua vitæ, &c. saturnina medicamenta.

Purgantia.

15 Paulo ante disputabamus quod in die accessionis non erat præbendum purgans medicamentum: nunc autem Hippocratis autoritate suffulti, hoc non negamus in quartana, quando spiritus diebus duobus à conflictu quiescens roboratus est: humor enim agitatus belligerante spiritu aufugit ad attractiuum medicamentum, dummodo id facere queas absque spiritus resolutione.

16 Sudores & vrinas non mouebimus ante coctionem, seu sequestrationem, ne conturbatus humor crassus longe magis affligat spiritum. Cætera prout Galenus præscripsit, rectè se habent, vt de theriaca. Alij addunt mithridatium, asplenium, piper, myrrham, pentaphyllum, hypericum, buglossum, trifolium, succum rutæ, heliotropij semen, & alia huiusmodi, quæ non nisi in atrabilariis probantur.

Cientia vrinas & sudores.

17 Cum enim ex aliis causis non raro oriatur quartana, alia medicamenta illas respicientia causas, præbenda sunt. Puto enim contra fæculentum sanguinem, & contra pituitam non salsam proficere aquam vitæ, & quintas essentias aromatum.

Cū ex aliis causis oritur, cura.

18 Lienem

18 Lienem, iecur & ventriculum corroborare memento, tollere obstructionem, scirrhos, & ea quæ ex quartana accidere solent, & præuenire ne fiant, iuxta regulas suis traditas in locis.

De quintana, septana & nonana, & cæteris.

CAPVT VIII.

Controuersia de quartana & quintana. 1 QVintanam, septanam & nonanam Hipp. plurimorum experi . entorũ peritissimus, fieri testatur 1. *Epid* Galen. eas negat, excepta quintana: tamen ne Hipp. contradicat, posse fieri fatetur. Quærit tamen quo ex humore fiat, & cur non datur etiam sextana, octana & denana?

Auicennas ex causis quartanæ ipsas producit, in cæteris tacet.

Responsio, cur quintana, septana, & nonana fiũt frequenter, non autem octana. 2 Nos autem facile respondemus, omnes has contingere, sed rarissimis temporibus, propterea occultas esse. Credo tamen ex eo quod cum Luna ad suum sextilem pergit, & ad quadratum, & ad trigonum, tunc mouentur humores magis. Ideoque quintanam, & septanam, & nonanam facere frequentius, sicut *n* 4. *lib.* loquentes de crisibus admonebamus. In cæteris vero, quia non dantur aspectus, silere humores. Ergo sextanas, octanas, & denanas non reperiri. Humores autem esse tales, qui per se haud moueri queant, nisi cælo iuuante.

Quintana periculosa. 3 Quintanam periculosam facit Hipp. quod inde euenire putandum, quod ad suum sextilem perueniens Luna amicum, id est, aspectum, auget malum, quod in principio constitutum erat, & sic quoties ad quintas, sibi inuicem fauentes accedit, periculum facere.

De septana. 4 Septanam vero minus periculosam dicimus, quia Luna ad quadratum vadens, inimicum morbo aspectum, potius naturam iuuat sex ante diebus, præsertim instaurata.

De nonana. 5 Nonana, mitius periculosa est ex natura humoris; quod non potest nisi ad tempus perfectæ amicitiæ, per trinum denotatæ, resumere vigorem. Interea vero natura roborata est; idcirco periculis vacat, non ex parte aspectus, sed humoris.

De annua. 6 Annuam febrem, qualem in · ntipatro proponit Plinius, putamus ex temporis sympathia & spiritus reminiscentis à temporis similitudine consuetudinem refici, quemadmodum dictum est de verberatis, & à tarantula commorsis.

7 Me

7 Medicinam applicat Auicennas, qualem quartanariis prædictis febribus. Nobis autem humoris natura illam præscribet. Quam cognoscemus ex anni tempore, ætate, victu præcedente, temperatura corporis, passionibus præeuntibus, calore & habitu, quemadmodum dictum est: & sic applicabimus medicamenta proprium humorem respicientia, vel quæ communia sunt omnibus. *Quod pharmacum iis febribus.*

De compositis, & confusis febribus.

CAPVT IX.

FEbres compositas variis modis Medici enumerant, atque confusas.

De confusis.

ARTIC. I.

1 HAs enim docent fieri ex duobus humoribus eodem tempore incipientibus & desinentibus, earumque numerum faciunt quaternarium. Etenim datur synochus spuria, quæ non in solo sanguine accenditur, sed cum mistura alterius humoris: & quotidiana spuria, ex pituita & bile: & tertiana spuria, etiam ex bile, & pituita: & quartana spuria, ex atra bile, & altero humore. Et hoc se agnoscere profitentur, quoniam accessionum principia mista sunt ex rigore, & frigore in quotidiana, & calore acri, & minus acri, exque cæteris signis commistis. Item ex diuturnitate. Simplex enim tertiana septem circuitibus terminatur: spuria verò confusa pluribus. Idem in aliis febrium generibus agnoscunt: nam & œdema non semper à pituita simplici, atque inflammatio à sanguine solo semper; neque erysipelas à sola bile: neque cancer ab atra sola, sed ex commistis aliquando fiunt. *Ratio Medicorũ de cõfusis febribus.*

De compositarum typis.

2 COmpositas illas faciunt, aut ex phlegmone, læsionéque partis & febre, vt in pleuritide, cardialgia; aut ex generibus communibus febrium diuersis: sicuti hectica, cum humorali, & humoralis cum spiritali; aut ex generibus propinquis, vt cum synochus cum quotidiana, & quotidiana cum tertiana, & tertia- *Ratio Medicorũ de compositis triplex. 1. ex febre & læsione partis. 2. ex*

generibus febrium communibus, & propinquis 3. ex speciebus eorundem generum. na,& quartana cum tertiana,& sic de singulis; quarum typi fiunt quatuordecim: licet Medici hos minimè numerent. Aut ex speciebus eiusdem generis, & hic ponunt quotidianam duplicem, cum bis in die inuadit; synochum enim cum sit continua, non duplicant. Ponunt & tertianam duplicem, cum singulis diebus in diuersis horis, adest inuasio, qualis in tertianis. Dant & triplicem tertianam, cum primo die bis inuadit paroxysmus tertianus, agnitus ex signis pathognomonicis, & secundo die semel, tertio bis. Quadruplicem qui ponat non vidimus. Dant & duplicem quartanam, cum scilicet primo & secundo die febris mouetur atra, biliosa ferens signa, tertius vacat: in quarto & quinto mouetur secundùm eosdem typos, primi & secundi diei. Triplex quoque quartana est, cum primo, & secundo, & tertio die inuadunt paroxysmi quartanariorum: & iterum respõdet quartæ diei tempus & modus inuasionis primæ & quintæ: secundæ, & sextæ, tertiæ. Quæ sanè ne sit quotidiana, accessionum sola forma facit, ait Galenus 2. *de Crisibus*. Eorundem typorum differentiis commiscent quintanam præfatis: quam tamen duplicant nunquam sicuti cæteras, neque septanam, neque nonanam.

Ratio compositionis intermittentiũ 4. modu. 3 Componunt etiam similiter intermittentes & continuas ad inuicem: haud tamen duas continuas, sicuti duas intermittentes: continua enim in toto fit sanguine, vel in vasis magnis: suntque vniformes; sed difformes copulant, vt tertianam continuam cum quotidiana continua.

4 Et vt dicitur 2. *de Crisib.* 9. per ideam omnium complicationum quatuor modis copulatur tertiana cum quotidiana. Nam vel ambę sunt continuæ: vel ambæ intermittentes: vel tertiana intermittens cum quotidiana continua: vel quotidiana intermittens cum tertiana continua.

5 Hemitritæum. i. semitertianam vocant, quæ ex tertiana intermittente & quotidiana fit continua; ex pituita putrescente bili putrefactæ (aiunt) admista. Quæ vbi sunt æquales, medium fit symptoma, ex tertiana non oritur rigor: in quotidiana refrigeratio extremorum. Ergo in hemitritæo exquisito fit horror rigore minor, refrigeratione maior: sic in cæteris signis est mistura & difficilis cognitio. Verum vbi præualet tertianus humor, rigori propinquat magis paroxysmus: & calor maior, & acrior, & bilis vomitus, vel deiectiones succedunt; vbi quotidianus, maior refrigeratio, minor sitis, pauciores horrores, pulsus submissiores, & calor mitior.

6 Qua

6 Quapropter cũ æqualiter mista vident symptomata, æquatis medicamentis mistis succurrunt hemitritæo: vbi verò plus inualescere tertianam, ibi plus eorum, quæ cõtra tertianam adhibentur. Similiter si quotidiana potior, huic magis occurrunt; miscendo plus medicaminis pituitam respicientis. Et hanc methodum in aliis complicatis seruandam iubent.

7 Certiorem habent discretionem cum diuersis inuadunt horis, & typis.

Examen prædictorum typorum complicatorum, quorum causæ ex Medicorum sententia, naturæ & Medicis contradicunt.

8 Verum huiusmodi decreta inscrutabilia eueniunt Medicis, propter humorum & elementorum distinctam quaternitatem: vnde coguntur sibi ipsis contraria dicere & sentire. Profectò enim si ignis & aqua contraria sunt in omnibus qualitatibus, vt ipsi aiunt, ac pariter pituita & flaua bilis: nullo pacto misceri poterunt, vt spurias tertianas, vel quotidianas efficiant, eodem tẽpore incipientes ac desinentes: nec hemitritæum ex prædictis æqualibus. Quantum enim exorbitat alter humor in qualitate, tantum retunditur ab altero, & sic non accendetur febris: præsertim si febris, vt ipsi aiunt, est accẽsio in humoris foco. Quomodo enim accendetur aqua & ignis in eodem foco à calore extraneo, cum tantum alter obediat accensioni, quantum repugnat alter? Nec quidem æquata possunt exorbitare. At si dicas exorbitantiam esse in quantitate sola, non in qualitatibus, cum febris sit ardor & motus, qualitas & actus, nequaquam ob quantitatem generabitur. Neque enim vruntur ligna, quantumuis plurima, nisi calorem aliunde suscipiant multum. Non suscipiunt ex se ipsis, cum sint modici caloris, & à frigore misto retusi, ligatíque: Ergo oportebit à spiritu accendi calorem feruentem in humoribus, sicuti nos dicebamus, & non humores ipsos accendi, cum sint æquales in qualitatibus in eodem foco. At si in diuersis focis Medici tertianam notham, atque hemitritæum accendant: profectò non poterunt simul accessiones in vnam conuenire: quemadmodum ipsi volunt in confusis vocatis. Erunt etiam alia symptomata frigida in ventriculo, alia calida in iecore. Medici autem ea confundunt in horrore; si non sint humores quatuor tantùm non contrarij, posset reddi causa prædictorum confusorum & *Vnde præcipuus fons errorum Medicorum.*

Victus à principio. 8 Esto ergo à principio victus tenuis,& cal dus, & tepens aër, præsertim vbi bilis in hyeme febrem hanc gignit. Non tamen calidus in substantia cibus,sicuti piper,& allium,& sinapis;ne facilè vertatur in bilem, nutriátque morbum. Sed calidus sit humidusque ac tenuis, ea tamen caliditate blanda, quæ bilescere nescit,qualis in buglossa, acetosella,intubo, & similibus.

9 Attamen paulò pleniorem desidero victum in tertiana,quàm in quotidiana,seu pituitosa febri: retundit enim acrimoniam bilis,& exsiccationi occurrit, & spiritui elabenti successorem facit copiosum. In biliosis enim exhal..t copiosior, quam in pituitosis febribus.

Occurrit obiectioni. 10 Et licet Galenus tenuẽ victũ præscribat aliquando,modicũque febribus breuioris tẽporis:nulláque sit breuior tertiana, quæ cum longissima est,septem circuitibus,hoc est, vigesimo die soluitur:aliquando enim quinto,aliquando quarto,aliquando tertio cessat omninò, vbi materia morbi tenuior, concoctúque facilis: nam cum signa coctionis apparent in principio, non progreditur vltra tertium circuitum. In ea autem quæ longior futura est, pleniori cibo Galenus cibat. Nihilominus hoc verum est,vbi expectatur conflictus & crisis subitò,& à principio. At paulò post ob resolutionem spirituum & calorem auctum cibatio plenior debetur. Non resoluuntur autem spiritus in aliis febribus tam copiosè, quam in biliosis. In quibus etiam valdè attenuantur & exacuuntur ad delirium. Idcirco plusquam in pituitosis alendi sunt tertianarij biliosi: eóque magis, quod bilis cibo pleno non augetur,sed tenui. Et quidem à Galeno cibi nominantur optimè congruentes tertianæ,exceptis forte pedibus suum, qui ob crassitiem difficile conuertuntur in substantiam cibati, haud tamen in bilem: & profectò caro suilla directè bili aduersatur.

Victus post principium. 11 Post principium verò,& cum signa coctionis apparent,tunc frigida propinari possunt, ne reliquiæ hecticæ fiant:& ad hoc valet frigidæ potus,vt diximus in causo:nõ ad febris extinctionem, quo nihil lethalius,vbi natura febriendum est, sicut nuper dicebamus. Balnea quoque dulcia ad idem valent, vtque simul tenues biles efferantur: cui intentioni contraria sunt balnea salsa, & nitrosa.

12 Planum est enim in nostro dogmate, quod febris accendi non potest, nisi spiritus infestetur ab humoribus. Humores autem non infestant, nisi ob copiam,aut sordes: quæ abundant vel

sordido

sordido alimento, vel ex prohibita transpiratione cutis, vel adstrictione venarum, vel alui, vel aliarum viarum, per quas educi solent excrementa. In hoc ergo valent Galeni decreta: vt per vrinam, & transpirationem, & alui deiectionem, & vomitum peccans bilis, omnisque alius sordescens aut onerans humor, expellatur. Et hæc tota summa curationis.

13 Symptomata etiam oportet tollere: & iecur, in quo fit bilis, seruare per ea, quæ dicta sunt prius.

14 Præterea quando tertiana non à sola bile efficitur, sed ab omni humore: In hoc satagendum est, vt agnoscatur humor & causa; ac educatur, si in bonum verti non potest. Quod quidem dicere de bile atra, flauáque nequimus. Ex pituita enim est via ad sanguinem, non autem ex bile; cum potius ex sanguine sint adustissimo: & de priuatione ad habitum non sit regressus, sicuti est de imperfecto ad perfectum accessus. *Cautio.*

15 Ea quæ bilem euacuant *in 5. lib.* diximus, & mox dicemus. Interim nota, quo modo absinthium natura amarum, biliosúmque bilem extrahat per attractionem & sympathiam, supra remedia omnia. Nam & absinthio vescentes pecudes, bile carent, & fellea vesica: quæ vsu dempto minuitur, deinde tabescit extrahitúrque sympathia absinthij. *Nota de absinth. contra bilem.*

De tertianis, illegitimis vocatis.

16 QVomodo curetur febris continua à bile, & remittens, dictum est prius. Nunc de tertiana, quam vocant propterea notham, quod ex pituita & bile componi arbitrantur, eò quòd extenditur vltra septem circuitus, & signa coctionis in ea apparent tardius; paroxysmus excedit 12. horas: & rigorem habet longiorem, quam pura tertiana, nec ita magnum. Aliquando etiam absque rigore incipit. Caliditatem non multam habet: augmentum verò inæquale, & accidentia minus sæua; eadem tamen. *Signa tertianæ notæ.*

17 Propterea Galenus, 1. *ad Glauc.* 10. dat plus cibi ægrotantibus, quam in pura tertiana, vt possint ad morbi diuturnitatem sufficere: & vbi vires validiores, minus; vbi debiliores, plus; eiusdem tamen generis atque in pura: sed tamen paulò calidiorem. Alij rectè in die quietis bis cibant benè; semel in die accessionis ante accessionem: & aliquid modicum in remissione. Incisiuum ex parte offert Galenus, & calefactiuum, vt crassities pituitæ pel- *Cura ex Galeno.*

latur:ponit & piper in cibo. Præterea in mulſa coquit origanum vel hyſſopum, vel ſpicam nardi ad potum : & prouocandum vrinam ; & cætera huius generis.

18 Vtitur & phlebotomia, quoniam plenitudo eſt humoris, & euacuationibus iam dictis, præcipuè per abſinthium : vomitum prouocat poſt cibum ; & clyſteria ante non admodum mollia, qualia ex malua, mercuriali, foliis violæ nigræ, origani, hyſſopi. Alij Medici addunt alia, quæ propius reſpiciunt pituitam.

Tertianam fieri ex pituita.

19 Quibus ex decretis facile colligimus, tertianam etiam à pituita fieri, nec bilem addi, niſi quemadmodum in cæteris cauſis morbificis : quæ omnes Iouberto bilem ſecum habent. Quod & vomitus vtilitas conteſtatur : & ſine rigore paroxyſmus, & medicamenta conferentia pituitoſis. Et quoniam Galenus per ſex menſes duraſſe vidit hanc tertianam, nos verò per tredecim tertianam hanc etiam duplicem: quod mirabilius eſſet, ſi à bile tenuiſſima continuo agitata eductáque facilè, fieret, & non potius ex pituita. Tertianam ab atrabile conteſtantur, & continuitas quartanarum & multiplicitas, vt ſuperius dictum eſt. Ideóque curanda iis, quæ bilem purgant atram.

Item ex atrabile.

De quartanarum intermittentium cura ſpeciatim.

ARTIC. IV.

Tempus & effectus quartana. Cura ex Galeno. Victus.

1 QVartana intermittens habetur pro tutiſſima febrium, quamuis longiſſima ; nam quæ incipit in autumno, deſinit in vere plerumque. Eſt etiam vbi ad duos, tres, imò plures annos porrigitur, & ad 12. ſi credimus Auicennæ. Contingit tamen plerumque ob tot febriles circuitus habitus hecticus à calore & ſiccitate. Et cum lien ſcirrhum ob hanc febrem incurrit, aut cancroſam diſpoſitionem, lethalis eſt, & ſæpe hydropem affert. In æſtate exorta breui ſanatur ; in hyeme vel autumno, tardiſſimè. Et peſſima eſt, quæ non per ſe incipit, ſed ex præcedenti morbo, qui aſſauit ſanguinem.

2 Quartanam Galenus, 1. *ad Glauc* 11. ab initio leniter tractat abſque medicamine, & euacuatione, niſi fortè ſanguis abũdet: & tunc inciſa vena interiori, vel media ſiniſtri cubiti; obturanda tamen, ſi non craſſum, nigrumque, ſed tenuem aut flauum emittat. Deinde victum inſtituit ſine flatibus ac optimum. Prohibet ſuillas carnes, omniáque tenacia edulia, & tardum habentia exitum: & refrige

& refrigerantia & exſiccantia. Probat volatilia boni ſucci, in paludibus non degentia. Probat & piſces coctu faciles, molles carnibus; nihil tenax habentes. Item ſalſamenta & ſinapi. Vinum imperat album, tenue, ac mediocriter calidum. Certis diebus diatrion pipereon medicamen in potu dat, vel dioſpoliticum. Commendat etiam ſi quotidie piper cum aqua bibat æger. Frictiones laudat magis quam balnea: laudat & deambulationes, & exercitia ordinaria: ſi quartana ſit leuis, nec admodum violenta. Præterea mollibus cibis & ſorbitionibus (credo) ſolitis aluum mollire iubet. Quibus non proficientibus, clyſteribus vtendum, à principio quidem mollibus, poſtmodum vero acribus. Hæc omnia ab initio ad ſtatum.

3 At in ſtatu ſubtiliorem victum dat, quam ante vel poſt. Quietem imperat, viſcera cataplaſmatis quæ mollire & laxare valent & vnguentis afficit. Deinde quæ vrinam cient propinat; & vbi coctionis ſigna apparuerint, pharmacis atros humores tollentibus purgat, non ſemel ſed ſæpius, ſi viſum fuerit, vomitum à cibo procurat etiam elleboro albo radiculis permiſto: vel per ſe, vbi permiſtum non iuuerit. Purgandi autem per inferiora ſunt, qui ad vomitum ſunt difficiles. Deinde theriacam dat, ſuccumve cyrenaicum. Et hunc non ſeruanti ordinem proteſtatur ex ſimplici quartana, difficiliorem vel duplicem efficere, & ex duplici triplicem. Quemadmodum Eudemo Philoſopho accidiſſe idem Galenus *in lib. de præcognitione* narrauit. Siquidem humor medicamento perturbatus plus vrget, & partibus in pluribus, non autem educitur crudus adhuc. *Cura inſtatis.* *Periculum non ſeruantis hanc pharmaciam.*

4 Haud rectè quidem Gal. videtur victum in quartana inſtituiſſe, quandoquidē non niſi ex atra bile vel humore melancholico, quem ſiccum calidumque eſſe docuerat, conſtituit. Etenim etſi bene improbet refrigerantia & exſiccantia, haud tamen benè ſalſamenta & ſinapim videtur iubere: ex quibus ſequitur ſanguinis aſſatio, & atræ bilis generatio. Quod ſi hoc fecit experimento ductus quod iuuerit, exiſtimare debuerat, non ex atra bile omnem fieri quartanam, ſed etiam ex pituita craſſa; quam attenuare minuereque oportebat. Neque enim trium piperum medicamen alia ratione valet, cum eius vis ſit aſſare ſanguinem, & aſſatum exſiccare atque indurare, ex quo ſequitur atræ atque flauæ bilis generatio, iuxta Galeni dogmata. Niſi agnoſcamus in quartana pituitam, & cruditatem, in pueris præ- *Ratio periculi.* *Correctio.*

 ſertim

Victus quartana ex atrabile secūdum proprii dogma. ſertim atque mulieribus. Leo etiā quartana dicitur laborare, ob ingentem, pipereumque calorem, quo ſanguis aſſatus plurimum melancholiæ gignit. Igitur in quartana ab atra bile, victum calidum humidumque inſtituemus.

5 Eſt etiam alia quartana à pituita craſſa crudaque, in qua calidus, & inciſiuus, & tenuis ſubſtantiæ eſt parandus.

In quartana ex pituita. 6 In quartana verò ex ſalſa pituita craſſaque ortum habente, humectans victus, & non adeo inciſiuus, vt in pituitoſis cruditatibus; neque adeo calidus, inſtituendus eſt: quemadmodum & in tertianis dicebamus. Auicenna vero hanc agnoſcens quartanam, refrigerantem & humectantem præſcribit.

In quartana ex ſalſa pituita. 7 Cum vero ab aduſto ſanguine, non adeo torrefacto ortum ducere agnouerimus, cibus erit qui humectet, & leniter calefaciat, & ſanguinem gignat tenuem.

Ex ſanguine aduſto. 8 Quod vero in principio medicamenta non propinat Galenus fortia, ne craſſus humor perturbetur, bene eſt, ſed præparandus videtur ad coctionem.

In Galenum. 9 Neſcio qua ratione Galenus expectet quartanæ ſtatum ad huius morbi curationem, in quo & victum tenuiorem, & quietem, & cataplaſmata, & vnctiones viſcerum præcipit; cum palam ſit ad plures annos quartanam produci; & principium, augmentum, ſtatus, & declinatio, ſibi correſpondeant. Oportebit ergo per plures menſes expectare ſtatum & per annos: nam Auicennas vſque ad duodecimum protrahi quartanam vidit. Ergo ſigna coctionis, ex quibus cognoſcitur ſtatus tertio poſt anno apparuerint, oportet.

In quartana longiſſima quid.

10 Quis ergo Medicus tantas facere obſeruationes quiuerit? Profecto docendi eramus à Gal. qua ratione in his procedendum eſſet in quartana longiſſima. Idcirco arbitror febres quartanas plurimas, ex eo quod continuo bilis generatur atra, ad tot annos produci, vel quia ſpiritus conſuetudinem accipit ita pugnandi quacunque ex paſſione etiam non infeſtante: ſicuti qui aliquid facere aliqua in hora ſolent, vel expergiſci ad rem diuinam, ſemper in illa hora inſtigantur ad actionem, vel expergiſcuntur. Ergo remedium erit ab hac conſuetudine ſpiritum retrahere, quod non niſi magna paſſione motuque contingere ſolet, priorem obruente paſsionem, & in ſe ipſam transferente. Vidimus enim quartanarios diuturnos in flumen cadentes, alios vero tortura iudicis attritos; ſanatos penitus à quartana,

quod

quod considerare Medicis maxime opus erat, neque iudicare de omnibus secundum similitudinem breuium morborum. Item diximus superius de his, qui tarantula mordentur & de his qui se ipsos verberare solent, redeunte pruritu, tempore eodem redeunte. *Quando vtēdum pharmaco.*

11 Vtendum arbitror pharmacis atram bilem minorantibus, & præparantibus, quando ex atra bili originem quartana trahit, quod post septimum diem facere Celsus iubet; Galenus rationabilius abstinet, donec inchoata quædam coctionis signa apparuerint.

12 Minuunt quidem cassia, sena, epithymum, catholicon, & pilulæ ex fumaria & hiera. Præparant sarza patilla, tamarix, borrago, violæ, fumaria, scolopendrium, lupuli, cassuta, capparis, oxymel & huiusmodi, sicut in 5. lib. *Quæ atram bilem minuunt disponuntque.*

13 Euacuant venæ sectio, præsertim vbi hæmorrhoides aut menses suppressi sunt, aut melancholicus exuberat sanguis, administrata ea ratione, qua Galenus præscripsit. *Quæ euacuant.*

14 Purgant pilulæ indæ, è lapide cyaneo, ex lapide lazuli & fumaria, cum puluere hieræ, diacolocynthid. asarum, confectio hamech, agaricus trochiscatus cum aqua vitæ, &c. saturnina medicamenta. *Purgantia.*

15 Paulo ante disputabamus quod in die accessionis non erat præbendum purgans medicamentum: nunc autem Hippocratis autoritate suffulti, hoc non negamus in quartana, quando spiritus diebus duobus à conflictu quiescens roboratus est: humor enim agitatus belligerante spiritu aufugit ad attractiuum medicamentum, dummodo id facere queas absque spiritus resolutione.

16 Sudores & vrinas non mouebimus ante coctionem, seu sequestrationem, ne conturbatus humor crassus longe magis affligat spiritum. Cætera prout Galenus præscripsit, rectè se habent, vt de theriaca. Alij addunt mithridatium, asplenium, piper, myrrham, pentaphyllum, hypericum, buglossum, trifolium, succum rutæ, heliotropij semen, & alia huiusmodi, quæ non nisi in atrabilariis probantur. *Cientia vrinas & sudores.*

17 Cum enim ex aliis causis non raro oriatur quartana, alia medicamenta illas respicientia causas, præbenda sunt. Puto enim contra fæculentum sanguinem, & contra pituitam non salsam proficere aquam vitæ, & quintas essencias aromatum. *Cū ex aliis causis oritur, cura.*

18 Lienem

18 Lienem, iecur & ventriculum corroborare memento, tollere obstructionem, scirrhos, & ea quæ ex quartana accidere solent, & præuenire ne fiant, iuxta regulas suis traditas in locis.

De quintana, septana & nonana, & cæteris.

CAPVT VIII.

Controuersia de quartana & quintana.

1 QVintanam, septanam & nonanam Hipp. plurimorum experimentorū peritissimus, fieri testatur 1. *Epid.* Galen. eas negat, excepta quintana: tamen ne Hipp. contradicat, posse fieri fatetur. Quærit tamen quo ex humore fiat, & cur non datur etiam sextana, octana & denana?

Auicennas ex causis quartanæ ipsas producit, in cæteris tacet.

Responsio, cur quintana, septana, & nonana fiūt frequenter, non autem octana.

2 Nos autem facile respondemus, omnes has contingere, sed rarissimis temporibus, propterea occultas esse. Credo tamen ex eo quod cum Luna ad suum sextilem pergit, & ad quadratum, & ad trigonum, tunc mouentur humores magis. Ideoque quintanam, & septanam, & nonanam facere frequentius, sicut *n* 4. *lib.* loquentes de crisibus admonebamus. In cæteris vero, quia non dantur aspectus, silere humores. Ergo sextanas, octanas, & denanas non reperiri. Humores autem esse tales, qui per se haud moueri queant, nisi cælo iuuante.

Quintana periculosa.

3 Quintanam periculosam facit Hipp. quod inde euenire putandum, quod ad suum sextilem perueniens Luna amicum, id est, aspectum, auget malum, quod in principio constitutum erat, & sic quoties ad quintas, sibi inuicem fauentes accedit, periculum facere.

De septana.

4 Septanam vero minus periculosam dicimus, quia Luna ad quadratum vadens, inimicum morbo aspectum, potius naturam iuuat sex ante diebus, præsertim instaurata.

De nonana.

5 Nonana, mitius periculosa est ex natura humoris; quod non potest nisi ad tempus perfectæ amicitiæ, per trinum denotatæ, resumere vigorem. Interea vero natura roborata est; idcirco periculis vacat, non ex parte aspectus, sed humoris.

De annua.

6 Annuam febrem, qualem in Antipatro proponit Plinius, putamus ex temporis sympathia & spiritus reminiscentis à temporis similitudine consuetudinem refici, quemadmodum dictum est de verberatis, & à tarantula commorsis.

7 Me

7 Medicinam applicat Auicennas, qualem quartanariis prædictis febribus. Nobis autem humoris natura illam præscribet. Quam cognoscemus ex anni tempore, ætate, victu præcedente, temperatura corporis, passionibus præeuntibus, calore & habitu, quemadmodum dictum est: & sic applicabimus medicamenta proprium humorem respicientia, vel quæ communia sunt omnibus.

Quod pharmacum iis febribus.

De compositis, & confusis febribus.

CAPVT IX.

FEbres compositas variis modis Medici enumerant, atque confusas.

De confusis.

ARTIC. I.

1 HAs enim docent fieri ex duobus humoribus eodem tempore incipientibus & desinentibus, earumque numerum faciunt quaternarium. Etenim datur synochus spuria, quæ non in solo sanguine accenditur, sed cum mistura alterius humoris: & quotidiana spuria, ex pituita & bile: & tertiana spuria, etiam ex bile, & pituita: & quartana spuria, ex atra bile, & altero humore. Et hoc se agnoscere profitentur, quoniam accessionum principia mista sunt ex rigore, & frigore in quotidiana, & calore acri, & minus acri, exque cæteris signis commistis. Item ex diuturnitate. Simplex enim tertiana septem circuitibus terminatur: spuria verò confusa pluribus. Idem in aliis febrium generibus agnoscunt: nam & œdema non semper à pituita simplici, atque inflammatio à sanguine solo semper; neque erysipelas à sola bile: neque cancer ab atra sola, sed ex commistis aliquando fiunt.

Ratio Medicorũ de cõfusis febribus.

De compositarum typis.

2 COmpositas illas faciunt, aut ex phlegmone, læsionéque partis & febre, vt in pleuritide, cardialgia; aut ex generibus communibus febrium diuersis: sicuti hectica, cum humorali, & humoralis cum spiritali; aut ex generibus propinquis, vt cum synochus cum quotidiana, & quotidiana cum tertiana, & tertia-

Ratio Medicorũ de compositis triplex. 1. ex febre & læsione partis. 2. ex

generibus febrium communibus, & propinquis 3. ex speciebus eorundem generum. na, & quartana cum tertiana, & sic de singulis; quarum typi fiunt quatuordecim: licet Medici hos minimè numerent. Aut ex speciebus eiusdem generis, & hic ponunt quotidianam duplicem, cum bis in die inuadit; synochum enim cum sit continua, non duplicant. Ponunt & tertianam duplicem, cum singulis diebus in diuersis horis, adest inuasio, qualis in tertianis. Dant & triplicem tertianam, cum primo die bis inuadit paroxysmus tertianus, agnitus ex signis pathognomonicis, & secundo die semel, tertio bis. Quadruplicem qui ponat non vidimus. Dant & duplicem quartanam, cum scilicet primo & secundo die febris mouetur atra, biliosa ferens signa, tertius vacat: in quarto & quinto mouetur secundùm eosdem typos, primi & secundi diei. Triplex quoque quartana est, cum primo, & secundo, & tertio die inuadunt paroxysmi quartanariorum: & iterum respōdet quartæ diei tempus & modus inuasionis primæ & quintæ: secundæ, & sextæ, tertiæ. Quæ sanè ne sit quotidiana, accessionum sola forma facit, ait Galenus 2. *de Crisibus*. Eorundem typorum differentiis commiscent quintanam præfatis: quam tamen duplicant nunquam sicuti cæteras, neque septanam, neque nonanam.

Ratio compositionis intermittentiū 4. modis. 3 Componunt etiam similiter intermittentes & continuas ad inuicem: haud tamen duas continuas, sicuti duas intermittentes: continua enim in toto fit sanguine, vel in vasis magnis: suntque vniformes; sed difformes copulant, vt tertianam continuam cum quotidiana continua.

4 Et vt dicitur 2. *de Crisib.* 9. per ideam omnium complicationum quatuor modis copulatur tertiana cum quotidiana. Nam vel ambę sunt continuæ: vel ambæ intermittentes: vel tertiana intermittens cum quotidiana continua: vel quotidiana intermittens cum tertiana continua.

5 Hemitritæum. i. semitertianam vocant, quæ ex tertiana intermittente & quotidiana fit continua; ex pituita putrescente bili putrefactæ (aiunt) admista. Quæ vbi sunt æquales, medium fit symptoma, ex tertiana non oritur rigor: in quotidiana refrigeratio extremorum. Ergo in hemitritæo exquisito fit horror rigore minor, refrigeratione maior: sic in cæteris signis est mistura & difficilis cognitio. Verum vbi præualet tertianus humor, rigori propinquat magis paroxysmus: & calor maior, & acrior, & bilis vomitus, vel deiectiones succedunt; vbi quotidianus, maior refrigeratio, minor sitis, pauciores horrores, pulsus submissiores, & calor mitior.

6 Quapropter cũ æqualiter mista vident symptomata; æquatis medicamentis mistis succurrunt hemitritæo: vbi verò plus inualescere tertianam, ibi plus eorum, quæ cōtra tertianam adhibentur. Similiter si quotidiana potior, huic magis occurrunt; miscendo plus medicaminis pituitam respicientis. Et hanc methodum in aliis complicatis seruandam iubent.

7 Certiorem habent discretionem cum diuersis inuadunt horis, & typis.

Examen prædictorum typorum complicatorum, quorum causæ ex Medicorum sententia, naturæ & Medicis contradicunt.

8 VErum huiusmodi decreta inscrutabilia eueniunt Medicis, propter humorum & elementorum distinctam quaternitatem: vnde coguntur sibi ipsis contraria dicere & sentire. Profectò enim si ignis & aqua contraria sunt in omnibus qualitatibus, vt ipsi aiunt, ac pariter pituita & flaua bilis: nullo pacto misceri poterunt, vt spurias tertianas, vel quotidianas efficiant, eodem tēpore incipientes ac desinentes: nec hemitritæum ex prædictis æqualibus. Quantum enim exorbitat alter humor in qualitate, tantum retunditur ab altero, & sic non accendetur febris: præsertim si febris, vt ipsi aiunt, est accēsio in humoris foco. Quomodo enim accendetur aqua & ignis in eodem foco à calore extraneo, cum tantum alter obediat accensioni, quantum repugnat alter? Nec quidem æquata possunt exorbitare. At si dicas exorbitantiam esse in quantitate sola, non in qualitatibus, cum febris sit ardor & motus, qualitas & actus, nequaquam ob quantitatem generabitur. Neque enim vrentur ligna, quantumuis plurima, nisi calorem aliunde suscipiant multum. Non suscipiunt ex se ipsis, cum sint modici caloris, & à frigore misto retusi, ligatique: Ergo oportebit à spiritu accendi calorem feruentem in humoribus, sicuti nos dicebamus, & non humores ipsos accendi, cum sint æquales in qualitatibus in eodem foco. At si in diuersis focis Medici tertianam notham, atque hemitritæum accendant: profectò non poterunt simul accessiones in vnam conuenire: quemadmodum ipsi volunt in confusis vocatis. Erunt etiam alia symptomata frigida in ventriculo, alia calida in iecore. Medici autem ea confundunt in horrore; si non sint humores quatuor tantùm non contrarij, posset reddi causa prædictorum confusorum & *Vnde præcipuus fons errorum Medicorum.*

compositorum, quam Medici fallacem dant quatuor & contrariis.

Vel dantur alij humores medij, vel omnis febris ab omni humore.

9 Quapropter verius erat dicere, humores non esse solum quatuor, neque inter se contrarios, sed differentes, & medios reperiri inter pituitam & bilem: qui accensi faciant medias febres. Vel quascunque febres à quocunque fieri humore pro sui copia & loco, & affecto membro.

10 Præterea si non complicant synochum cum quartana, quod faciendum erat, si oppositorum est vnio: quomodo tertianam cum quotidiana miscebunt? Non enim maior oppositio est inter aërem & terram, id est sanguinem & atram bilem, quam inter aquam & ignem in schola Medicorum. Neque enim continuitas synochi obstat, cum & continua quotidiana tertianæ intermittenti misceatur. Ecquis etiam discernet, an synochus cum quotidiana coeat; cum pituita Medicis sit ipse sanguis crudus, & eiusdem sæpe foci? Profectò vt plurimum esset ita coniunctio. Nec tamen Medici hoc agnouerunt, aut docuerunt. Nos autem ita esse putamus: cum quotidiana remittens adest, plerumque.

11 Præterea cur tertianus quartano haud frequentius iungitur, docendi eramus, sicuti typus tertianus quotidiano; quandoquidem tellus & aqua facilius ob symbolum coëunt, quam ignis & aqua?

Ratio.

12 Mirum etiam quod non declarant, qui humores quibusque in spuriis confunduntur. Et cur si omnis humor, typi spuriarum non multiplicantur. Profectò inertiæ incusandi veniunt, & seruilitatis. Non enim aliud ab his, quæ Galen. & Hipp. tradiderunt experiri & docere, aut supplere sategerunt; vnde neque exemplum perfectum dare, nisi de hemitritæo norunt: & omnes subscribunt priorum dictis, quasi pecudes aliæ post alias insequentes. Profectò si omnis humor sanguini miscetur febricitanti, nascentur quatuor febres, & si non omnes continuæ, quia non æquantur humores, erunt saltem aliæ continuæ, aliæ remittentes, aliæ intermittentes, vel ex eorum typis compositæ, sic cum alij humores pituitæ complicantur, sic cum bili atræ, & cum flauæ.

Ratio.

13 Sed illud mirabilius, quod bilem subito totam fugari in exquisita tertiana volunt, in hemitritæo autem permanere diutius. Si enim feruor continuus est in pituita, non sinet vllas post primam accessionem reliquias bilis, vel non permittet, vt tertio die ardorem moueat. Continuo enim agitatur, & vincitur, & pellitur

tur

tur calore febrientis. Si autem dicas retineri à pituita commista in eodem foco: tunc oportebit à pituita quoque retundi & vinci, vt non moueat proprium feruorem. Si autem in diuersis focis, tunc omnes reliquiæ tenuioris humoris per continuam alterius incensionem expellentur ante accessionem sequentem. At cur est longa & periculosa, quæ breuior & securior esse debebat, tanquam sui interemptrix? alter enim humor alterum minuit, & accessio alterius, alterius tollit accessionem.

14 Præterea qua ratione quotidiana duplicatur, & tertiana triplicatur, & quartana, explicare non potuerunt. Aut enim in eodem foco est pituita, primam accessionem faciens, cum pituita secundæ accessionis eiusdem diei; aut in aliis. Si in eodem, ergo idem humor bis in die augetur, & bellum ciet, & nihil profuit prior accensio, vt pellatur foras & minuatur. Et agnoscendum est pituitam non solam quotidianam facere, sed mistam, & omnes pro periculi & infestationis ratione: si verò in diuersis focis, tunc prior accessio secundam abolebit, aut minuet valdè. Febris enim vniuerso in corpore grassatur. Ergo si non minuebatur à priori, poterat continuam facere: vel si magis minuebatur, tertianam; non enim eodem die moueri minuta valet, sed sequenti. Ergo humor pituitosus etiam tertianam faciet. Ratio 7.

15 Eadem argumentatio est de tertiana duplici, & fortior de triplici: Siquidem accessio prima secundam aufert, aut valdè minuit, humorem secundo suscitandum attenuando, & expellendo: multò autem magis tertio suscitandum, quam tamen constat aliquando maioris esse afflictionis. Ratio 8.

16 Præterea cur ex quartana simplici fit duplex, dicendum erat; theriacâ ante coctionis epotâ tempus. Etsi enim turbatur ab inimico pharmaco, non tamen augetur. Constat etiam absque pharmaco duplicari, & triplicari. Quod si exagitata fæx à feruore priori parum sedatur, & sequenti die inuadet irritata; tunc fatendum non esse duplicem quartanam, sed eundem humorem posse & quotidie, & tertio quoque, & quarto quoque suscitari die, & spiritum turbatum ab eo in pugnam sic accendi. Si verò idem humor in plures partes dispertitus est; ideóque in alia parte hodie accenditur, & in alia cras: tunc oportebit accensionem hodiernam maiorem esse crastina, si copiosior pars atræ bilis prius mouet, vel in membro nobiliori, prius accenditur: minor verò portio, vel in ignobiliori membro, posterius: Ratio 9.

& tamen non ſic ſemper ſe habet.

Diuerſæ ſpecies humorum eorumdem.

Concluſio quod omnis febris ab omni humore, & quod ſunt multiplices ſpecies humorum, & non 4. Confirmatio.

17 Quapropter tutior ſententia, quæ ab eodem humore plures accendit febres, & quæ non quatuor, ſed plurimos adducit, ſpretis elementis quatuor; cum præſertim pituita ſalſa ac dulcis differant pluſquam dulcis & ſanguis, & acida vitreáque, & ſeroſa ab his, pluſquam à bile atra flauáque. Similiter bilis flaua, & pallida, & porracea, & æruginoſa inter ſe plus differant, quàm porracea à pituita, & æruginoſa ab atra bili. Item excrementa nigra non habent acidum acerbúmque ſaporem, nec fermentant terram, vti atra bilis: quæ aceto acerrimo perſimilis in ſapore, differt tamen craſſitie. A ſanguine nigro eiuſque fæce etiam differt, quoniam ſanguis è vena eductus in vaſe concreſcit, denſaturque ſtatim caloris abſceſſu, efficítque ſerum ſupernatare ſequeſtratum. Atra autem bilis non concreſcit. Differt etiam ab aſſata flaua bile, quoniam hæc pernicioſior: efficacior ad corrodendum, & inficiendum, & venenandum. Addunt & melancholiam, & melancholicum ſuccum Medici: nec tamen ex his adhuc didicere euentuum febrilium reddere exactas rationes, poſt tot experimenta ſæculorum; ſed dicta dicunt.

Quæ febrium complicationes probari debent ſecundùm experimentum, & Philoſophiam.

Artic. II.

Prima complicatio eſt febrium topicæ & vniuerſalis.

Secunda, ſpiritualis humoralis, & ſolidalis.

1 ARbitramur ergo cõplicationes fieri febris localis & communis, quando pars malè affecta, cauſa eſt, vt totum ad ſuas functiones & nutritionem malè ſe habeat, vti patet in pleuritide, & cardialgia, & veſicæ inflammatione. Item quando pars læſa minus principalis vocat ſpiritum, & humores ad ſui auxilium, qui conturbati febrem partis ad totius febrem vocant.

2 Item febrem ſpiritalem, & humoralem, & ſolidalem aliquãdo miſceri putamus, cum ex eodem humore per vaporem malum infeſtatur ſpiritus, & ſordeſcit ſanguis, & ſoliditas prauè ſordidè nutritur. Solet & obſtructio hoc malum facere triplex, quoniam ſordes remanentes, non tranſpirando incaleſcunt, ſuffocant implantatum ſolidi ſpiritum, & temperiem fœdant, euertuntque, ſanguinem ſordidant vruntque, ſpiritúmque ſuo infeſtant volatu, & vapore.

3 Complicati

3 Complicari quas vocant nothas febres vix concedam, sed alios esse biliosos humores in tertiana exquisita, alios in duplici vel copiosiores; alios in triplici: & similiter in continua, & in causa, & in hemitritæo. Nam & locus, & læsa pars, & lædens causo pro copia & robore febres variat, quemadmodum ex dictis palam est.

4 Et quia plura sunt genera atrorum humorum, qui ad bilem atram reducuntur Medicis per vim; propterea plures fieri ab eis febres, & continuas, & quotidianas, & quartanas, & quintanas, & septanas, vt ex dictis colligere licet. Quæ autem ex quo fiant tempus, ætas, victus & temperies, & excrementa, & abscessus, declarabunt. Imo ab eodem genere bilis atræ, opinamur omnem fieri febrem pro copia & robore suo, & lædendi commoditate, & refectionis suæ facilitate & difficultate, & læsæ partis nobilitate, sicuti ex dictis palam fuit.

Idem dicendum est de pituitarum generibus multis ad febres multas, & easdem, & de bilibus, & sanguinibus.

Responsio ad argumenta Medicorum, in 1. *artic. posita.*

5 ARgumentationes autem Medicorum ex mistura symptomatum, nulla est; nam humores misti non faciunt symptoma mistum, præsertim contrarij; sed humor medius natura facit mistum symptoma. Non enim causat rubedinem album & nigrum, nisi fiant vnum; multo autem minus effectum rubedinis.

6 Cum autem aiunt, quod quotidiana quotidianæ respondet, & tertiana tertianæ in effectibus complicatarum: fortasse concedendum est in variis locis augeri varios humores, & suo pro tempore quemque cogere ad pugnam spiritum. Et cum quæritur, quomodo secunda accessio non est minoris afflictionis, respondendum est, quod iit: neque enim ratio aliud suadere potest. Sed quomodo tertia accessio non est minor ob dictas contra Medicos rationes, cum sui feruor & sequentis primum humorem comminuerit? Respondendum quod copia humoris in suo foco & minera, valuit plus gignere, cum secunda afflictio fuerit minoris pugnæ. Verum si spiritus victor fuit, oportet tertiam accessionem pro sui rata minui, licet non plusquam

secunda

ſecunda, ſed pluſquam prima. Si vero ſpiritus incipit ſuccumbere, & læſio ſequitur maior, & pugna tertia augebitur, & tandem in continuam commutabitur. Et tandem victo quaſi ſpiritu ceſſabit pugna, & videbitur æger benè ſe habere; & morietur; quia præter rationem ceſſauit febris, vt docebamus in lib. 4.

Alia reſpōſ. ad ſecūdum. 7 Contingit etiam pharmaco alterum focum humoris peccantis extingui, alterum minui, vel à ſpiritu ipſo vincente abſque pharmaco; & propterea alteram acceſſionem non redire; alteram redire; vel fortè cum ab eodem foco valido bis fiat infeſtatio, cum minutus fuerit fit ſemel, quia periculum minus. Eſt etiam vbi ex ſpiritus diffidentia ceſſat bellum; & vbi ex confidētia duplicatur ad criſim, ſicuti ſuperius docebamus; quæ omnia pulſus, reſpiratio, & cætera *in* 4. *lib.* conſiderata declarabunt ingenioſo Medico. Rudes autem caſu quodam ſanabunt, & medicabuntur, & occident plerumque. Plures enim occidit Medicus, quam gula: vt plures gula, quam gladius.

Reſponſio ad tertium. 8 Quæ autem ex œdemate, & cancro, & eryſipelate & inflammatione miſtis adducunt Medici ad miſcendos humores, longè à ratione ipſorum ſunt: elementa enim Galeno, & Ariſtoteli, & Platoni in inuicem ſunt tranſmutabilia, & non permanent intranſmutata, ſicuti Empedocli, propterea non poſſunt miſceri inſalubriter Galeno. Sed ſi pituita miſcetur bili, minus vtrumque nocebit: cuius contrarium experimur ipſorum teſtimonio. Quapropter plures eſſe ſpecies bilis, & pituitæ, & aliorum humorum, omneſque ſuccos ab vno fieri calore ex materia varia, varièque tranſmutata, dicendum erat. Et propterea non omnes cancros, neque omnia œdemata eiuſdem eſſe ſpeciei. Abſurdum eſt enim putare omnes humores fieri à calore igneo, & tamen alios eſſe terreos, alios aqueos, alios aëreos igni contrarios. Sequitur enim ex hoc opinio Empedoclis, & Paracelſi de miſtione. Et quod ignis non ſit elementum, ſed elementorum generator, aut congregator & diſgregator, liberator, &c. Et quod elementa ſeruantur in miſto, nec poſſunt in inuicem mutari. Primum concedit Alex. ſecundum Empedocles; vtrumque negant Latini Peripatetici, de quo in quæſt. phyſiol. videre licet. Exemplum etiam Medicorum verum eſt in nothis febribus, non autem in complicatis.

Febrem

Febrem pestilentem confirmare quidquid de febribus, & typis earum contra Medicos locuti sumus.

Capvt X.

1 DE peste quidem in principio lib.6. locuti sumus. Nunc de febre pestilenti dicere præsenti conducit disputationi: siquidem, quemadmodum Medici dicunt, hæc febris à peste continua est, quod nobis fauet, periculum continuum ponentibus, à causa continua, id est ab aëris & communium rerum infectione: & quia primo in spiritum grassatur. Corrigendi ergo sunt Medici, qui in humore & soliditate hanc accendunt. Aër enim primo spiritum afficit, etiam Galeni testimonio. *Correctio Medicorum.*

2 Secundo fatentur Medici in nullo febris genere hanc ponendam esse: & id in febris malignæ definitione ponunt. Nam & continua, & tertiana, & quotidiana, & quartana remittens tamen; fit, & variat typum. Non enim puto intermittentem fieri posse, ob periculi magnitudinem, & ex parte causæ; nisi fiat ex spiritus ignauia, vel impotentia. Præterea cum in continuis rigor non fiat nisi fortè à principio, in hac sæpè sæpius excitantur, prout humores corrumpuntur, & spiritus eorum nouis vaporibus mordicatur, vel refugit aërem infectum veneno: vel humores acres varias corporis partes mordent, aut venas & arterias. Propterea etiam cum venit ad remissionem, statim incautos decipiens Medicos, excandescit, quoniam modicus in quantitate, multus in virtute, vigor veneni, statim ex improuiso mouet incommoda, obligatque spiritum bello. *Omnis febris potest esse pestilens.* *Non datur pestilens intermittens.*

3 Indicant & erraticæ febres ita euenire, cum aliquando excitentur lumbricorum motu; aliquando in fistulis acrimonia puris & sanici; aliquando improuisa obstructione necessariarum viarum & portarum viscerum & nutritionis; aliquando solis spiritus affectionibus; & studio, & speculationibus, & admirationibus, & ecstasibus, tam ad superiora quam ad inferiora. Item cum in aliquo membro putredo suscitatur, aut recipitur, aut ab aëre fit repercussio transpirationum, vt patet in catarrhis & cum contra ventum importunum ambulamus. Et cum aër pestilens est, sæuiores excitat pugnas: nisi prius opprimat spiritum, quam possit capessere pugnam. Omnis etiam intemperies noua totius vel partium, ab ambiente vel à nutrimento generat febrem topicam, *Quod omnis infestatio mouet febrē, ergo omnis atiā humor.*

picam, vel vniuersalem, mitem vel pestilentem. Nam & exanthemata pestifera quædam sunt, vt suis dictum est in locis.

Epilogus confirmans dicta de causis & typis contra Medicos.

4 Hæc qui consi erat, ab omni humore, & vapore, & infestatione siue per obstructionem facta, siue per sordes aliunde, siue per animi passiones, & corporis; vigilias, ebrietates, dolores, &c. intelliget omnem oriri febrem. Typum autem seruare cum causa stabilis intrinsecus regnat, & iuxta vniuersales cœlestium rationes communes agitatur. Quas noui insultus, & materiæ & misturæ rerum inferiorum, & causarum materialium & actiuarum, & concausarum, ab ordine & typo remouent, alterantque: motus enim necessarij & ordinati in causis fluctuantibus & contingentibus recepti, ab ordine & necessitate recedunt, vt *in Metaphys.* dictum est.

FINIS.



Errata

Errata ſequentia præ cæteris corrigito.

P*Agina* 24. *lin.* 14. *lege*, & ileon, & cæcum, & colon. *pag.* 62. *dele in marg. lanceæ. ibid.* n. 3. *leg.* expellē das. *pag.* 115. lin. 8. *pro* in 14. *leg.* 4. lin. 23. lege *in die ſexto bonā criſim.* 121. n. 4. *leg.* ſputa. 252. *lin.* 6. *leg.* vneduris 288. vbi Cap. VII. *repone* VIII. 292. *pro* Cap. VIII. *repone* IX. 300. num. 4. *lege.* Illa in dolore nouo: hæc in veteri. 324. *n.* 1. *reiice hæc verba in marginem.* Et domibus, & vaſis. 337. *in titulo pro* & ſubi. *lege* ex ſubiectis. 407. *nu* 6. *lege* rapæ radix. *ibid. lin. antepenult. lege* hydrargyro 486. *ſub finem. lege* incraſſare chylum. 488. *n.* 13. *leg.* Qui verò. 501. *in tit.* leg. efficiētibus. 567. lin. vlt. leg. *in latū.* 569. *n.* 4. *leg.* in partib⁹. 608. *li. vl. leg.* propterea. 656. n. 4. *leg.* cœnoſū,